5.14.03.

From the Library of

Professor William Henry Green

Bequeathed by him to

the Library of

Princeton Theological Seminary

BS2335
.R815
1815
v.2

Wm. Henry Green

Princeton Aug. 1846

Presented by my uncle

W. W. Green Esq.

D. IO. GEORGII ROSENMÜLLERI

SCHOLIA

IN

NOVUM TESTAMENTUM.

TOMUS II.

CONTINENS

EVANGELIA LUCAE ET IOANNIS.

EDITIO SEXTA

EMENDATIOR ET AUCTIOR.

POST AUCTORIS OBITUM

CURAVIT ET PRAEFATUS EST

D. ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERUS,

LITTERAR. OO. IN UNIVERS. LIPS. PROF. ORD.

CUM PRIVILEG. REG. SAXON.

NORIMBERGAE,

IN OFFICINA FELSECKERIANA.

MDCCCXXVII.

LECTURIS

S.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

IO. GEORG. FILIUS.

Operis huius Tomus primus, qui ante hos ipsos quinquaginta annos primum in lucem emissus est, sextum editus, et ab Optimo Parente emendatus et auctus, prodiit eo ipso, quo e vivis sublatus est, anno MDCCCXV. Iam quum divenditis reliquarum partium exemplis et eae iterum repetendae sint, harum ad prelum parandarum et revisendarum cura mihi est delegata. Ego vero meis in Vet. Test. Scholiis aliisque, quos inchoavi, libris continuandis occupatus, nimis me temporis angustiis includi videbam, quam ut recognoscendi et augendi volumina denuo edenda labor a me iusto tempore perfici possit. Quoniam tamen pietatis officio me defuturum existimabam, si a paterni operis cura me plane subtraxerim: meas partes statui ad virum aliquem tali negotio idoneum deferre, qui quae in libro denuo edendo et corrigenda et addenda essent, me moderante curaret. Reperi qui huic labori prae aliis par esset,

IO. CHRISTOPH. SIGISM. LECHNERUM,

PHIL. D. AD AED. PAUL. CONCIONATOR. VESPERT. AD SCHOL. CIV. LIPS. MAG. EXTRAORD.,

Virum Doctissimum, cuius adeo diligentiae potissimum debetur, si quid accesserit huic volumini, quod Sacrarum Literarum studiosis adiumento esse et utilitati in duorum Evangeliorum, quae hoc volumen continet, lectione possit. Consuluit enim ille, quae ab eo inde tempore, quo secundum hoc volumen quintum prodierat, a Viris Doctis ad illustranda Lucae et Ioannis Evangelia collata essent, atque non tantum ex iis, quae probabilia et ad rectius intelligendum maxime necessaria iudicaret, suis locis inseruit, verum et in explicandis locis obscurioribus recentiorum Interpretum sententias breviter examinavit; qua in re et meis consiliis est usus. Praeterea ego singulas plagulas, antequam operis typographicis traderentur, diligenter recognovi, et quae hic illic monenda reperissem, cum Viro Doctissimo communicavi. Nonnulla tacite correximus, quae Parens ipse in nova editione, si eam curare potuisset, correcturus fuisse videretur. Nullam fere editionis quintae paginam intactam mansisse, quin aliquid vel accesserit, vel emendatum fuerit, cognoscent, qui cum illa hanc sextam comparare voluerint.

Dabam Lipsiae, d. XX. Febr. MDCCCXXVII.

PRAEFATIO
ad Editionem Primam.

Quamvis librorum, qui ad illustrandas Sacras Scripturas V. et N. Testamenti faciunt, hodie nulla sit inopia, paucissimi tamen ita sunt comparati, ut Sacrarum Litterarum Studiosis, praelectiones exegeticas cum fructu audire cupientibus, commode inserviant. Versiones enim et paraphrases, magna copia in lucem prodeuntes, praeparationi et repetitioni minus esse accommodatas et aptas concedent omnes, qui sciunt, nonnisi per verborum exploratam significationem, et orationis perspectam compositionem, viam ad solidam et accuratam aperiri interpretationem. Quod autem alia adiumenta solidioris exegeseos attinet, sunt ea vel ignota multis, vel maioris pretii, quam ut a multis possint comparari. Ut igitur commodis Academicae iuventutis, praesertim vero Auditorum meorum honoratissimorum in hac parte consulerem, ad conscribenda Scholia in N. T. quorum Tomum primum iam exhibeo, animum appuli. Selegi nimirum ex annotatis uberioribus *Erasmi, Bezae, Camerarii, Heinsii, Drusii, Grotii, Lightfooti, Bengelii, Wetstenii, Moldenhaweri* et eorum, qui observationes scripserunt, praecipue

Kreb-

Krebsii, Loesneri aliorumque, ea quae mihi viderentur optima, Auctorum verbis vel retentis, vel in compendium redactis. Quamquam autem plurima debeo aliis, deprehendent tamen Viri eruditi, me haud raro veteres interpretationes novis confirmare rationibus, vel etiam meum sequi sensum. Quodsi institutum meum probari Viris doctis intellexero, hunc tomum excipient tres alii, quibus totum corpusculum Scholiorum in omnes Novi Testamenti libros comprehendetur. Quanquam vero haec Scholia non doctoribus scripta, sed discipulis destinata sunt, forsan tamen exercitatioribus, et in interpretatione Sacrae Scripturae multum versatis, haud iniucundum erit, in promptu habere breves annotationes, quas subinde novis observationibus, vel ex lectione, vel propria meditatione augere possint. Quare Bibliopola, vir honestissimus, rogatu meo exemplaria nonnulla maiori forma, et cum spatiosiore margine typis exprimi curavit, quo illi, quibus volupe esset, observationes inter legendum ortas commodius possent adscribere. Faxit Deus, ut per hanc operam meam quamplurimis Theologiae Cultoribus legitimum ac liberale Sacrarum litterarum studium, ad maiorem Summi Numinis gloriam, et uberrimum ecclesiae emolumentum incendatur. Scripsi Erlangae d. XXVIII. Augusti, MDCCLXXVII.

PRAEFATIO.

AD EDITIONEM TERTIAM.

Quum Scholiorum meorum in N. T. editio secunda vix typis exscripta prodiisset, ecce Librarius parare se novam Tomi primi editionem litteris mihi significavit, meque rogavit, ut ad eam ornandam locupletandamve, si aliquid haberem, id conferrem. Feci igitur, quod inter cetera negotia et officia muneris vitaeque facere potui. Praeter eos, quos in praefatione editionis primae nominaveram interpretes, alios etiam haud paucos, qui nostra aetate de interpretatione N. T. optime merentur, consului: nec tamen in iis consulendis acquiescendum, sed etiam sententias eorum, inprimis in explicandis locis obscurioribus, examinandas, et interdum ab iis modeste discedendum esse putavi. Atque sic, ut dies diem docet, pleraque mea castigavi; quae emendanda erant, emendavi, addidique non pauca, quae ad eruendum sensum verborum et illustrandas res facere videbantur. Hoc ita esse, facile qui volunt cognoscent, si perlustraverint emendationes et supplementa ad Tomum primum, quae proxime seorsim typis exscripta prodibunt

ibunt, atque secundae editionis possessoribus venalia prostabunt.

Quod superest, hanc meam operam nec improbatam Viris doctis, nec inutilem fuisse litterarum sacrarum studiosis, impense laetor, Deumque T. O. M. supplex oro, ut eam rei christianae publicae porro salutarem esse iubeat. Dabam Lipsiae, d. 30. mensis Augusti, MDCCLXXXVIII.

PRAEFATIO

AD EDITIONEM QUARTAM.

Novam hanc Scholiorum editionem prioribus esse multo emendatiorem et auctiorem, typorum etiam elegantia nitidiorem, facile, ut puto, cognoscent, qui eam cum illis conferre voluerint. Quamvis igitur lectores de ea re monere non sit opus, aliam tamen ob causam hunc primum Tomum sine praefatione in publicam lucem emittere non possum. Quum enim aliquot plagulae iam typis descriptae essent, allata est mihi editio nova, inscio me, inscio etiam et invito Bibliopola, cuius sumtibus hic liber prodiit, procurata a *I. H. Taubero,* Philosophiae Mag. Philolog. Prof. et Scholae Roeskildensis in Dania Rec-

Rectore*). In hoc igitur Doctissimi Tauberi instituto et labore quid mihi laudandum, quid reprehendendum esse videatur, (seposita tamen iuris quaestione,) paucis indicandum esse existimo, non tantum mei, sed etiam illorum causa, qui forte hoc libro utentur.

Doctrina quidem atque diligentia Tauberi omnino est laudanda. Frequentius enim, quam a me factum erat, contulit interpretes Alexandrinos et libros veteris Testamenti apocryphos; diligenter usus est *Philone* et *Iosepho,* Patribus etiam ecclesiae christianae; consuluit plures interpretes antiquiores et recentiores, quos in praefatione laudavit, multorumque doctorum hominum, inprimis Germanorum et popularium suorum exercitationes, commentationes et opuscula, quae ad interpretationem N. T. faciunt. Multa igitur utilia ab eo esse congesta ad scholia mea augenda, adeo non inficior, ut potius grato animo profitear. Nam ex novo hoc apparatu selegi eas observationes, quae ad confirmandas et illustrandas interpretationes a me iam olim proprositas facere, vel viam ad alium et veriorem sensum re-

pe-

*) Titulus est: *Dr. I. G. Rosenmülleri Scholia in Novum Testamentum. Tomum I. in Evangelium Matthaei elaboratiorem et multis partibus locupletiorem edidit I. H. Tauberus* etc. Havniae 1780. Sumtibus S. Gyldendalii. Tomi secundi pars prior complectitur Evangelium Marci et Lucae. Prodiit deinde a. 1791. Tomus IV. ex eadem officina sine novis accessionibus.

periendum pandere viderentur, easque in hac nova editione suis locis inserui. Quod tamen non ita intelligi velim, ac si in Tauberianis acquievissem. Omnem potius qui ad manus fuit librorum exegeticorum et commentationum ad exegesin N. T. spectantium apparatum eo versavi consilio, ut inde aliquid in meos transferrem forulos, sic tamen, ut semper consilii mei memor, brevitati studerem.

Ingenue professus sum, quid mihi in Tauberi labore laudandum esse videatur; iam liceat mihi etiam dicere, quid displiceat. Maxime displicet hoc, quod omnia ita inter se confusa sunt et mixta, ut nemo discernere possit, quid sit meum, quid Tauberi. Ferri poterat, si Vir doctus vel additiones suas uncis inclusas exhibuisset, vel alio signo indicasset, quid de suo adiecerit. Hoc autem non fecit. Deinde etiam reprehendenda est stili negligentia et inconcinnitas, quae saepe tanta est, ut vix intelligi possit, quid sibi velit auctor; atque haec intelligendi difficultas augetur erroribus typographicis, quibus totus liber scatet. Ne Viro cetero-quin docto iniuriam facere videar, unico saltem exemplo id, quod dixi, verum esse confirmabo. Ad Matth. IV, 24. ubi de Daemoniacis agitur, dixeram (p. 61. 62.) de iis, qui hunc locum tractarunt, atque finieram his verbis: Contrariam sententiam cum multis aliis defendit Cel. *Hessius* in libro: *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn.* Sect. 8. Hic vero *Tauberus,* laudatis multis aliis, qui de eadem re disseruerunt, uno tenore, ut nemo scire possit

possit uter nostrum haec scripserit, ita pergit: — „aliique, quibus e nostratibus, adde, si placet, *pro-*„*gramma Munthianum huius argumenti, Hafniae* „1760. *editum,* et *Ballii nostri commentationem* „*in commentario perpetuo in V priora Matthaei* „*capita*, sive, *udförlig Forklaring over de fem* „*förste Kapitler of Matthaei Evangelium.* Kioe-„benhavn 1779. p. 303—329. quem te legisse nun-„quam poenitebit. Atque hi, qui corporalem, ut vo-„lant (vocant) obsessionem defendere haud dubitant, „habent, quae ipsorum sententiae patrocinentur argu-„menta bene multa, quorum graviora paucis perse-„quar. Primum nihil efficere medicorum placita, „decreta atque consulta ad rem facti negandam. „Deinde, quum eiusdem effectus plures possint esse „causae, quumque multa, non minus singula, „quam iuncta verba, tam in V. quam in N. Te-„stamento, ex usu dicendi vulgari, significatione mu-„tata, renovata adauctaque, ita sint in civitatem „christianam recepta, ut ex ratione doctrinae di-„vinitus traditae, a qua aliae erant barbarae gen-„tes et definiantur, et amplificentur, eorum quoque „in numerum referenda esse, δαιμονιζεσθαι, δαιμονιον „εχειν, et quae eorum locum teneant, cetera ad „unum omnia; tum quoque Petrum, virtutem „et gloriam Messiae, Cornelio Centurioni, eius-„que familiae, ingenio et sensu, rerum iudaica-„rum vix imbutae, paucis exaequaturum, proprie „hoc beneficium a reliquis distinguere Act. X,

„38. Ιωμενος τους καταδυναστευμενους απο διαβολου. „Quid arceret apostolum a verbis propriis, quae „iudaeorum praeiudicatam opinionem de daemoni„bus, morborum coecorum causis non superent, „planius adhibendis, nisi proprie esset haec locu„tio intelligenda? Praeterea etc.“ His similia permulta occurrunt in editione Scholiorum Tauberiana et quidem eo orationis nexu, ut nemo scire possit, uter nostrum sic scripserit. Satius fuisset, si Vir doctus observationes in libros novi Foederis perpetuas, quas publice promiserat, (ut ex praefatione discimus,) seorsim dedisset foras. Ut hoc in posterum faciat, nos optamus, et optabunt sine dubio alii etiam qui literas amant.

Quod reliquum est, Deum precor per Dominum nostrum Iesum Christum, ut operam hanc meam porro in Numinis sui gloriam, et ecclesiae veram utilitatem vergere iubeat.

Dabam Lipsiae, d. 23. Febr. MDCCXCII.

SCHOLIA
IN
EVANGELIUM LUCAE.

Κατὰ Λουκᾶν) *Lucam* (quod nomen contractum esse videtur ex *Lucano*, vel *Lucilio*) fuisse natione Syrum Antiochensem, *Eusebius* et *Hieronymus* tradunt; *Paulus* vero exercuisse medicinam ad Colossenses c. IV, 14. testatur: nec medicum Lucam, cuius Apostolus l. c. meminit, eumdem esse cum nostro specie caret, narrantque scriptores eccl. Euseb., Hieron. al. Natione non Graecum, sed Iudaeum graecae linguae peritum fuisse, ipsum dicendi genus hebraeograecum vel hellenisticum, quo in libris suis utitur, probare mihi videtur. Sed vid. *Christ. Theoph. Kuinoelii Commentar.*, qui in prolegom. ad Luc. §. 2. laudat *Boltenii* sententiam, Lucam parentibus gentilibus natum, adolescentem religionem Iudaicam suscepisse, postea autem ad religionem christianam adductum fuisse. Secundum veterem traditionem suscepit religionem christianam Antiochiae, docente *Paulo Apostolo*. Si scriptoribus quibusdam ecclesiasticis credimus, mortuus est in Bithynia, postquam LXXXIV. aut secundum alios LXXIV. annos in coelibatu explesset; Evangelium

autem edidit XV. aut secundum alios XXII. post Christi ascensionem annis, Alexandriae, ut est in Cod. 13. apud Wetstenium, et versione Syra, vel in Achaiae Boeotiaeque finibus, secundum *Hieronymum* in praefatione super Matthaeum. Haec omnia tamen valde sunt incerta, ut patet ex iis, quae *Io. David Michaelis* prolixe disputavit, in Introd. §. 139. sqq. Hoc unum est certum, fuisse Lucam Pauli a Troade per Macedoniam, et inde iterum Hierosolyma Romam usque individuum comitem, ut ipse indicat Act. XVI, 10. XX. XXVII. XXVIII. Quoniam igitur multas ecclesias vidit, in Palaestina etiam fuit, et Apostolos ceteros convenire potuit, hinc factum est, ut multas de vita et rebus gestis Iesu narrationes acciperet, quas collegit et examinavit, atque ita hunc librum in gratiam Theophili cuiusdam confecit, ut dicit in praefatione. Vid. notanda ad c. I, 1—4. — Verum quod attinet ad Lucae scribendi rationem, potissimum, quae *Sm. Glo. Frischius (De ratione, dicta factaque Iesu et Apostolorum commemorandi, qua Lucas in utroque commentario usus est, dissertatio*, quae nunc repetita est in *Commentationibus* Theologicis a *Rosenmüllero, Fuldnero* et *Maurero* editis Lips. 1825. Tom. I. Part. I.) egregie disputavit, probe notanda sunt. Qui V. D., saepius Lucam enarrando cum facta divinitus effecta, tum aliorum orationes vel hymnos, tum quae angelorum officio evenerint, arte sive potius artificio quodam usum fuisse, ornatusque causa nonnulla scripsisse, nec non eum eorum, quae narraret, pro certo quodam consilio delectum habuisse ordinemque disposuisse, dilucide monstrat. Nec vero hac de causa fidei, qua omnia inde ab initio a testibus percontatum fuisse ipse affirmat, quidquam dero-

derogandum esse; scripsisse Lucam aetati suae ejusmodi historiographiam amanti, eumque hoc quoque nomine praedicandum esse, quod narrationes suas circumspecte, prudenter et ad animos lectorum, quales erant, accommodata instituerit. — Exempla in interpretatione singulis locis afferentur.

De authentia huius Evangelii nulla unquam fuit dubitatio in ecclesiis catholicis et orthodoxis. Semper hic liber Lucae est praelectus, explicatus et pro canonico habitus. Hoc patet ex IRENAEO adv. Gnost. Lib. III. c. 2. EUSEBIO, Hist. eccles. L. III, c. 24. VI, c. 25. et HIERONYMO, in libro de scriptoribus ecclesiasticis. *Haereticorum* vero alii Lucam solum receperunt, alii eum repudiarunt. TERTULLIANUS: *(de praescript. haeret.* c. 51. edit. Seml.) *Cerdon — solum Evangelium Lucae, nec tamen totum recipit.* IRENAEUS Lib. I. c. 29. de *Marcione: Id quod est secundum Lucam Evangelium circumcidens, et omnia quae sunt de generatione Domini conscripta, auferens, et de doctrina sermonum Domini multa auferens etc.* Sed hanc assertionem impugnavit *D. Iosias Frider. Christian. Loeffler*, in dissert. *Marcionem Pauli epistolas et Lucae Evangelium adulterasse dubitetur.* Traiecti ad Viadrum 1788. inserta quoque Commentationibus Theologicis editis a Velthusen aliisque, Tom. I. 180. sqq. PHILASTRIUS: *Cerinthus — Evangelium secundum Matthaeum solum accipit, tria Evangelia spernit, Actus Apostolorum abiicit.*

Authentiam quoque duorum priorum capitum Lucae, inde a versu 5. cap. I., gravissimis argumentis *Eichhornius* Einl. p. 630. sqq. *Ammonius* Opusc. Nov. p. 32.

Paulus in Comment. ad Luc. 1, 1—3. *Bertholdtus* Einl. Th. 3. p. 1297. sqq. *Gersdorfius* in *Beiträgen* zur *Sprachcharakteristik* der Schriftsteller des N. T. Th. 1. p. 160. sqq. comprobarunt contra eos, qui spuria illa esse putarent.

Caeterum conferri possunt de hoc Lucae Evangelio praeter *Wolfium* in curis, *Wetstenium*, *Michaelem* et alios *D. Henr. Carol. Alex. Haenlein* Lehrbuch der Einl. in die Schriften des N. T. Erlang. 1802. 8. p. 357. sqq. *Io. Adrian. Boltenius* in praefatione vernaculae versioni praemissa; *Bertholdt* Einleit. Th. 3. p. 1286. sqq. et *Io. Leonh. Hug* Einl. in d. Schrr. d. N. T. Th. 2. p. 120. sqq.

Quamquam Lucas plurimas narrationes audivit ex testibus oculatis, (c. I, 3.) saepe tamen Matthaei etiam commentaria consuluit et ex his in librum suum haud pauca transtulit. Vid. e. c. Luc. III, 7. 8. 9. 16. 17. coll. Matth. III, 7—12. Luc. V, 20—38. coll. Matth. IX, 2—17. Luc. IV, 1—5. coll. Matth. XII, 1—5. Luc. VII, 22—28. coll. Matth. XI, 4—11. Luc. XII, 22—31. coll. Matth. VI, 25—33. etc. Quod autem ordinem temporum, quo singulae historiae narrantur, attinet, magna diversitas est inter Matthaeum et Lucam, ut nemo negabit, qui a cap. IV, 39. nostri Evangelii utrumque comparaverit. Verisimillima huius diversitatis causa est haec, quod alius alio consilio scripsit, et huic consilio suo ordinem temporis accommodavit. Matthaeus nempe e serie temporum narrasse videtur, Lucas vero, ut ex ipso opere patet, non unice ordinem temporum sequitur, sed classes historiae Christi instituit, et in singulas classes refert id, quod ad eam referendum erat, hunc fere in modum:

Clas-

Classis I. complectitur narrationes de natalibus Christi, cum iis, quae antecesserunt, et quae proxime secuta sunt. c. I. II. 40.

Classis II. continet descriptionem iuventutis Christi, c. II. 41—52.

Classis III. In hac describitur Ioannis praedicatio, et baptismus Christi, cui genealogia annexa est c. III.

Classis IV. comprehendit res in *Galilaea* actas per totum triennium muneris Christi, a cap. IV. usque ad c. IX, 50. Quum nempe Lucas narrasset historiam tentationis Christi, quae in deserto evenit, statim addit v. 14. eum in Galilaeam rediisse, et passim nominat Nazaretham, (v. 16.) Capernaum, (v. 31.) lacum Gennesaret. (c. V, 1.) Sic usque ad cap. IX. 50. res in Galilaea gestas describere pergit.

Classis V. eaque ultima incipit c. IX, 51. ubi a Scriptore ultimum Christi iter Hierosolymitanum notatur. Ergo omnia reliqua ad ultima vitae Christi tempora pertinent.

Modus narrandi, quo Lucas utitur, non inusitatus est aliis historiarum scriptoribus. Sic SUETONIUS vitae Augusti partes singulatim, non per tempora, sed per species exsequi se velle professus est (c. 12.) hoc est, narrare de bellis, honoribus, legislatione, disciplina, vita domestica. Idem Scriptor vitam *Caesaris* narravit sic, ut alicubi de omnibus eius victoriis, alibi de praeliis adversis, alibi de sceleribus eiusdem exponeret. Contra ipse Iulius Caesar res suas in Gallia et bellis civilibus gestas ex accurata temporum serie descripsit.

Verum

Verum Lucae et Matthaei comparandi rationem illustravit *Bengelius* in Harmonia, quem Bertlingius imitatus est. Omnia, quae diverso ordine ab utroque Evangelista narrantur, bis evenisse, ab omni verisimilitudine abhorret

CAP. I.

1—4 *Postquam multi scripserunt de rebus inter nos gestis, sicut eas nobis tradiderunt, qui ab initio testes oculati et pars aliqua rerum gestarum fuerunt; visum est mihi etiam, qui ab initio inde omnia diligenter perscrutatus sum, deinceps tibi scribere, optime Theophile, ut cognosceres eorum, quae edoctus es, certam veritatem.*

1. Ἐπειδήπερ, usu non differt ab ἐπειδή, *postquam, quum, quoniam.* Ἐπιχειρεῖν est quidem *admovere manum, conari, aggredi;* sed alteri verbo iunctum, saepe otiose, et de effectu alicuius rei, sine respectu ad conatum, ponitur. Igitur ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι positum est pro ἀνετάξαντο, *conscripserunt.* Sic *Iosephus* in vita sua: Ἰοῦστος γοῦν συγγράφειν τὰς περὶ τούτων ἐπιχειρήσας πραξεις, *Iustus igitur, qui, quae a nobis gesta sunt, scripsit.* Ita et *Philo* saepius. Quinam fuerint οἱ πολλοὶ, qui ante Lucam de rebus Christi et Christianorum scripserunt, ignoramus. Nostra Evangelia Lucas vix respicere potuit, quia nec Marci nec Ioannis, sed Matthaei Evangelium tantum exstitisse tum videtur. Apocryphorum Evangeliorum haud exiguum fuisse numerum, et in his falsa admista fuisse veris, dubio caret. An vero Lucae aetate eiusmodi Apocrypha iam exstiterint, de eo nihil certi statuere possumus. Refert tamen

Papias

Papias (ap. *Euseb. in hist. Eccles.* Lib. III. c. 39.) multos vertendo interpretatos esse hebraicum vel syro-chaldaicum Evangelium Matthaei. Ματθαῖος, (inquit) Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο. ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος. Si huic Papiae narrationi fides tribuenda est, variae iam prima aetate exstiterunt versiones Evangelii Matthaei, vel ut alii malunt Evangelii Nazarenorum hebraici, graecae etiam, variis additamentis auctae. Vid. *Storr über den Zweck der evangelischen Geschichte u. d. Br. Iohannis.* p. 357—59. Ἀνατάσσεσθαι, idem quod συντάσσεσθαι, *componere, in ordinem redigere*, proprie quidem de militibus usurpatur, deinde vero ad alia etiam transfertur, ut hic: ἀνατ. διήγησιν, *componere, perscribere narrationem.* περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων) *De iis negotiis atque rebus, quarum nobis est certa exploratague cognitio*, i. e. περὶ τῶν πραγμάτων, ἃ ἐν ἡμῖν γεγνῆσθαι πληροφορούμεθα, ut metonymice de rebus dicatur, quod propie de personis effertur. Nam graece πλήρης φορὰ est *plena mensura;* inde πληροφορέω, *plenam mensuram affero;* relate ad animum: *plenam mensuram argumentorum affero alteri*; ergo in Passivo πληροφοροῦμαι, *affertur mihi copia argumentorum, persuasissimum mihi habeo.* Hoc vero loco non homines sed πράγματα sic dicuntur: quod alias inusitatum est. Ex re ipsa apparet, πράγματα *persuasa et certa*, esse *res certas*, de quibus constat inter omnes. Istae res hic sunt vita Christi, et res ab eo gestae. Occurrit tamen πληροφορεῖν 2 Tim. IV, 5. eo sensu, ut idem sit quod πληροῦν, (Act. XII, 25. Col. IV, 17.) *conficere, efficere, satisfacere negotiis* Unde verti possunt haec verba: *de rebus inter nos* (in Palaestina) *gestis.*

2. Καθώς

2. Καθὼς — τοῦ λόγου) *Sicut eas nobis tradiderunt, qui ab initio testes oculati et administri rerum gestarum fuerunt.* Nam ὁ λόγος h. l. significat res ipsas et doctrinam, quae narratione continentur. Παραδιδόναι, *tradere*, (sc. ore) h. l. opponitur verbis γράφειν et ἀνατάσσεσθαι διήγησιν. Ὑπηρέται τοῦ λόγου, *administri, socii negotii*, qui ipsi rerum gestarum pars aliqua fuerunt, ut adeo Christi cognati, amici, apostoli aliique discipuli intelligantur. Ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio*, non tantum muneris Christi, sed et omnium earum rerum, quae ad historiam eius pertinent, e. c. eorum, quae ante et statim post eius nativitatem contigerunt.

3. Ἔδοξε κἀμοί) *Visum etiam mihi;* sponte propria: non ergo Pauli iussu, ut quidam putarunt. Versio Gothica et codd. latini addunt: *Et spiritui sancto*; quia eos offendit haec formula. Sed nullo modo singulare divinum auxilium in conscribendo evangelio Lucas vindicat, imo potius in verbis κἀμοὶ ἔδοξε omnia ad suam ipsius indagationem et operam refert. παρηκολουθηκότι — ἀκριβῶς) *postquam in omnia a principio diligenter inquisivi.* Παρακολουθεῖν h. l. est: *mente sequi, perscrutari, intelligere.* Ἄνωθεν, a principio altius repetendo, a conceptione Ioannis Baptistae; ἀπ' ἀρχῆς, ut modo dixerat. καθεξῆς) *ordine*, (h. l. non temporis, sed rerum) *serie perpetua*, vel potius *sigillatim*, Act. XI, 4. *deinceps*, c. XVIII, 23. κράτιστε Θεόφιλε) Quis hic *Theophilus* fuerit, ignoramus. Sine causa dubitarunt nonnulli, an h. l. sit nomen individui cuiusdam hominis, an vero compellatio cuiusvis Deum amantis et colentis. Si enim posteriore modo acceperimus, videri poterit vox κράτιστε ex superfluo addita. Fuisse alicuius dignitatis, viri docti ex compellatione

κράτιστε

κράτιστε colligunt; nam convenit hoc epitheton viris principibus, et qui magna sunt auctoritate, Act. XXIII, 26. XXVI, 25. Sed et hoc incertum est, quia amicos etiam hoc nomine compellari moris erat, ut patet ex locis a *Wetstenio* laudatis, et Act I, 1. Lucas Theophilum simpliciter allocutus est, omisso illo elogio. Est etiam blandientis compellatio, apud *Theophrast.* Charact. 6. Hoc unum certum esse videtur, hunc Theophilum fuisse Christianum, a Luca ad professionem nominis christiani adductum, et extra Palaestinam viventem, quia Lucas de situ locorum in Palaestina multa affert, quae nonnisi exteris ignota esse poterant.

4. Ἵνα ἐπιγνῷς — ἀσφάλειαν) *Ut, quae* (ante baptismum generali quadam) *institutione acceperas, nunc certius cognoscas.* κατηχεῖν, *viva voce docere, instruere.* Ἀσφάλεια *veritas, certitudo,* λόγων i. e. τῶν πραγμάτων, (v. 1.) *rerum in facto positarum, historiarum.* Indicat Lucas v. 1—4. consilium, quo hoc Evangelium scripserit. Noluit similes libros, unde res eaedem peti possent, repudiare vel inutiles reddere per suos commentarios; nam ex verbo ἐπεχείρησαν (v. 1) hoc nullo modo sequitur. Quoniam vero Evangelia interpolata, in quae *Theophilus* inciderat, in multis discrepabant, et sibi fortassis etiam haud raro contradicebant, Lucas per suos hos commentarios dubitationes ei omnes adimere, eaque tradere voluit, quae post accuratam indagationem ab iis accepisset, qui αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου fuerant.

5. Ἐγένετο — Ἐλισάβετ.) *Vixit tempore Herodis, regis Iudaeae sacerdos quidam, ex classe sacerdotali Abiae, cuius uxor Elisabet genus ducebat ex Aaronis fami-*

familia. Ἐγένετο, *fuit, vixit.* Ἐν ταῖς ἡμέραις, i. e. ἐν τῷ χρόνῳ, בְּיְמֵי. Haec formula de rege aut imperatore adhibita, semper fere reddenda est: *sub imperio, regnante.* Hoc loco intelligitur *Herodes Magnus*, Ascalonita, ex stirpe Idumaea, Antipatri filius, et rex Iudaeae a senatu Romano ad petitionem *Antonii* declaratus; per annos septem et triginta regnavit. Satis cavit Lucas, voci ἱερεὺς addito τις, ne Zacharias fuisse putaretur pontifex maximus, quod a veteribus multis falso creditum, vel ἐφημερίᾳ satis evincit; nam pontifex maximus nulli classi sacerdotum accensebatur. ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά) Vox ἐφημερία denotat proprie *functionem quae unum diem durat*, vel ad stata tempora restringitur; deinde vero, et quidem hoc loco *ipsam sacerdotum, qui eo officio funguntur, classem.* Narratur 1 Chron. XXIV. quomodo David familiam Aaronis in XXIV. classes distribuerit, inter quas domus Abiae locum octavum occupavit. Eundem ordinem restituit *Hiskias* 2 Chron. XXXI, 2. et *Nehemias* c. XII. XIII, 30. Tradit autem *Iosephus* Antiquitt. Lib. VII, c. 15. §. 7. rem ordinatam sic, ut una familia ministra esset Dei, diebus octo, ab uno sabbato at alterum sabbatum. Sacerdotes, qui in templo Hierosolymitano sacris operati sunt, non solum interdiu fuerunt in templo, sed etiam noctu, ut et vigilias agerent. Non solum victimas parabant, sed et lampades et ligna, et omne praestabant opus manuarium, quo opus erat. καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών) *Ex filiabus*, i. e. *posteritate Aaronis*, hebraico more. Quod vero *Zacharias* Aaronida mulierem duxit, non factum est ex obsequio erga legem, ut quidam volunt, (nulla enim lex obstabat, quo minus virginem ex alia tribu ducere potuisset,) sed

Lucas

Lucas hac narratione nobilitatem *Ioannis* ex utroque sanguine commendat. Sic etiam *Iosephus* de sui ipsius vita, 1. scripsit: ἐμοὶ δὲ γένος ἐστιν οὐκ ἄσημον, ἀλλ' ἐξ ἱερέων κατάβεβηκός: ὥσπερ δὴ παρ' ἑκάστοις ἄλλη τίς ἐστιν εὐγενείας ὑπόθεσις, οὕτως παρ' ἡμῖν ἡ τῆς ἱερωσύνης μετουσία τεκμήριον ἐστι γένους λαμπρότητος. Ἐλισάβετ) Hebraeum nomen est אֱלִישֶׁבַע, quo etiam appellatur uxor Aaronis Exod. VI, 23. Graeco interpreti.

6. Ἦσαν δὲ — τοῦ θεοῦ) *Erant autem ambo vere pii*, virtutis sincerae studiosi. Nam δικαιοσύνη saepe est omne genus virtutum. Vid. Matth. I, 19. V. 20. Ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, *in conspectu Dei*, hebr. בְּעֵינֵי יְהוָה, לִפְנֵי יְהוָה, i. e. *revera*, *manifeste*. Nam coram Deo aliquid esse dicitur, quod revera tale est, quale esse dicitur, quia Deus rerum intima penetrans non potest falli. Vid. Gen. VII, 1. πορευόμενοι — ἄμεμπτοι) *Omnia praecepta et statuta Dei sequebantur irreprehensi.* Πορευόμενοι, *incedentes*, i. e. *viventes*, hebr. הֹלֵךְ. In aliis locis scriptores sacri et LXX. utuntur verbo περιπατεῖν. Discrimen inter ἐντολὴν et δικαίωμα hoc observatur, quod ἐντολή notet praeceptum aliquod morale; δικαίωμα vero, hebraice חֹק, praeceptum vel ceremoniale vel forense. Non tamen est necesse, ut haec duo vocabula anxie hic discernantur; tota enim phrasis indicat: *omnia praescripta et leges Dei observare.* Ἄμεμπτοι, i. e. ἀνεπίληπτοι, ita ut nemo eos iure reprehendere posset. Referendum hoc ad bonum rumorem illum, quo apud homines florebant, ut membrum antecedens de eorum interna, Deoque cognita pietate intelligendum.

7. Καὶ

7. Καὶ ἀμφότεροι — ἦσαν) *Et ambo provectae aetatis erant.* Phrasis προβεβηκώς τῇ ἡλικίᾳ, vel χρόνῳ, et προβεβηκώς vel προβεβηκυῖα sine adiectione Graecis usitata est. Lucas autem, addens vocem ἡμέραις, alludit ad hebraeam phrasin, quae Graecae ab ipso usurpatae aequipollet, et inter alias ipsam quoque vocem יָמִים in se comprehendit, e. g. Gen. XVIII, 11. de Abrahamo et Sara: erant בָּאִים בַּיָּמִים, *provectae aetatis.*

8. Ἐγένετο — τοῦ Θεοῦ) *Accidit autem interea, dum munere sacro fungebatur ex ordine suae classis in templo.* ἱερατεύειν) hebr. עָבַד, *operari sacris,* λειτουργεῖν. ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ) i. e. quum ad familiam Abiae ordo rediisset, quod fiebat post intervallum 168. dierum. Classis Abiae ordine erat octava; (v. 5.) et munere fungebatur mense quarto anni Iudaici, nostro mense Iulio. Post reditum Zachariae, circiter mense Augusto Elisabeth concepit Ioannem. Videtur igitur Ioannes natus esse mense Maio, Iesus autem (v. 36.) mense Septembri vel Octobri. Haec tamen incerta sunt. Cf. *Henr. Eberh. Gottlob Pauli Commentar.* T. I. p. 40. seq. ἔναντι τοῦ Θεοῦ) לִפְנֵי יְהוָה, *in templo,* ubi Deus peculiari modo praesens credebatur. 1 Reg. VIII, 62. 64. Ps. LXVIII, 6. Solet id genus loquendi (ἱερατεύειν ἔναντι τοῦ Θεοῦ) usurpari de toto illo ministerio sacerdotali, tam quod in templo, quam quod sub dio peragebatur.

9. Κατὰ τὸ ἔθος — τοῦ κυρίου) *Ut, pro more muneris sacerdotalis, sors illi caderet muneris adolendi thura, ita ut Sanctum ingrederetur.* Nam ἱερατεία est ἡ ἱερατικὴ λειτουργία. Varia autem sacerdotum

in

in templo munera sorte assignari solebant. Prima ergo sortitione designabatur, qui altare exterius purgaret; secunda, tredecim legebantur, qui agnum mactarent, sanguinem spargerent, lampades aptarent, et partes victimae ad altare deportarent; tertia, qui suffitum adoleret; quarta, qui per clivum ascenderet, et membra victimae altari imponeret. Honoratissimus is fuit, qui suffitum adolebat, quo officio nonnisi semel defungi poterat, ut patet ex locis Thalmudicis Wetstenio laudatis. εἰς τὸν ναὸν τοῦ κυρίου) ναός h. l. est *Sanctum*, τὸ ἅγιον, in quo erat altare suffitus. Hebraei eam aedem proprie הֵיכָל vocant. 1 Reg. VI, 5.

10. Πᾶν τὸ πλῆθος — θυμιάματος) Moris erat, ut populus preces funderet tempore sacrificii iugis. Factum est hoc autem tempore matutino. Vid. Exod. XXX, 7. Ἔξω, scil. in atriis. θυμίαμα, *suffimentum*, h. l. ipsa suffitum faciendi actio. τῇ ὥρᾳ τ. θυμ. *hora qua thus adolebatur.*

De tota, quae nunc sequitur, narratione geniique coelestis apparitione, num proprie accipienda, an mythis vel philosophicis vel historicis annumeranda sit, multum disputatum est. Quod *Kuinoelius* in Commentar. Vol. II. p. 261. sqq. de variis antiquiorum et recentiorum interpretum opinionibus et coniecturis instituit, examini, imprimis addenda est *Frischii* sententia (in prolegom. ad Lucam iam commemorata); qui V. D. hancce narrationem inter eas referendam esse existimat, quibus Lucas ut placeant suae aetatis hominibus, miraculorum avidis, artificio quodam ornatusque causa scripserit. Artificiose quaedam scripsisse Lucam ex eo contendit *Frischius*, primum, quoniam plures homines,

vel

vel locis remotis habitantes (e. c. Petrum et Cornelium Act. X.), vel nullo hucusque necessitudinis vinculo coniunctos (e. c. Zachariam, Elisabetham et Mariam), una divinitus monitos narret, ut alterius causa aliquid agant, perficiant, credant; deinde, quoniam personas vel orationes habentes vel hymnos proferentes introducat; denique quoniam angelorum officio (ut hoc loco) evenisse narret, quae alibi nexui rerum, qualis esse solet, vel diserte tribuuntur, vel pro meliori, quam nacti sumus cognitione, tribuenda sunt. Quae eiusmodi, quas non ab hominibus, οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται, sed traditione accepisset, narrationes tractandi ratio apud nullum V. vel N. T. scriptorem, si auctorem apocryph. libri Tobiae exceperis, nisi apud Lucam in utroque Commentario sit obvia. Sed *Frischii* commentatio de hac re dignissima est, quae a quovis litterarum sacrar. cultore summa cum diligentia totaque perlegatur.

11. Ὤφθη — θυμιάματος) *Et apparuit ei angelus Dei, ad dextrum arae stans, in qua thus adolebatur.* De significatione vocis ἄγγελος vid. notata ad Matth. I, 20. Adde, quod ad illustrandum locum nostrum vel maxime pertinere videtur, Exod. III, 2. *flammam ignis,* ex qua Moses vocem audivit, vocari angelum Dei. Non tam quaerendum est hic, quid viderit, quam potius quid audiverit Zacharias. Nam omnia quae dicta sunt Zachariae v. 13. sqq. revera ita evenerunt. Caeterum altare duplex erat, alterum exterius, interius alterum, quod ad suffitum adhibebatur.

12. Καὶ — ἐπ' αὐτὸν) *Quo viso Zacharias valde conturbatus, et metu correptus est.* Ἐπιπίπτειν, *incidere,*

cidere, *irruere*, metaphorice de iis usurpatur, quae animum aut corpus afficiunt. Cf. Exod. XV, 16. Non erat hoc novum, nam sacerdotes Hebraei haud raro leguntur in sancto aut visum habuisse, aut voces audivisse. Vid. Wetstenius ad h. l.

13. Εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου) Simul cum suffitu preces Deo offerebat sacerdos; nec sacerdos tantum, sed et Israelitae foris stantes. Eae preces concipiebantur pro Dei populo, imo, si *Iosepho* et *Philoni* credimus, pro mundi totius salute. Cum his precibus Zacharias sine dubio preces pro obtinendo filio coniunxerat. Has preces angelus dicit exauditas; nam prae foribus esse adventum Messiae, cuius anteambulo destinatus sit is, qui Zachariae nasciturus erat filius. τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ιωάννην) יְהוֹחָנָן a contracto יְהוֹה et verbo חָנַן, proprie est: θεὸς ἠλέησεν, aut ἐχαρίτωσεν. Ἰωάννης igitur significat *donum Dei*, filium a Deo donatum.

14. Καὶ ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις) *Is* (Ioannes) *erit tibi gaudio et laetitiae.* Nomen Ioannis repetendum videtur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ita ut sit appositio Hebraeis et Graecis familiaris, quam Latini exprimunt tertio casu.

15. Ἔσται γὰρ μέγας ἐνώπιον τοῦ θεοῦ) *Vere magnus et illustris erit.* Nam Hebraismus לִפְנֵי יְהוָה, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, saepe rei veritatem indicat, vel singularem quandam praestantiam. Vid. supra v. 6. Μέγας, i. e. illustris, magnis animi dotibus instructus. σίκερα) *Sicera*, vox indeclinabilis hebraica, שֵׁכָר, quivis potus inebrians non ex vitibus confectus, ut Hesychius explicat in Lexico. Est genus cerevisiae; nam, ut *Kimchi* observat, ex frugibus, tritico, hordeo, melle et dactylis con-

conficiebatur hic potus. *Pesachim:* Sicera Medica, in quam proiecerunt aquas hordei i. e. cerevisia. Aliis σίκερα est vinum non temperatum aqua, merum; οἶνος autem *vinum aqua temperatum.* Quidquid sit, sensus est: Omnis generis potu calidiore abstinebit. Hoc erat illorum, qui externam etiam sanctimoniam prae se ferebant, et vitam agebant asceticam. Quapropter de eo, qui Naziraeatum voverat, scriptum erat in lege: ἀπὸ οἴνου καὶ σίκερα ἁγνισθήσεται, Num. VI, 3. Quia enim vino et sicera ratio perturbatur, ideo ab his abstinere debebant, qui Deo erant consecrati. Ioannes autem gravissimis negotiis erat destinatus. Quare perpetuo abstemiam vitam vivere iubetur, quum alias Naziraeis, ad tempus Deo consecratis, ad tempus tantum abstinendum esset a vino et sicera. Exemplum Deo devoti infantis vid. Iud. XIII. καὶ πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται) *Nam singularibus donis Spiritus exornatus erit.* Plenus spiritu est, qui eximiis animi dotibus est praeditus Cf. v. 17. ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ) *iam inde ab utero matris suae*, i. e. *a pueritia.* Nam ἔτι saepe usurpari pro ἤδη, *Raphelius*, *L. Bos*, *Kypkius* aliique exemplis ex profanis probarunt. Phrasis ἐκ κοιλίας μητρὸς occurrit etiam Ps. XXII, 10. (hebr. v. 11.) מִבֶּטֶן אִמִּי, *a prima aetate.* Cf. Act. III, 2.

16. Πολλοὺς τῶν υἱῶν — κύριον) *Convertet*; i. e. faciet, ut multi moribus emendatis se convertant; nam ἐπιστρέφειν transitive hic ponitur. ἐπὶ Κύριον τὸν Θεὸν αὐτῶν, *ad Iehovam Deum suum.* Intelligunt alii Deum in universum, alii peculiariter Messiam, et respici putant ad Ies. XL, 3. sqq. Intelligendus esse videtur Deus Israelitarum tutelaris, et Lucas sine dubio ante

oculos

culos habuit locum Mal. III, 1. 23. ex quo Iudaei exspectabant Eliae adventum ante Messiam, cui in regno constituendo opem ferret.

17. Καὶ αὐτὸς — Ἠλίου) *Et ipse praeibit illum instructus dotibus Eliae.* Ἐνώπιον αὐτοῦ, sc. κυρίου, v. 16. Προέρχεσθαι ἐνώπιον τινος est, *praecedere aliquem in munere*, vel etiam *ei ministrare*, ut vertere possis: *ministrabit Deo*, legatum et praeconem aget negotii divini per Messiam perficiendi. ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου) *Animi dotibus et ingenio similis Eliae*, vel etiam donis eiusmodi praeditus, quibus Elias fuit instructus. De exspectatione Eliae Messiam praecursuri cf. etiam Mth. XI, 9. 14. Πνεῦμα pro eximiis animi dotibus haud raro ponitur. Δύναμις autem saepe est *ingenii sollertia*, *rerumque tractandarum peritia*, ut Reiskius docet animadv. ad gr. Auct. Vol. IV, p. 73. sqq. Respicit angelus ad verba Malachiae c. III. 23. ἐπιστρέψαι — τέκνα) Sensus est concisus: *Efficiet Ioannes, ut parentes iuxta cum liberis, i. e. omnis aetatis et indolis homines resipiscant.* Nam ἐπὶ h. l. ponitur pro hebraico עַל, Malach. III, 24. לֵב אָבוֹת עַל־בָּנִים. Locutio est instar proverbii, ad multitudinem significandam, ut Exod. XX, 5. XXXIV, 7. Quia vero apud Malachiam additur: וְלֵב בָּנִים עַל־אֲבוֹתָם, posset etiam sensus esse: *reconciliabit animos patrum filiis;* ad amorem mutuum excitabit parentes et liberos; proprie: convertet animos parentum ad liberos. Quia de religione sermo est, intelligitur sine dubio hoc, Ioannem docendo et hortando effecisse, ut Deum omnes simili modo cognoscerent, amarent, colerent. Sic similia studia omnibus instillavit. καὶ ἀπειθεῖς — δικαίων) *et scelestos*

ad sensum, quo homines probi praediti sunt. Ἀπειθεῖς, Hebraeis מוֹרִים, sunt immorigeri, inobedientes sc. Deo, i. e. *scelesti.* Φρόνησις h. l. non est prudentia, sed *sensus, studium.* Hoc significatu verbum φρονεῖν haud raro occurrit, ut Rom. XIII, 5. Phil. II, 5. Ex similitudine membrorum patet, ἐν pro εἰς esse sumendum. Sensus igitur est: Scelestos convertet huc, ut sensum habeant piorum. *Lampertus Bos* una serie legendum putat: καὶ ἀπειθεῖς — λαὸν κατασκευασμένον, et vertit: *et rebelles, suadendo iustitiam reddat Domino instructum populum.* Vocem δικαίων h. l. neutrius generis esse existimat, et subaudiendum πραγμάτων. Φρόνησιν autem esse *actum suadendi, suasionem, consilium.* ἑτοιμάσαι κυρίῳ λαὸν κατασκευασμένον) *ut paret Domino populum, qui paratus sit (ad accipiendum regnum coelorum).* Itaque praeterita vox sumenda hic indefinite, more hebraeo. Neque offendere nos debet, quod bis idem dici videtur, (quia ἑτοιμάζειν et κατασκευάζειν sensu vix differunt,) quum eiusmodi pleonasmis abundet sermo hebraeus et hellenisticus.

18. Κατὰ τί γνώσομαι) i. e. τίνι, vel ἐκ τίνος; *quo argumento istud* (scil. eventurum esse) *noscam?* Verba ipsa sunt, quae LXX. in *Abrahami* similiter loquentis historia usurpant, Gen. XV, 8. πρεσβύτης, *senex*, sed non semper *grandaevus, decrepitus.*

19. Γαβριὴλ) Iudaei nomina angelorum in Chaldaea didicisse videntur. Imponuntur autem nomina angelis a ministeriis, quibus ex mente Iudaeorum a Deo sunt destinati. Sic גַּבְרִיאֵל (a גֶּבֶר et אֵל) est δύναμις θεοῦ, Dei robur, quia eo ministro Deus utitur ad summam potentiam suam expli-

explicandam. Vid. *Wetsten.* ad h. l. Ad hanc vulgi opinionem angelus se accommodat. ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ θεοῦ) Locutio ex aulis orientalibus sumta, nam *stare coram* rege dicitur is, cui semper aditus ad eum patet. Itaque tantundem est, quasi dicat *non quemvis ministrum, sed satrapam se esse regni coelestis.* Vid. de hac phrasi 1 Reg. X, 8. Cf. Matth. XVIII, 10. καὶ ἀπεστάλην — ταῦτα) *Missus ut laeta haec tibi nuntiarem.*

20. Καὶ ἰδοὺ — ταῦτα) *Tu vero tacebis, nec loqui poteris ad illud usque tempus, quo haec eventura sunt.* Ἔσῃ σιωπῶν, futurum, per se et de futuro tempore in imperativo intelligi potest. Multo saepius, quam in Mtt. et Mc., particip. a Luca iungitur verbo substantivo. Μὴ δυνάμενος λαλῆσαι, dicitur is, qui vel propter physica, vel propter moralia impedimenta loqui non potest. Ἀνθ' ὧν — αὐτῶν) *Propterea quod fidem verbis meis habere noluisti, quae suo tempore erunt rata.* Ἀνθ' ὧν, *eo quod, quoniam*, quo sensu etiam *Aelianus* usurpat, Var. Hist. L. IV, c. 8. XII, 18. XIII, 29. εἰς τὸν καιρὸν, pro ἐν τῷ καιρῷ.

21. Καὶ ἦν — Ζαχαρίαν) Exspectasse populum Zachariam, ut pro more ei benediceret, negat *Rusius* in Harmon. Evang. ad h. l. fisus *Maimonidi*, qui non eum sacerdotem, cuius thura adolendi in sancto erat officium, sed alium, cui hoc esset demandatum, benedictionem illam recitasse refert. καὶ ἐθαύμαζον — ναῷ) Ἐν τῷ ναῷ, i. e. *in sancto.* Tardavit Zacharias ultra horam τῆς θυμιάσεως, qua peracta, solebant sacerdotes ad populum progredi.

22. Ἐπέγνωσαν ὅτι ὀπτασίαν ἑώρακεν) Ex eo, quod Zacharias valde consternatus et mutus erat, coniiciebant, ei aliquid insoliti evenisse. Sine dubio hoc etiam invicem dicebant. Ὀπτασία, *visio*, quaelibet species visibilis, quae obiicitur vigilanti et somnianti, etiam omne quod insolitum est, et inopinato accidit. Quum igitur Zacharias hoc audiret, ἦν (τοῦτο) διανεύων αὐτοῖς, annuit illis; nutu significavit hoc ita esse. Διέμενε κωφὸς, *mansit mutus*, igitur non ad brevissimum tempus obmutuit.

23. Ὡς ἐπλήσθησαν — λειτουργίας αὐτοῦ) *Cum praeteriisset muneris sacerdotalis tempus.* λειτουργία, *munus*, *ministerium* quodcunque publicum s. privatum, h. l. *ministerium sacerdotale*, ut Hebr. VIII, 6. IX, 21. A LXX. saepius ponitur pro עֲבוֹדָה Exod. XXXVIII, 21. Num. VIII, 21.

24. Περιέκρυβεν ἑαυτὴν) *Occultavit se;* non prodiit in publicum, vel potius: vitavit commercium cum aliis; velavit suam graviditatem; quia quinque primis mensibus nondum satis certa erat de sua graviditate.

25. Ὅτι οὕτω — ἐν ἀνθρώποις) *Hoc beneficium Dominus mihi exhibuit nunc, quum ignominiam meam benigne removit.* In verbis οὕτω μοι πεποίηκεν ὁ Κύριος est Hebraismus. Nam phrasis: כֵּן עָשָׂה לִי אֱלֹהִים significat: hoc Deo debeo; beneficium hoc Deus mihi exhibuit. Ἐπεῖδεν ὀφελεῖν, *visitavit removere*, i. e. clementer removit; tribuit mihi hoc ut removeat. Ἐπείδειν, i. q. ἐπισκέψασθαι, hebr. פָּקַד, *visitare.* Deus autem visitare dicitur hominem, quando ei aliquid tribuit, vel benigne vel iratus. Gen. XXI, 1. XXX, 22. 23.

Ὄνειδος,

Ὄνειδος, *fama mala; ignominia, dedecus,* h. l. sterilitatis. Putabant nempe Hebraei, non placere Deo eum, cui nullam prolem concesserit; hinc vero summum beneficium Dei elucere iudicabat, si cui larga soboles concederetur. Exod. XXII, 26. Deut. VII, 14. Ps. CXIII, 9. Igitur in scriptis prophetarum, quum magna felicitas describitur, commemorari semper fere solet etiam numerosa soboles, et quum poenae divinae annuntiantur, sterilitas etiam nominatur. Ies. IV, 1. XLIV, 3. Hos. IX, 11. 12.

26. Ἐν τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ) *Mense sexto*, sc. a quo tempore Elisabetha gravida esse coeperat. Cf. v. 36. De tota vere hac sectione cf. *Kuinoelium* ad h. l. et ad Matth. I, 8. nec non, quae *Frischius* poëticae narrationis argumenta affert in *Rosenmuelleri* etc. Comment. theol. T. I. P. I. p. 279. sqq.

27. Μεμνηστευμένην) *sponsione promissam*; neque enim adhuc Iosephus eam domum duxerat. De Maria vide quae ad c. 1. Matthaei annotavimus.

28. Εἰσελθὼν) in eam domum, in qua necessariorum et cognatorum cura suberat. Addit auctor *Evangelii de nativitate Mariae*, §. IX. *cubiculum, ubi manebat,* (Maria) *ingenti lumine perfudit.* (Vid. *Fabricii* Cod. apocryph. N. T. Tom. I. p. 33.) Cf. supra dicta ad v. 11. Somnium hoc fuisse, sed somnium a Deo immissum, simile ei, quod Iosepho contigit Matth. I, 20. existimat auctor anonymus in den *Beyträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion* Heft 16. p. 79. sqq. κεχαριτωμένη) *favoris* (divini) *compos facta*, *Hochbegnadigte.* Hoc verbum, quod apud profanos non reperitur, peculiari derivatione est factum ἀπὸ τῆς χάριτος,

χάριτος, quo nomine favor et gratia significatur. Recentiores Graeci utuntur hoc sensu, ut homo κεχαριτώμενος sit *plenus gratia*, *voller Reiz und Anmuth.* ὁ κύριος μετὰ σοῦ) *Iehovah adsit tibi*; sensu precativo; שְׁלוֹם לְךָ. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν) *felicissima mulierum*, nam εὐλογεῖν, בָּרַךְ, dicuntur homines, quum aliis bene precantur. Deus autem non verbis, sed re ipsa *beat.* Ceterum inest in his verbis Hebraismus. Nempe Hebraei, quum superlativum exprimere volunt, solent adhibere positivum, quem sequi iubent pluralem nominum generis rerum, ad quod adiectiva pertinent, ita ut praemittatur praepositio בְּ, e. g. Ier. XLIX, 15. קָטֹן בַּגּוֹיִם, *parvus in gentibus*, i. e. minimus inter gentes.

29. Ἡ δὲ ἰδοῦσα) sc. angelum. *Quae cum vidisset*, s. *audisset*, sc. ipsam angeli salutationem. Constat enim verba visus et auditus ab Hebraeis, Graecis et Latinis quam saepissime inter se mutata esse. Ceterum deest hoc participium in quibusdam codd. et verss. ποταπὸς) Admirantis vox, i. e. quo tandem spectaret, et quae esset eius salutationis sententia. Scaliger ad Manilium ποταπὸς h. l. mavult *cuias* interpretari.

30. Εὗρες — τῷ θεῷ) *Consecuta enim es favorem Dei.* Εὑρίσκειν hebraico מָצָא respondens, saepe denotat *consequi*, *comparare*, *habere.* Phrasis tota est hebraica. Vid. Gen. VI, 8. XVIII, 3.

31. Συλλήψῃ sc. ἔμβρυον, *foetum.* Ἐν γαστρὶ est hebraeus pleonasmus. Aperte respicitur ad Ies. VII, 14. citat. a Matthaeo c. I, 23. Ἰησοῦν) vide ad Matth. I, 21.

32.

32. Μέγας, גָּדוֹל, *illustris, celebratissimus.* Cf. supra v. 15. καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται) *Filius Dei*, i. e. *Messias erit.* ὑψίστος, hebr. עֶלְיוֹן, *summus*, Dei nomen. Ps. IX, 3. XXI, 8. καλέομαι, *sum*, hebraico more. Ies. IX, 5. LVI, 7. Cf. Matth. V. 9. *Filium Dei* autem hic, ut saepius, esse Messiam, sequentia declarant. Cf. Ioan. I, 50. Quum non inter Iudaeos tantum, sed totius orientis, omnesque adeo veteres populos reges appellarentur *Deorum filii; Messias* etiam, summus ille et invictus futurus Iudaeorum rex eodem nomine, eodemque sensu est appellatus, ita quidem, ut χριστὸς et υἱὸς θεοῦ vel ὑψίστου synonyma essent. Origo nominis ita proprie de Messia adhibiti repetenda videtur ex Ps. II, 7. et 2 Sam. VII, 14. Hoc tamen loco ratio nominis haec esse videtur, quod Messias non ex patre humano, sed *vi ipsa divina* esset procreandus (infra v. 35.); quo sensu *Adamus* etiam ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ vocatur (infr. c. III, 38.), quippe immediata vi et potentia Dei creatus. Καὶ δώσει — τοῦ πατρὸς αὐτοῦ) *Cui dominus Deus tradet regnum Davidis, ex quo genus ducit.* ὁ θρόνος est *regnum ipsum.* Messias a Prophetis describitur ut omnium regum ex posteris Davidis maximus, cuius regnum futurum sit celeberrimum, et longe lateque proferendum. Ierem. XXXIII, 15—26. Ezech. XXXIV, 23. 24. Hos. III, 5. Variis figuris et imaginibus adumbratus est Messias in V. T. *Patribus,* Abrahamo inprimis, promissus fuit ut *semen;* per Mosen *prophetam*, ut *propheta;* Davidi, *regi*, ut *rex.* Igitur in Psalmis potius, quam antea, de *regno* Christi canitur.

33. Καὶ *βασιλεύσει — αἰῶνας*) *Populo Israelitico imperabit in aeternum.* Ex 2 Sam. VII, 16. populus Israeliticus nominatur, quia ei genti primum promissus erat Messias. Reliquae gentes autem *Iacobi posteris iungentur iisque associabuntur*, ut Iesaias loquitur, c. XIV, 1. *καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος*) Hoc explicat, quid sit *εἰς τοὺς αἰῶνας*, non in longum tempus, sed sine fine. Ex Daniel. VII, 14. intelligendum est hoc comparate ad cetera huius mundi regna iam crescentia, iam decrescentia. Imperium Iesu in animos hominum superstes florebit, ceteris imperiis extinctis. Quum haec omnia sint e V. Testamento, Maria omnino intelligere potuit describi Messiam, adeoque rem in V. T. praedictam nunc habituram esse eventum. Sed quale futurum esset regnum Messiae, id tum nondum intellexit, vel intelligere potuit.

34. Οὐ *γινώσκω* est: *hactenus viro sum intacta.* Matth. I, 25. Merito admiratur, quomodo conceptura sit sine virili opera, quum eius rei nullum extaret exemplum. *Virum cognovit*, etiam apud *Ovidium* est. Hebraei utuntur verbo יָדַע eodem sensu. Gen. V, 1. Num. XXXI, 17. 18.

35. Πνεῦμα — *ἐπισκιάσει σοι*) *Spiritus sanctus in te operabitur, et vis altissimi te obumbrabit*, i. e. *interventu divinae virtutis, vel per miraculum concipies.* Nam *πνεῦμα ἅγιον venire* dicitur *super homines* eos, quos Deus agitat, et in quibus maiora, quam quae a naturae vi vel exspectari vel produci queant, virtutis suae accessione operatur. Iudic. XIV, 6. 1 Sam. XI, 6. *Δύναμις ὑψίστου* sensu non differt a *πνεύματι ἁγίῳ*, cuius est interpretamentum, quod patet ex comparatione loco-

locorum Luc. XXIV, 49. Act. I. 5. 8. Verbum ἐπισκιάζειν respondet verbo ἐνδύεσθαι, quo uti solent V. T. scriptores iis locis, ubi divinus spiritus occupare homines, supervenire, aut quiescere super iis, adeoque vim suam in iis exserere dicitur. Iud. VI, 34. 1 Chron. XII, 18. Cf. etiam quae ad Matth. XVII, 5. de significatione verbi ἐπισκιάζειν monuimus. Innuit igitur haec vox, futurum esse, ut potentiae divinae interventu gravida Maria filium ederet. διὸ καὶ — υἱὸς Θεοῦ) *Itaque etiam foetus tuus sanctus appellabitur filius Dei.* Ἅγιος, קָדוֹשׁ, (Ies. VI, 3.) est venerabilis propter insignem dignitatem. Ergo hic Iesus dicitur fore venerabilis, homo plane singularis, non unus de multis hominibus. Accedit quod praecesserat illud, foetum hunc non oriturum esse humanis parentibus. Quod autem Deus efficit, id dicitur sanctum. τὸ γεννώμενον, *partus, natus.* Observandum, in hac forma γεννᾶν dici de feminis Latini, *quod natum est, quod peperisset.* Quinctil. Decl. XVIII, c. 3. *natum de te.* Sicut et in his verbis quidam Codd. addunt ἐκ σοῦ. υἱὸς θεοῦ, vid. v. 32.

36. Ἐλισάβετ ἡ συγγενής σου) *Elisabetha cognata tua.* Non est magna hic difficultas fingenda de cognitione inter Mariam ex tribu Iudae, et Elisabetham ex tribu Levi oriundam; nam potuerunt ex diversis tribubus connubia iungi, et tantum vetitum olim fuit virginibus ἐπικλήροις, ne hereditates distraherent. Num. XXXVI, 6. 7. Potuit ergo Mariae mater ex tribu Levi, aut Elisabethae mater vel avia ex tribu Iudae fuisse, atque adeo Mariae patrem propinqua consanguinitate attigisse. Vid. *Buxtorfium* in Catalectis p. 241. καὶ

οὗτος

οὗτος μὴν ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ) Hebraismus; i. e. sextum iam mensem agit a conceptu. τῇ κεκλουμένῃ στείρᾳ) *Quae sterilis esse dicebatur.* Nam καλεῖσθαι in hebraea locutione cum re significat famam rei.

37. Οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα) *Nihil est quod Deus efficere non possit.* Ῥῆμα, דָּבָר, *res.* Gen. XVIII, 14. Est proverbium tritum usu Hebraeorum, לֹא יִפָּלֵא מֵיְהוָה כָּל דָּבָר. Graecum erat: οὐδὲν ἀδυνατήσει ὁ θεός. Ἀδυνατήσει habet vim praesentis. Quod igitur Deus in Elisabetha effecit, id potest etiam in te efficere. Referuntur haec omnia ad omnipotentiam divinam.

38. Ἰδοὺ ἡ δούλη κυρίου) Locutio hebraea, obedientiae propositum notans. Subiicio me omnipotentiae divinae. ἰδοὺ cum nominat. sc. *sum*, Act. IX, 10. γένοιτό μοι) Non consentit tantum virgo, sed et desiderat, eximio fiduciae exemplo. Eveniat mihi prouti tu dixisti.

39. Ἀναστᾶσα) Vox παρέλκουσα, ut et infra c. IV, 38. εἰς τὴν ὀρεινὴν) sc. χώραν, *in regionem montanam.* μετὰ σπουδῆς) pro σπουδαίως, *festinanter*, Mc. VI, 25. Sic *Philo* de vit. Mos. μετὰ σπουδῆς καὶ τάχους, propere ac celeriter. εἰς πόλιν Ἰούδα) *Hebronem* metropolin portionis Iudae significari verisimile est. Nam πόλις, ut hebraeum קִרְיַת, ita solet poni, ut significet μητρόπολιν. Et erat quidem Hierosolyma caput *regni*: at peculiariter *portionis Iudae* urbs praecipua Hebron, ut colligitur 2 Sam. II. Accedit quod Zacharias, in cuius domum Maria adiisse dicitur, fuit sacerdos. Atqui sacerdotes habuerunt proprias quasdam urbes in Palaestina, quas incolebant. Hebron autem fuit talis urbs sacerdotalis. Alii putant, si Hebron significaretur, Lucam

Lucam non potuisse scribere εἰς πόλιν Ἰούδα, sed potius nomen oppidi afferre, et scribere debuisse εἰς τὴν πόλιν Ἰούδα, vel εἰς πόλιν Ἰουδαίας; itaque suspicantur, scriptum fuisse Ἰούττα, vel Ἰούτα, cuius sacerdotum urbis, in montano sita, mentio fit Ios. XV, 55. c. XXI, 16.

41. Ἐσκίρτησε) Solent medici hoc verbo notare motum naturalem infantis in utero, quod ἀσκαρίζειν est aliis. Eodem verbo σκιρτᾷν utuntur etiam LXX. Gen. XXV, 22. Sensus igitur est: *movebatur foetus in utero ipsius.* Hoc fieri constat ultimis praesertim graviditatis mensibus, ac saepius tum, quum animus matris ullo modo valde commovetur ac pertubatur. Hoc ipsum igitur evenit quoque Elisabethae, quae de adventu Mariae impense laetaretur. Perquam probabile est, has feminas ea, quae utrique evenerant, sibi invicem narrasse. coll. v. 45. Audita igitur Mariae narratione Elisabetha ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου; *repleta est afflatu divino,* piis sensibus animi, quibus maxime contenta esse solet mulierum religio.

42. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξί) *O te mulierum felicissimam!* Sicut enim εὐλογεῖν saepe est, *felicem reddere,* ita εὐλογεῖσθαι est, *felicitate frui.* Καὶ εὐλογ. — κοιλίας σου, *o felicissimum filium tuum!* καρπὸς τ. κοιλ. hebr. פְּרִי בִטְנֵךְ.

43. Καὶ πόθεν μοι τοῦτο) Sic loqui solent, qui honorem inexpectatum sibi obtigisse mirantur. ἵνα ἔλθῃ — πρός με; *Dominus κατ' ἐξοχήν* est Messias. Vocat igitur Elisabetha Mariam matrem Messiae.

44. Ὡς ἐγένετο — εἰς τὰ ὦτά μου) Vertere simpliciter licet: *ut salutatio tua pervenit ad aures meas.*

Nam

Nam γενέσθαι pro *venire* saepe usurpant nostri et alii scriptores. Syrus נפל, *accidit auribus.* Ἐσκίρτησεν — τῇ κοιλίᾳ μου) *Vehementer exsultavit foetus in utero meo.* Ἀγαλλίασις solet ad animum transferri: proprie tamen *gesticulationem* significat, qualis esse laetantium solet. Ergo hinc non potest concludi Ioannem iam in utero fuisse prophetam. Cf. v. 41.

45. Μακαρία ἡ πιστεύσασα, ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ κυρίου) Sic enim interpungendum esse videtur, ut post πιστεύσασα ponatur comma, non colon. Generalis esse videtur sententia, sed a muliere ad mulierem elata feminino genere: *Beata, quae credidit eventum habitura ea, quae divinitus ipsi sunt nuntiata*, quomodo accipit Syrus. παρὰ κυρίου, i. e. quod barbare dicunt, *ex parte Dei.* Pro secunda persona tertiam esse positam, et haec verba ad Mariam referenda esse, *tu es felix* etc. probavit pluribus exemplis *Vorstius* in Philologia S. c. 26.

46. 47. Καὶ εἶπε Μαριάμ) Qui nunc sequitur hymnus Mariae simillimus est hymno Hannae verbis et ordine. Cf. 1 Sam. II. Similis est etiam Psalmis Davidicis, sive materiam spectes sive formam. Materiam enim quod attinet, exprimit Maria sensum laetitiae, quod a sua humilitate evecta esset ad magnam dignitatem, et addit, omnipotentem Deum hoc fecisse; deinde vero commoratur in cogitanda Dei omnipotentia, et tandem hoc benificium ad omnem nationem Iudaicam pertinere dicit. Sic Davides in Psalmis saepe laetatur de liberatione ex malis et periculis, et addit, se hoc Deo debere; commoratur deinde in cogitanda Dei misericordia, omniscientia et omnipotentia, et tandem Deum Sioni quoque opem ferre dicit.

dicit. Quod autem ad formam hymni attinet, quaevis periodus, ut in Psalmis, duobus plerumque membris constat, in quibus res rebus, verbis verba quasi demensa et paria respondent. De hoc parallelismo membrorum vid. *Rob. Lowth de sacra Poesi Hebraeorum.* Praelect. XIX. *Frischius* (in Commentatt. theoll. p. 196. sqq.) hunc hymnum, e phrasibus et formulis V. T. compositum, affert, ut doceat, Lucam poëseos adminiculis in narrando usum fuisse. — Conferri quoque potest *Greiling* in *Leben Iesu von Nazareth.* p. 32. 33. *μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον*) *Laudes celebro Domini.* Nam *ἡ ψυχή μου* per Hebraismum נַפְשִׁי est pronominis loco, *ego*; *μεγαλύνειν* autem hebr. גָּדַל significat, *extollere, verbis praedicare, celebrare.* Ps. XXXIV, 3. Sirac. XLIII, 31. *καὶ ἠγαλλίασε τὸ πνεῦμά μου ἐπὶ τῷ θεῷ τῷ σωτῆρί μου*, *laetatur animus meus de Deo, conservatore meo*, sensu idem est, quod *μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον.* Ἐπὶ causam, ipsamque adeo gaudii materiam declarat, et *σωτήρ* est, qui ex malis liberat, et beneficia adiungit.

48. Ὅτι *ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ*) *Nam respexit me, servam suam ignobilem,* humilis conditionis mulierem. Ταπείνωσις τῆς δούλης positum est ex Hebraismo pro *δούλη ταπεινὴ*, *serva, femina obscura et ignobilis.* Verbum *ἐπιβλέπειν*, quum de Deo respectu hominum usurpatur, notat: *propitium esse hominibus, iis succurrere, eos favore amplecti, beneficiis ornare.* Est locutio Scriptoribus Sacris usitatissima. 1 Sam. I, 11. Gen. XXXI, 42. 2 Reg. XIV, 26. *ἰδοὺ γὰρ — γενεαί*) *Nam ab hoc inde tempore omnes nationes felicem me pradicabunt.* Antea, inquit,

eram

eram obscura; ab hoc autem tempore in omnium ore versabor. Ex muliere nemini fere nota, Deus me faciet omnium nobilissimam.

49. Ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα) *Res magnas et miras mihi praestitit.* Μεγαλεῖα, גְּדֻלוֹת, Ps. LXXI, 19. sc. ἔργα, vel πράγματα, *facinora admiratione digna.* Adhibetur inprimis de *beneficiis divinis* magnis et admiratione dignis. Sirac. XVIII, 4. Act. II, 11. Et quum Maria h. l. Deum nominaverit *benefactorem suum*, perspicue inde patet, vocabulum μεγαλεῖα etiam h. l. de beneficio divino esse explicandum. ὁ δυνατὸς) *Potens ille*, i. e. גִּבּוֹר, id enim Dei attributum ita vertunt LXX. Ps. XXIV, 8. καὶ ἅγιον τὸ ὄνομα αὐτοῦ) *et nomen eius summe colendum*, vel: omni venerationis cultu dignissimus, pro: οὗ τὸ ὄνομα ἅγιον. Est haec periphrasis religiosa Dei. Ps. CX, 9. (LXX. Ps. CXI, 9.)

50. Καὶ τὸ ἔλεος — Φοβουμένοις αὐτὸν) *Perpetuo et sine fine benefacit iis, qui religiose eum colunt.* Nam ἐλεεῖν et ἔλεος ποιεῖν, ut Exod. XX, 6. saepe denotat *beneficia tribuere*, et Φοβούμενοι τὸν Θεόν dicuntur illi, qui Deum religiose colunt. Verbum Φοβεῖσθαι, hebr. יָרֵא, quum de cultu Dei usurpatur, est *maiestatem Dei reverenter et observanter colere, suppliciter venerari.* Ies. XXIX, 23. VIII, 13. Ps. XXXIV, 9. Εἰς γενεὰς γενεῶν, *per omnes aetates, perpetuo*, hebr. לְדוֹר־וָדוֹר, ut Ps. LXXXIX, 2. 5. Locus nostro plane similis extat Ps. CIII, 17.

51. Ἐποίησε κράτος ἐν βραχίονι αὐτοῦ) *Magnas res efficit potentia sua maxima.* Quia in brachiis est robur,

robur, per *Dei* brachium maxima eius vis et potentia indicatur. *Κράτος* (respond. *μεγαλεῖα* v. 49.) h. l. est pro *κραταιᾶ*, *fortiter et potenter facta, egregia opera*, hebr. חַיִל, Ps. CXVIII, 16. ubi LXX. habent *δύναμιν*.

διεσκόρπισεν ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν) *Dissipat, qui se fortissimos putant.* *ὑπερήφανος* dicitur homo, qui ob potentiam, quam sibi esse putat, Deum eiusque praecepta contemnit, in homines autem superbit; ergo *Dei contemtor*, *superbus in homines.* *Διασκορπίζειν* respondet hebraico פּוּץ Num. X. 35. et usurpatur inprimis de hostibus fundendis et fugandis. Sensus igitur est: *Hostes imperii Davidici, etiam fortissimos, fugat et dissipat.* *Ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται* inquit Petrus, 1 Epist. V, 5.

52. *Καθεῖλε — ταπεινούς*) i. e. *Principes* (nempe suis rebus superbientes) *imperio privat, et humiles dignitate et honore ornat.* Cf. Ps. CXIII, 7. 8. 1 Sam. II, 8. *Καθαιρεῖν* inter alia denotat *destruere, demoliri*, atque inprimis de urbibus, aedificiis, munitionibus, quae destruuntur, ponitur. 1 Macc. V, 65. Sed usurpatur etiam de iis, qui alios *auctoritate et potestate privant*, ut h. l. Vid. *Elsnerus* ad h. l. *Δυνάστης*, idem quod *τύραννος*, *rex* hebr. מֹלֵךְ Proverb. XXXI, 4. *Ταπεινοί*, vi oppositi sunt homines obscuri et ignobiles. *ὑψοῦν*, *ad dignitatem regiam evehere.* Sic Deus Messiam nasci voluit non ex iis, qui sceptro et divitiis superbiebant, sed ex virgine contemtae sortis, et praedita humili mente.

53. *Πεινῶντας*) Antithesis ostendit *πεινῶντας* hic non vocari famelicos, i. e. eos qui simpliciter esuriant, sed

sed eos, qui ad extremam inopiam redacti sunt, quos Hebraei אֲבִיוֹנִים vocant. *Inopes ditat.* καὶ — κενούς) *et divitibus optata denegat.* Πλουτοῦντες hic iterum sunt divitiis suis elati et superbientes. ἐξαπέστειλε κενοὺς, *vacuos dimittit, opibus privat;* ἐξαποστέλλειν h. l. est *dimittere cum ignominia et contemtu*, ut infra c. XX, 10. 11. et LXX. in *Iobo* XX, 9. χήρας δὲ ἐξαπέστειλας κενάς. Ceterum sensus est idem qui in Hannae carmine, 1 Sam. II, 5.

54. 55. Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ) *Curam suscipit populi sui.* Saepe in V. T. populus Israeliticus vocatur *filius Dei*, e. g. Hos. XI, 1. Exod. IV, 22. 23. Ἀντιλαμβάνεσθαι significat *sublevare prostratum, manibus infirmum prehendere;* hinc *curam alicuius suscipere*, quomodo interpretatur *Elsnerus.* μνησθῆναι — αἰῶνα) *Ita ut perpetuo memor sit favoris*, s. *benignitatis*, i. e. perpetuo ei benefaceret. Εἰς τὸν αἰῶνα, vel ut alii rectius legunt ἕως αἰῶνος construendum videtur cum μνησθῆναι ἐλέους. *Memorem se ostendere misericordiae*, vel *benignitatis*, est benefacere. Καθὼς ἐλάλησε — σπέρματι αὐτοῦ) *vi promissionis, maioribus nostris, Abrahamo et posteritati eius factae.* Λαλεῖν h. l. est *promittere.* Locus nihil difficultatis habere videtur, si notes, variari constructionem verbi ἐλάλησε, quod primo post se habet πρός cum accusativo, et deinde dativum. Cf. Gen. XVII, 19. Rom. XI, 29. Decrevit Deus Israelitas semper eximia benevolentia prosequi; quod tunc praecipue ostendit, quum Messiam ex ipsis nasci, atque inter ipsos versari voluit.

57. Τῇ δὲ — αὐτὴν) *Iamque aderat Elisabethae tempus pariendi.* Similis phrasis extat Gen. XXV, 24. Quando postremus dierum quorundam adest, tum Hebraei dicunt illos dies completos esse.

58. Καὶ ἤκουσαν — συνέχαιρον αὐτῇ) *Et quum audivissent vicini et cognati eius, Deum tam magno beneficio eam affecisse, congratulabantur ei*, nempe de filio nato; de quo *insigni beneficio* vid. not. ad v. 25. Μετ' αὐτῆς pro Dativo αὐτῇ. Μεγαλύνειν τὸ ἔλεος, *magnam facere benignitatem*, est hebraica phrasis, cui similis est Gen. XIX, 19. ubi LXX. μεγαλύνειν δικαιοσύνην vertunt גַּדַּל חַסְדְּךָ, pro: *magnis beneficiis afficere.*

59. Ἦλθον περιτεμεῖν) *venerunt* sc. quorum erat, vel potius *οἱ συγγενεῖς.* Domi Elisabethae praesentia celebrata est circumcisio. Nullus enim locus certus circumcisioni ex lege praescribitur, ut nec certus circumcisor, sed solet ad eam rem adhiberi, qui maxime est in ea arte exercitatus. ἐκάλουν — Ζαχαρίαν) ἐκάλουν, *nominare volebant;* nam verba ab Hebraeis, Graecis, et Latinis frequenter ita ponuntur, ut omissum sit: *velle.* Cf. v. 60. Statim post circumcisionem peractam nomen puero imponebatur, Gen. XXI, 3. 4. sicuti puellis, tempore ablactionis. Sic et apud Romanos dies infantium lustricus dicebatur etiam *nominalis* ab eodem more; et apud Athenienses decimo die sacra fiebant, et imponebatur nomen infanti, ut nos docent *aves* Aristoph. et ad eum Scholiastes. Parentum autem aut avorum nomina posteris imponebantur, ut ipsa nominis recordatione ad imitandas eorum virtutes accenderentur. Sic et apud Graecos a *Pyrrho* plures *Pyrrhi*, a *Philippo Philippi*, a *Ptolomaeo Ptolomaei.*

60. Ἡ μήτηρ) Cui Zacharias litteris significasse videtur, nomen Ioannis ex angeli mandato imponendum esse puero.

62. Ἐνένευον — αὐτόν) *Nutu autem significabant patri illius, quo nomine eum appellari vellet.* Nonnulli ex his verbis collegerunt, Zachariam non modo *mutum*, sed etiam *surdum* fuisse; cui vero coniecturae verbum σιωπῶν v. 20. obstat, quod etiam docet, quaenam significatio vocabulo κωφὸς v. 22. tribuenda sit; neque v. 64. legitur, aurium usum Zachariae redditum fuisse. Per nutum loqui solemus etiam cum bene audientibus. Haud dubie igitur cognati Zachariam nutu arcessebant, verbis et voce ei deinceps quaestionem proposituri. Τὸ τί ἂν θέλοι καλεῖσθαι αὐτόν) Articulus praepositivus, genere neutro adhibitus, non solum interrogationibus, sed unicuique sententiae praeponitur, sequentemque adeo sententiam indicat. Illud τὸ igitur h. l. indicat, quid nutu significare voluerint, nempe id, *quo nomine vocandus sit.* In pronomine autem τί subintelligendum esse ὄνομα, facile intelligitur.

63. Καὶ αἰτήσας πινακίδιον) *Postulans tabulam.* Πινακίδιον est tabella, e pinu facta et cera illita, *libellus pugillaris*, a πίνος, *pinus*, e cuius ligno (sed etiam ex alia materia) tabellae olim conficiebantur, in quibus veteres scribere solebant. Ἔγραψε, λέγων) Non una est horum verborum interpretatio; sed ea videtur vera esse, quae reddit: *Scripsit his verbis usus.* Sic אמר de iis, quae scribuntur, est 2 Chron. II, 11. Dan. VII, 1. 2. et frequentissime apud Syros, cf. *Gesenius* in *Rosenmülleri* bibl. exeget. Repertor. T. I. p. 135. loquendi ratio non tantum Hebraeis, sed et aliis usitata est.

est. Ioseph. Antiqq. Lib. XIII, c. 4, §. 1. Πτολεμαῖος δὲ, προσδεξάμενος ἡδέως τὴν μνηστείαν, ἀντιγράφει λέγων, *Ptolomaeus autem, quum libenter postulatis eius annuisset, rescripsit his verbis.* Καὶ ἐθαύμασαν πάντες) Causae admirationis erant et matris consilium, et consensus patris inopinatus, nomen adeo in Zachariae familia insolitum filio imponendi.

64. Ἀνεῴχθη — γλῶσσα αὐτοῦ) *Repente facultatem loquendi recepit*, restitutus est illi usus vocis, quem amiserat. Videtur enim quodammodo illius os oclusum, qui loqui non potest; qua ratione dicuntur etiam caecorum oculi et surdorum aures aperiri, ut Ies. XXXV, 5. ἀνοίγω, ut hebr. פָּתַח, significat: *aperio* quod clausum fuerat; de mutis: *loqui facio*, coll. Num. XXII, 28. Refertur igitur τὸ ἀνοίγεσθαι etiam ad linguam, ut Marc. VII, 34. ἀνεῴχθη τὸ στόμα καὶ ἡ γλῶσσα ex hebraismo omnino notat: *loqui coepit*, καὶ ἐλάλει εὐλογῶν τὸν θεόν) *et voce sua benignitatem Dei praedicavit.* Opinantur nonnulli, Zachariam in templo hemiplexia captum, et usu linguae privatum fuisse; angelo hanc calamitatem tanquam auctori adscribi ex usu loquendi Hebraeorum, qui etiam melancholiam Sauli, pestem Davidis tempore, angelum vocarint. Iam vero laetitiam, quam de puero nato perceperat, et contentionem ac studium significandi, puero Ioannis nomen imponendum esse, effecisse, ut usum linguae reciperet. Similia exempla commemorant *A. Gellius* V, 9. et *Valerius Max.* V, 4.

65. Καὶ ἐγένετο — αὐτούς) *Et omnes vicini obstupuerunt;* Φόβος enim interdum etiam *admirationem* indicat, quia admiratio et timor cognati sunt affectus,

Matth. XXVIII, 8. Luc. V, 26. Sic etiam hebraicum פַּחַד usurpatur Ies. LX, 5. et verbum פָּחַד Ierem. XXIII, 9. διελαλεῖτο πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα) *Sermonibus omnium celebrata sunt, quae ibi dicta et facta fuerant.* Τὰ ῥήματα, *res*, ea, quae evenerant.

66. Ἔθεντο πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν) *Reposuerunt in corde suo*, i. e. diligenter et attente considerarunt, et velut infixerunt animo. *Virgilius: Sensibus haec imis, (res est non parva) reponas.* Et alibi: *memori quae condita mente teneto.* τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται;) *Quo evadet puer iste?* Est enim idem genus loquendi, quod Act. XII, 18. τί pro τίς, i. e. quam eximius, praestans! καὶ χεὶρ κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ) *Deus autem eum protexit*, in vita conservavit. Χεὶρ potentia, tutela. Haec verba, καὶ χεὶρ etc. non scriptoris, sed eorum esse videntur, qui conclamant: τί ἄρα etc., ut adeo sensus sit: quam insignis vir hic puer aliquando erit, in cuius natalibus tam luculenter providentia divina eluxit.

67. Interrumpitur narratio hymno, quem quo tempore Zacharias composuerit, non dicitur. Ἐπλήσθη — προεφήτευσε λέγων) *Spiritu divino actus celebravit laudes Dei in hunc modum. Impleri spiritu sancto* dicuntur etiam poëtae, quia ferventioris animi impetu abripiuntur ac feruntur, ita ut sibi ab alia maiore vi agi videantur. Προφητεύειν, נִבָּא, h. l. significat *meditari carmen, celebrare laudes Dei carmine*, ut 1 Sam. X, 5. sqq. quem locum confer. Hanc significationem h. l. retinendam esse, ex eo patet, quod Zacharias hic nihil praedixit. Quod enim in fine hymni dixit

dixit de puero: *tu propheta eris;* non erat nova revelatio, quia hoc nuper ab angelo audiverat.

68. Εὐλογητὸς) sc. ἔστω, i. e. εὐλογηθείη, *laudetur ac praedicetur.* Ps. CVI, 48. ὅτι ἐπεσκέψατο) nimirum τὸν λαόν, *propitius est populo suo.* Dupliciter Deus dicitur *visere genus humanum*, in bonam partem, ut h. l., quum *beneficia largitur*, in malam, quum *poenas infligit.* καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ) λύτρωσις recte hic *liberatio* vertitur. ποεῖν λύτρωσιν τινὶ ex Hebraismo, pro λυτροῦν τινα. *Et liberat*, vel *liberabit populum suum*, nempe a potestate opprimentium eum. Praeteritum propheticum pro futuro. Zacharias Messiam describit, ut regem Iudaeorum; nondum enim ipsi revelatum erat, beneficium Messiae ad omnes nationes sese diffundere. Hinc Deum vocat Deum Israelis, nulla gentium facta mentione.

69. Καὶ ἤγειρε — τοῦ παιδὸς αὐτοῦ) Sensus est: *Et suscitat nobis regem servatorem ex familia Davidis servi sui.* Quia enim non unius bestiae vis in cornibus consistit, imprimisque boves in honore fuerunt, ideo *cornu* Hebraeis in universum est imago roboris et potentiae, ut colligitur ex loco Deut. XXXIII, 17. praecipue vero *potentiae regalis*, Zachar. II, 1. et *rex*, ut expressis verbis declaratur Dan. VII, 24. VIII, 21. Atque ideo vocem קֶרֶן veteres paraphrastae interdum vertunt מַלְכוּתָא aut מַלְכָּא, ut 1 Sam. II, 10. Ierem. XLVIII, 25. Additur autem σωτηρίας ad significandum regem *salutiferum*, genitivo substantivi pro adiectivo, hebraico more, posito. *Noesselt* τὸ κέρας τῆς σωτηρίας e loco Ps. XVIII, 3. illustrandum esse censet, ubi

ubi קֶרֶן יְשַׁע ipsi videtur de *galea* dictum, *quae incolumitatem praestet*, s. ita quasi caput muniat, ut de ictibus hostium nihil sit metuendum. Vid. eius Opuscula ad interpretationem Sacrar. Script. Fasc. I. edit. 2. p. 31. seq. *Io. Frid. Fischerus*, (de vitiis Lexic. N. T. Prolus. 8. p. 216. sqq.) κέρας esse censet simpliciter *propugnatorem*, *defensorem*, *auctorem*, h. l. σωτηρίας, *salutis*. Metaphoram arcessitam esse existimat ab eminentiis et ansis altaris eius, quod in atriis templi, et Mosaici et Hierosolymitani, non procul ab introitu eius stetisse accepimus. Nam istae eminentiae atque ansae, ligneae, sed aere obductae, quae ab Hebraeis קַרְנוֹת, et ab interpretibus Alexandrinis eleganter κέρατα dicuntur (Exod. XXVII, 2.) erant tum apud Iudaeos supplicum perfugia, ut arae et foci apud profanos, ita ut, qui eorum unum manu teneret, is salvus esset, neque violari a quoquam sine nefario scelere posset. Vid. 1 Reg. I, 50. II, 28. Unde Davides Deum vocavit קֶרֶן יִשְׁעִי 2 Sam. XXII, 3. Ps. XVIII, 3. quod statim ipse interpretatus est per vocabulum מוֹשִׁיעַ 2 Sam. XXII, 3. Cf. Schol. in Psalmos ad loc. laud. P. I. p. 464. sqq. edit. sec., et *das alte und neue Morgenl.* P. IV. No. 806. p. 31. et No. 844. p. 85. Igitur κέρας σωτηρίας erit αἴτιος σωτηρίας, et σωτήρ, *servator*, *conservator hominum*. Ἐγείρειν, *nasci iubere*, *existere velle*, hebr. חִקִּים, LXX. expresserunt verbo ἐξανατέλλειν, Ps. CXXXII, 17. Et hunc locum nostro simillimum Zachariam respexisse, *Kuinoelii* ad h. l. est sententia. *Sacerdotem* enim, qui v. 71. 74. hostes populi commemorat, in mente habuisse Messiam, ut regem Davidi similem, qui, quod Iudaei illa aetate spera-

sperabant, ipsorum hostes debellaturus sit; verba igitur ἤγειρε κέρας σωτηρίας commode exprimi posse: *excitabit nobis regem potentem, qui nostri saluti prospiciat.* Cf. not. ad v. 71.

70. Καθὼς — αὐτοῦ) *Sicuti per prophetas venerandos inde ab antiquissimis temporibus promisit.* Ἐλάλησε) *diserte promisit*, ut supra v. 55. ἀπ' αἰῶνος) *ab antiquis temporibus.* Simile loquendi genus extat Gen. VI, 4. ubi οἱ γίγαντες οἱ ἀπ' αἰῶνος sunt οἱ ἀρχαῖοι.

71. Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν) Nempe *liberationem ab inimicis nostris.* Σωτηρίαν verte *liberationem* et refer ad verbum ἐλάλησε, quemadmodum et sequentes versiculos duos. Possunt tamen verba σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν connecti cum verbo ἤγειρε, v. 69. ita ut verba κέρας σωτηρίας explicentur verbis σωτηρίαν ἐξ ἐχ. ἡμ. et σωτηρία sit pro σωτὴρ. Quod praepositionem ἐκ attinet, simili ratione dixit *Iosephus* Antiqq. Lib. IX. c. VIII, §. 5. ὁ θεὸς δίδωσιν αὐτῷ τὴν ἐκ τοῦ πολέμου καὶ τῶν κινδύνων ἄδειαν, *Deus ipsi concessit, ut ab omni belli et periculorum metu securus sit.* Ἐχθροὺς Zacharias vocat Romanos aliosque populos Iudaeis infestos, a quorum iugo Deus populum suum, ut fas est credere, liberaturus fuisset, ni Messiam reiecisset.

72. Ποιῆσαι — ἁγίας αὐτοῦ) Ante ποιῆσαι repetendum est ἐλάλησε ex v. 70. (Promisit) *se velle benefacere Patribus nostris, et memorem esse sanctae suae promissionis.* Ad priora huius commatis verba vide dicta ad v. 50. et 58. Respicit Zacharias ad Exod. XX, 6. et Deut. V, 10. ubi Deus dicit, se esse ποιοῦντα ἔλεος in multam progeniem iis, qui se diligant. Διαθήκη h. l. est *promissio*; ἁγία, *sancta*, i. e. inviolabilis. Huius

se

se memorem fore dicit Deus Levit. XXVI, 42. Maiores Israelitarum hic nominantur, quia ipsis conferri videntur beneficia, quae propter ipsos contingunt posteris. Verum etiam existimabant Iudaei, maiores ipsorum participes fore felicitatis in regno Messiano exspectandae.

73. Ὅρκον, ὃν ὤμοσε) Elliptice: κατὰ ὅρκον, *secundum iusiurandum quod iuravit Abrahamo, patri nostro.* Πρὸς Ἀβρ. pro: τῷ Ἀβρ. Promissio legitur Gen. XXII, 16. seq. add. Num. XXVI, 42.

74. Τοῦ δοῦναι — αὐτῷ) *Se largiturum nobis hoc beneficium, ut sine metu, quippe erepti e potestate hostium nostrorum, eum coleremus.* τοῦ δοῦναι ad anteced. referendum. Similis locus est Ier. XI, 5. ἀφόβως, *tranquille, secure.* Prophetae saepe tempora Messiae ita descripserunt, ut dicerent, Israelitas, omnibus hostibus superatis, liberrime exercituros esse religionem; imo omnes nationes Hierosolymam venturas, et una cum Iudaeis Deum adoraturas esse. Haec vaticinia obscura erant Iudaeis ante eventum. Nos autem scimus, sub illis imaginibus latuisse illud, ceteras gentes, idololatria exstirpata, eadem cum Iudaeis usuras esse religione, non tantum in Palaestina, sed etiam in omni terrarum orbe. Zacharias, etsi non prorsus alienus ab illa communi Iudaeorum de Messia opinione fuisse videtur (v. 69 — 71.), omnia tamen ad religionem et pium Dei cultum refert, et cum peccatorum populi expiatione (v. 77.) sperat vitae morumque emendationem.

75. Ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ) i. e. *in sanctitate et virtute sincera*, quae non in operosis ritibus consistit, sed in sinceritate cordis, quae Deo, mentium inspectori, probatur. Vid. supra ad v. 6.

76.

76. Προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ) *Doctor Deo probatus eris.* προφήτης (non προβήτης, ut nonnulli legi volunt) non semper est is, qui futura praedicit, sed latius *doctor, interpres voluntatis divinae.* κληθήσῃ, *eris*, ut supra. προπορεύσῃ — ὁδοὺς αὐτοῦ) Cf. ad Matth. III, 3.

77. Τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας) i. e. διὰ τοῦ δοῦναι: *ut tradas doctrinam salutis;* iam enim explicat, qua in re illa praeparatio consistat, nimirum in subministratione doctrinae salutaris de resipiscentia, summatim commendanda per *Ioannem*, sed ita, ut plenior cognitio a *Christo* esset petenda, *Ioanne* hoc ipsum indicante. ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν) ἐν pro εἰς positum, ut saepius. Sensus: *ut remissionem peccatorum accipiant.* Possunt etiam haec verba referri ad σωτηρίας, ut sensus sit: *quae salus est in remissione peccatorum.*

78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ ἡμῶν) *Per intimum Dei amorem*, sc. haec nobis evenient. Simillimum loquendi genus est Col. III, 12. σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, quo haud dubie *intimus misericordiae affectus* significatur. בְּרַחֲמֵי חֶסֶד אֱלֹהֵינוּ. Nam in magna commiseratione gravissime interna viscera affici solent. Verba haec ad totum id, quod praecessit, referenda videntur, nimirum ad ipsam missionem *Ioannis* atque *Messiae*, et vocationem ad poenitentiam, utrique illorum mandatam ex benignissimo Dei consilio, quod et sequentia omnino videntur exigere. ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους) *Quo (amore Dei) futurum est, ut lux coelestis nos beet*, i. e. Messias, doctor summus, auctor salutis nobis appareat. Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *oriens e coelo*,

nam

nam ὕψος h. l. est *summum coelum*, et ἀνατολὴ pro ἀνατέλλων. Quum lux imago sit perpetuae felicitatis, et Christus effecturus sit ἀνατολὴν ἡλίου δικαιοσύνης, ipse comparatur soli orienti. Ponitur ἀνατολὴ a LXX. aliquot locis pro צֶמַח, quod alii vertunt βλάστημα, sed profecto, quae sequuntur, ostendunt, hic non ita accipiendum, sed ἀνατολὴν esse id ipsum, quod אוֹר dixit *Iesaias* c. LX, 1. 2. qui locus hic aperte respicitur, et ad *Christum* eiusque doctrinam refertur etiam a *Matthaeo*. Cf. Ies. IX, 1. Possunt etiam verba: ἐπεσκέψατο — ὕψους, simpliciter verti: *e coelo missus veniet ad nos*, ut ἀνατολὴ, abstracto posito pro concreto, sit is qui oritur, i. e. qui missus venit.

79. Ἐπιφᾶναι — καθημένοις) Vide ad Matth. IV, 16. ἐπιφᾶναι pro εἰς τὸ ἐπιφᾶναι. σκότος, *caligo*, miseriae est imago. Sensus igitur est, populo Hebraeo affulsisse hanc lucem tunc, quum in summa miseria versaretur. τοῦ κατευθῦναι — εἰρήνης) *Ut nos in viam verae felicitatis perducat.* Continuatur translatio. Nam lux dirigit nos, ut secure ambulemus. Sic et Ps. CXIX, 105. verbum Dei *lumen semitae* dicitur. Homericum ἰθύνειν idem significat. ὁδὸν εἰρήνης, *viam, quae ad veram felicitatem ducit.* Nam Hebraei *pacis* nomine haud raro eum statum intelligunt, in quo aliquis merito acquiescat. Messias vero vitam securam et beatam largiturus cogitatur.

80. Ἐκραταιοῦτο πνεύματι) i. e. *sapientia*, ut infra de ipso Domino c. II, 52. Πνεύμα, *animus, animi vires, ingenii dotes.* καὶ ἦν ἐν ταῖς ἐρήμοις, i. e. intra domus paternae fines se continuit; non prodiit in publicum. Alii per ἔρημον proprie intelligunt desertum

Iudaeae

Iudaeae. ἕως — Ἰσραήλ) Ad id usque tempus, quo se ostenderet Israelitis; i. e. usque ad publici muneris initium. Ἀνάδειξις etiam a scriptoribus Graecis de inauguratione et muneris susceptione dictum est.

CAP. II.

1. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις) *Illo tempore*, sc. nato Ioanne. Vid. c. I, 36. 38. 57. 58. Utrum Lucas narrationem, quae nunc sequitur, ex primis fontibus hauserit, aut ex aliis monumentis, definiri non potest. Ἐξῆλθε δόγμα, *edictum promulgatum est.* Nam δόγμα est *decretum, edictum*, ut Act. XVII, 7. unde δογματίζειν, *decernere*, 2 Macc. X, 8. Verbum autem ἐξέρχεσθαι, quum de lege, edicto sermo est, notat *ferri, promulgari*, Dan. II, 13. IX, 23. Esth. I, 19. ubi in hebr. est יצא. Παρὰ καίσαρος Αὐγούστου) Intelligitur Caesar Octavianus Augustus, Imperator Romanorum. *Caesaris* nomen acceperat a Iulio Caesare per adoptionem, et Caesares primitus vocabantur omnes, qui ad hanc familiam pertinebant; postea vero imperii haeredes et ipsi imperatores vocati sunt Caesares. Sueton. Vit. Aug. c. 7. „Postea *Caesaris*, et deinde *Augusti* cognomen assumsit: alterum testamento maioris avunculi: alterum, Munacii Planci sententia: quum, quibusdam censentibus, *Romulum* appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis, praevaluisset, ut *Augustus* potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, *augusta* dicuntur. *Augusti cognomen e decreto senatus honoris causa accepit.*“ ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην) ἀπογράφεσθαι, vox media, significat,

ficat, vel *nomen suum in tabulis censualibus describendum curare*, *nomen profiteri*, *ut in tabulas publicas referatur*, vel *se censendum praebere*. Est itaque ἀπογραφὴ vel descriptio tantum capitum s. hominum, vel hominum et facultatum. Haec, de qua hic sermo est, prioris generis fuisse videtur. Nam historia Romana nos docet, census tributi exigendi causa actos esse a Romanis in solis provinciis Romanis, non autem in regnis sociis. Iudaea autem tunc temporis nondum fuit provincia Romana, sed *Archelao* demum relegato tributaria facta, Syriaeque addita est. Unde intelligitur, hunc censum non fuisse aestimationem bonorum, tributorumque exactionem, sed capitum censum. Hinc etiam Iudaei promti haec mandata exsequebantur; sed cum ille census ageretur, qui Act. V, 37. commemoratur, turbas movebant. Singulorum Iudaeae incolarum nomina in tabulas publicas referri, eo consilio iussisse videtur *Augustus*, ut *Herodes*, a *Syllaeo*, *Obadae*, regis Arabiae legato accusatus, se imperio Caesaris subesse, sentiret. *Augustus* enim ei valde erat iratus, eique acerbius scripsit. Litterarum summa inter alia fuit haec: ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, νῦν ὑπεκόῳ χρήσεται, *se eum aliquando in amicis habuisse, nunc pro subdito habiturum*. Vid. Ioseph. *Antiqq. Iud.* XVIII, c. 9. §. 1—3. οἰκουμένη h. l. accipi debet de sola Iudaea. Saepe quidem hoc vocabulum apud scriptores Graecos, qui de rebus Romanorum exponunt, significat *orbem Romanum*, seu omnes regiones Romanorum imperio subiectas; quod inde factum, quia tunc temporis totus fere orbis terrarum, quatenus excultus erat, et inhabitabatur, Romano imperio erat subiectus. Sic aliquoties apud unum *Dion Cassium*, v. c.

Lib.

Lib. LX. et LXIII. Vid. *Krebsium* et *Loesnerum*. Sed interdum *Iudaea* etiam ἡ πᾶσα οἰκουμένη dicitur, praesertim cum ea in plures regiones ac partes descripta et divisa esset; qui significatus, minime vulgaris eo magis h. l. est admittendus, quia illorum temporum historia docet, descriptionem illam non ad totum Romanum imperium pertinuisse, sed ad solam Iudaeam.

2. Lucas ut suae aetatis lectoribus eo accuratius indicaret tempus nativitatis Christi, addit: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου) Haec verba, commate post ἐγένετο sublato, verti possunt: *Haec descriptio prima fuit Praesidis Syriae Cyrenii.* Genitivi ἡγεμονεύοντος κυρηνίου non sunt absoluti, sed indicant personam agentem. Certum est, Cyrenium tum, quum Christus nasceretur, nondum fuisse Praesidem Syriae. Functus est hoc munere tum temporis *Sentius Saturninus*; Saturnino autem *Quintilius Varus* successit, et huic denique *P. Sulpitius Quirinius.* Indicare igitur videtur Lucas, Quirinium, qui *postmodum* Praeses Syriae factus est, huic negotio descriptionis praefectum fuisse, et hanc *primam* fuisse descriptionem, diversam a censu illo, quem anno Iuliano LI. vel LII. Archelao in exilium misso in Iudaea egit; cuius celeberrima erat memoria. (Act. V, 37.) Quirinio, quem Augustus huic negotio praefecerat, haud dubie adiunctus erat Sentius Saturninus, qui eo tempore fuit Praeses Syriae. Quare Tertullianus L. IV, c. 19. adv. Marcionem: *Sed et census*, inquit, *constat actos sub Augusto nunc in Iudaeam per Sentium Saturninum.* Huic sententiae non obstat silentium scriptorum profanorum, qui ἀπογραφὴν capitum in Iudaea, tanquam rem exigui momenti facile omittere poterant. Remanent

nent tamen etiam sic difficultates haud exiguae. Nulla enim causa afferri potest, cur Augustus *Quirinio* potius, quam *Saturnino*, Praesidi, hanc ἀπογραφὴν commiserit. Accedit, quod Lucas a communi et constante scriptorum usu recessisse putandus sit, si ad tempus denotandum extraordinarium quendam, non ordinarium Syriae Praesidem adhibuisset. Alii verba Lucae ita vertunt: *Haec descriptio facta est* Priusquam *Quirinius Praeses Syriae esset;* iungentes πρώτη Κυρηνίου, ac si scriptum fuisset πρότερα Κυρηνίου, ut Io. XV, 18. c. I, 30. *Wetstenii* sententia est, nullum quidem tunc, quum Christus nasceretur, actum fuisse censum: Augustum tamen diu antea censum per totum orbem Romanorum agere decrevisse, et eo ipso tempore in Iudaea aliquid contigisse, quod si proprie census non erat, censitionis tamen futurae quasi quaedam prolusio, et non obscurum indicium initiumque haberi poterat. Nimirum, teste *Iosepho* Antiquitt. XVII, 2, 4. XVIII, 1, 1. extremis Herodis temporibus, post mortem Aristobuli et Alexandri filiorum, Iudaei ab Herode per iusiurandum Caesari fuerunt devincti, qua ratione non minus nomen suum et subiectionem profiteri debebant, quam in censitione; quod Lucas voce ἀπογραφῆς significare voluisse videtur. Alii pro αὕτη legunt αὐτὴ, ut sensus sit: *Haec prima descriptio facta est demum Praeside Quirinio*, et volunt, descriptionen mandatam quidem ab Augusto, vivente Herode, sed Praeside demum Quirinio executioni esse datam. Taceo eos, qui coniecturis indulgent, quorum alii totum hoc comma delent, alii pro Κυρηνίου legendum putant Κυιντιλίου, ut Varus Syriae Praeses indicetur. Cf. Pauli Commentar. P. I. pag. 141. sqq.

3.

3. Ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν) *Quilibet in urbem patriam*, i. e. in eam urbem, quae olim fuerat gentis ac familiae suae sedes patria, quia census fiebat per tribus, gentes et familias. Patriam vero urbem quisque scire poterat ex tabulis genealogicis.

4. Ἀνέβη — πατριᾶς Δαβίδ) Ἀνέβη, *proficiscebatur*. Verbo ἀναβαίνειν usus est Lucas, quoniam Iudaea, in quam Iosephus proficiscebatur, erat regio montana, et ad alios Palaestinae tractus, maxime ad Galilaeam relata, sublimior. De Galilaea vid. ad Matth. IV, 15. de Βηθλεὲμ ad Matth. II, 1. Εἰς πόλιν Δαβίδ) ubi et natus et educatus fuit David, 1 Sam. XVII, 12. ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ) οἶκον et πατριὰν ita distinguunt interpretes, ut πατριὰ latiori significatione sumatur, pro tribu, quae plures continet οἴκους, quum οἶκος metonymice significet homines, qui in una domo continentur, et sensu strictiori illos, qui ab uno patre familias orti sunt. E domo igitur, ἐξ οἴκου Davidis erat Iosephus, quoniam ad Davidem genus referebat; *e familia* vero, s. ἐκ πατριᾶς Davidis erat, quoniam eosdem habebat cum Davide maiores, sive per πατριὰν posteros Boasi, sive alterius cuiusdam e progenitoribus Davidis, intelligas.

5. Σὺν Μαριὰμ) Aperte satis ostendit Lucas, etiam *Mariam* ex genere *Davidis* fuisse. Nam alioqui ipsa in familiae suae urbe profiteri debuerat. Videtur autem Maria fuisse haeres patris filio destituti; nam alias feminae non relatae sunt in tabulas publicas. Eandem ob causam (quod haeres esset) obstricta erat lege viro eiusdem tribus nubere. Num. XXXVI, 8. 9. Vid.

Michaelis

Michaelis Mosaisches Recht Th. 2. §. 78. *τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ*) non sponsa tantum erat, sed et nupta. At sponsam maluit *Lucas* dicere, quia Iosephus Mariam habebat ut sponsam.

6. 7. Ἐπλήσθησαν — *αὐτήν*) *Tempus partus aderat;* nam *ἡμέραι* ut יָמִים omne tempus in genere notat. Ἐπλήσθησαν, ut c. I, 57. — 7. Πρωτότοκον, *primogenitum*, vid. ad Matth. I, 25. *ἐν τῇ φάτνῃ*) *φάτνη* non tantum significat locum pabuli vel foeni, sed etiam interdum stabulum totum, quemvis locum praeseptum, ut in LXX. Prov. XIV, 4. Hab. III, 16. unde etiam a Latinis *praesepe* pro stabulo ponitur. Virgil. Aen. VII, 275. *stabant ter centum nitidi in praesepibus altis.* Haud dubie intelligendum est *stabulum diversorii, φάτνη τοῦ καταλύματος*, nam articulus illud ipsum stabulum designat, quod ad diversorium illud pertinebat; et v. 11. non legitur *ἐγγὺς τῆς πόλεως*, sed *ἐν πόλει Δαβὶδ*. Cf. Matth. II, 1. Patres tradunt, Christum extra Bethlehemum in stabulo quodam, non arte, sed natura facto, natum fuisse. *Iustin. M.* Dial. cum Tryph. *Origenes* c. Cels. I. aliique. Cf. *Suiceri* Thes. Eccles. sub voce *φάτνη*. Sed Patrum narrationes de huiusmodi *περιστάσεσι* non admodum dignae sunt fide. Nec iis credendum est, qui hodie peregrinantibus speluncam pastoritiam s. naturale stabulum, ubi Iesus natus sit, ostendere solent. Quae enim de *locis sanctis* narrantur, ea sunt ficta, lucri causa. *ἐν τῷ καταλύματι*) in ea domo, in quam venerant hospitii quaerendi causa; nam diversoria *publica* aetate Christi non extabant.

8. Καὶ τοιμένες — ἀγραυλοῦντες) *Et pastores in illa ipsa regione* Bethlehemitica *sub dio agebant.* Ἐν ἀγροῖς αὐλιζόμενοι, possunt esse Bethlehemitici, qui manere in agris solebant, et ibidem etiam *pernoctare.* Quum autem ἀγραυλεῖν etiam denotet *extra urbem in agris degere,* pastores ἀγραυλοῦντες possunt etiam esse ii, qui non ex urbe Bethlehemo erant, sed in agris extra urbem sua vel domicilia vel tentoria habebant, etiamsi non sub dio fuerint; excubare enim non sub dio tantum, sed et in tentoriis poterant. Nomades tamen, qui hi pastores fuisse videntur, sub dio agere, et pernoctare etiam solent. Φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς) *Vigilias nocturnas observantes* s. *in vigiliis nocturnis excubantes.* Quamquam nostris temporibus de tempore nativitatis Christi nihil certi constitui potest (*Ammon.* Opusc. p. 38.), ex hoc loco certe patet, Christum non Decembri natum esse. Hac enim gelida tempestate, praesertim in asperiori tractu Bethlehemitico, pastores cum gregibus ruri per noctem neutiquam degere possunt.

9. Καὶ ἰδοὺ — περιέλαμψεν αὐτούς) *Et ecce angelus Domini subito apparuit illis, et lux coelestis eos circumfulsit.* Plures interpretes monuerunt, quae h. l. de angelorum apparitione leguntur, non nimis urgenda; sed ex Hebraeorum cogitandi et loquendi consuetudine esse interpretanda; neque tam quaerendum, quid viderint pastores, quam potius, quid audiverint. Ipse splendor, qui eos circumfulsit, videtur vocari *angelus Dei.* Vid. supra. c. I. 11. Sic δόξα κυρίου esset ἐπεξήγησις τοῦ ἄγγελος κυρίου, hebr. כבוד יהוה, *lux eximia*, splendor coelestis. 1 Cor. XV, 40. 41. Alias est *maiestas divina*, ut Exod. XXXIII, 18. hic autem

splendor coelestis. Cf. Act. XXII, 6. IX, 3. Fuit fortasse aliquod phaenomenon, qualia sunt, quae noctem illustrant (vid. *Shaw* Reisen p. 289.); fuerunt fortasse etiam fulgura. Videtur Deus aliquo naturae phaenomeno usus esse ad excitandas mentes pastorum. Alii statuunt, illam noctem collustrasse lucem subito ortam, huiusque rei traditionem et locum Ps. CXVIII, 24—26. Lucae occasionem dedisse, rem ita exornandi. Solebant vero Hebraei omnia, quorum causae laterent, ad auctores invisibiles referre: ipsasque naturae effectiones repentinas, inusitatas, nominare Dei angelos. Ps. LXXVIII, 48. 49. Exod. XII, 23. ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν) *magno terrore perculsi sunt.* Haec loquendi ratio non tantum Hebraeis sed et scriptoribus Graecis admodum frequens est. Aeschin. Socrat. II, 22. μαρτυρεῖν μαρτυρίαν. Plato in Phaed. c. 35. λύπην λυπεῖται.

10. Καὶ εἶπεν — τῷ λαῷ) *Angelus vero, nolite timere, inquit, laetissima enim eventa vobis nuncio, quae universo populo contingunt.* Χαρὰ hic metonymice est *res laeta, causa, materia laetandi*, Iac. I, 2. Aristoph. Plut. 637. λέγεις μοι χαράν. παντὶ τῷ λαῷ) *omni populo;* intelligitur populus Iudaicus, ad quem res illa potissimum pertinebat. De modo, quo et Mariae innotuerit, se parituram esse Messiam, et pastoribus haec res patefacta fuerit, nihil certi definiri potest. Certum est autem, eo ipso tempore, quo Iesus natus est, omnes Iudaeos exspectasse Messiae apparitionem, et huius rei famam oriente toto percrebuisse. *Sueton.* Vespas. c. 4. Tacit. Hist. V, 13. Ioseph. de B. Iud. V, 5. Coniecturas proposuerunt *Ioannes Tobler*, cuius Commentatio: *Ein Paar Vermuthungen, wie Iesus bey den Umständen seiner Geburt als verhoffentlicher Ret-*

Retter Israels angesehen werden konnte — extat in *dem neuen Magaz. für Religionsphilosophie, Exegese und Kircheng.* Herausg. von D. Phil. Conr. Henke. Tom. V. partic. I. pag. 91. sqq. et D. *Paulus* in Comm. Tom. I. pag. 150. sqq.

11. Ἐτέχθη ὑμῖν) Vestro, sed et publico mundi bono. σωτὴρ) *Liberator a miseria, et bonorum certorum dator, salutifer. Cic.* in Verrem II. 63. Is est *Soter*, qui salutem dedit. *Wetstenius* permulta loca affert, ex quibus conficitur, ψιλῷ ἀνθρώπῳ titulum σωτῆρος, et σωτῆρος τοῦ κόσμου, σωτῆρος πάντων ἀνθρώπων vere tribui non posse. Ἐν πόλει Δαβὶδ referri debet ad ἐτέχθη.

12. Τὸ σημεῖον) *Nota*, qua hunc infantem ab aliis sit dignoscere. Sic et rhetores hanc vocem usurpant.

13. Ἐγένετο) *adfuit* i. e. παρεγένετο. πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου) *ingens multitudo copiarum coelestium.* Ita vocantur ab Hebraeis copiae angelorum, quibus circumsepta est Dei, tanquam potentissimi cuiusdam monarchae, maiestas. 1 Reg. XXII, 19. 2 Chron. XVIII, 18. Multa loca, quae Iudaeorum sententiam de angelorum vi et natura, nomine et muneribus declarant, e *Philone* collegit *Adam. Frid. Kühnius* ad h. l. e. c. de *Somniis:* (p. 585. extr.) *Aër est animarum corpore carentium domicilium, quia opifici mundi omnes eius partes animalibus implere placuit.* Idem de monarchia: (p. 812.) *in ea regione,* (inquit) *quae esset inter aërem et terram, versari angelos, Dei ministros.* *Pape* in sua *Paraphrasi Evangelii Lucae* germanica recte observat, rem saepe decribi, non ut revera contigit, sed ut aliis est visa. Non est credibile,

copiam geniorum coelestium a pastoribus esse visam; auditus est autem ab iis clamor laetus, qualis exercitus triumphantis clamor esse solet, atque quum iis hae voces ex aëre delapsae esse viderentur, in eam deducti sunt opinionem, coelestem exercitum laetitiam suam testari; quae opinio eos non fefellit. Vid. v. 14.

14. Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ) *Laudibus celebretur Deus summus*, qui est in coelis, ἐν ὑψίστοις sc. ὄντι. Vel: *laudetur Deus in coelis*, nempe ab angelis, qui coelum inhabitant. Varias interpunctiones indeque ortas explicationes huius commatis vide in *Bowyeri* Coniect. et apud *Kuinoelium* ad h. l. Subauditur ἔστω vel ἐστὶ. Ego praefero ἔστω. Ἐν ὑψίστοις, *in (coelis) altissimis*. καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη) εἰρήνη, hebr. שָׁלוֹם hic est *felicitas*, *salus*. Coniunctionem καὶ Theophylactus interpretatus est aetiologice, pro γὰρ, ut sensus sit: Laudibus celebrari Deum aeternum, propter pacem (felicitatem) collatam terris. ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας) Sc. ἐστὶ θεῷ. *Deus favet hominibus*, ὅτι εὐδοκεῖ ὁ θεὸς ἐν ἀνθρώποις, vel: *Deus faveat hominibus*, ut ἔστω suppleatur. Εὐδοκεῖν ἐν τινὶ *favere alicui, amare aliquem.* Matth. III, 17. XVII, 5. Non plane contemnenda est lectio: καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἀνθρώποις εὐδοκίας, *in terra autem salus hominibus probatis.* Dicuntur nempe ἄνθρωποι εὐδοκίας, ut οἰκονόμος τῆς ἀδικίας Luc. XVI, 13. εὐάρεστοι τῷ θεῷ, *probati, grati, accepti Deo.* Sed lectio non sollicitanda esse et magis convenire videtur, ut verbis δόξα ἐν ὑψ. θεῷ subaudiatur ἔστω. Angeli excitant se mutuo ad Deum laudandum, eique ob ingens beneficium in genus humanum collatum, gratias agendas, simulque optant, ut et porro hominibus favere velit. Legendum igi-

igitur: ἐν ἀνθρ. εὐδοκία, cuius voc. significatio h. l. esse potest *amor*, *benevolentia*, et ἐν verti *inter*, ut intelligatur mutuus hominum inter se amor, et totius commatis sensus sit: *Laudibus celebretur summus Deus, nam salus* (erit) *in terris, et amor inter homines.*

15. Οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες) οἱ ἄνθρωποι est pleonasmus ex Hebraismo; quare bene omiserunt Syrus et Latinus interpretes. δὴ) *Sane*, vel potius *agedum*, quod est excitantis. τὸ ῥῆμα τοῦτο τὸ γεγονὸς) הַדָּבָר *rem hanc, quae ibi evenit.* ὃ ὁ κύριος ἐγνώρισεν ἡμῖν) γνωρίζειν est *iudicium certum alicuius rei dare, significare, dicere quibus quasi signis res cognosci et ab alia quacunque discerni possit.* Quam verbo vim recte huic loco vindicavit *Iensius* Ferc. Litt. Cf. *Loesnerum.*

17. Διεγνώρισαν περὶ τοῦ ῥήματος) *Enarrabant obviis quae vidissent.* Mox enim additur, audientes miratos fuisse. Activum igitur ponitur neutraliter, quasi dicat: *famam sparserunt de hac re*, i. e. *rem divulgarunt.*

19. Συνετήρει — ταῦτα) *conservabat*, i. e. animo retinebat, has res, haec facta, ne sibi exciderent, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς) *In animo suo expendens*, i. e. comparans singula, in animo materno recondita servavit, cf. v. 51. nam συμβάλλειν saepe est *comparare, diligenter considerare.*

21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν — αὐτὸν) *Quum octavus dies* (post nativitatem) *advenisset, quo puer circumcidendus erat:* non autem: *quum octo dies impleti essent, s. praeteriissent.* Constat enim, in sacris litteris

sae-

saepissime πληροῦσθαι de tempore ita usurpari, ut id *appropinquasse*, *advenisse* significet. Eodem sensu πληροῦσθαι occurrit apud *Iosephum*, ut *Krebsius* ostendit. καὶ ἐκλήθη — κοιλίᾳ) Καὶ vel παρέλυσε, vel significat τότε, *tunc*. De nominis impositione vid. supra I, 59. De nomine *Iesus* Matth. I, 21.

22. Καὶ ὅτε — αὐτῶν) *Et quum appropinquasset tempus purgationis eorum*. Puerperae Hebraeorum per quadraginta fere dies domi se continere debebant, intra quod tempus impurae erant; praeterlapsis vero his diebus sacrificium purgatorium debebant offerre. Pro αὐτῶν al. legunt αὐτοῦ, al. αὐτῆς, al. simpliciter καθαρισμοῦ, plurimi αὐτῶν. Καθαρισμὸν ad Iesum referri, offendit nonnullos, quod impuritatem aliquam supponat, quae *Iesu* tribui non possit. Sed sciendum est, impuritatem hanc nihil esse aliud, quam vinculum a lege iniectum, quo et mater et infans certo tempore primum ab hominum contactu, deinde a publicis coetibus arcebantur. Lex extat Levit. XII. Est igitur sermo de impuritate externa, non vero morali. Et quamquam purificationis lex ad solam matrem expresse pertinebat, dubitari tamen nequit, quin etiam infans ea fuerit comprehensus, quum etiam is, qui immundum contrectaret, immundus haberetur. Proinde quamdiu immunda erat mater, tam diu erat etiam infans, qui in sinu eius gestabatur, et lacte eius alebatur. Ἀνήγαγον — τῷ κυρίῳ) *Secum duxerunt eum Hierosolymam, ut eum offerrent domino*: simul duabus legibus defuncturi, una, quae erat de purificatione puerperae, altera, quae erat de redemtione primogeniti, quae intra mensem fieri non poterat, post mensem poterat. Levit. XII, 1—8. Erat nempe lege constitutum, ut omnes Israelitarum filii primogeniti consecra-

crarentur Deo, et essent futuri sacerdotes, Exod. XIII, 2. Quum vero postea sacrorum peragendorum cura tribui Leviticae demandaretur, Num. VIII, 16. sqq. tum reliqui primogeniti offerebantur quidem Deo, et accipiebat eos sacerdos; sed postquam parentes filium quinque siclis quasi redemerant, (Num. XVIII, 15. 16.) eum iis reddebat. Παραστῆσαι *admovere, sistere*, ut hebr. הַקְרִיב adhibetur de hostiis, quae aris admoventur, et de oblationibus, quae Deo consecrantur.

23. Καθὼς — κληθήσεται) *Ex praescripto legis: omnis masculus primogenitus domino sacratus esto.* Lex extat Exod. XIII, 2. Πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν proprie est: *masculus aperiens matricem*, i. e. primogenitus, qui eatenus aperire vulvam dicitur, quatenus primus nascitur. Exod. XIII, 2. Cf. LXX. Num. VIII, 16. Ἅγιον dicitur id, quod a communi usu segregatum, et ad peculiares usus destinatum est. Hinc etiam primogenitus dicebatur ἅγιος. Cf. v. 22. Exod. XIII, 2. Cf. LXX. Num. VIII, 16. ἅγιον τῷ κυρίῳ κληθήσεται) *Consecratus Domino esto.* Nam καλεῖσθαι saepe significat *esse*, et futurum indicativi pro imperativo ponitur.

24. Θυσίαν) *oblationem.* Θυσία vox hic generaliter sumitur: includit enim et ὁλοκάυτωμα et τὸ περὶ ἁμαρτίας. κατὰ τὸ εἰρημένον) *secundum id, quod est mandatum.* Ponitur enim אָשָׁם pro צִפּוֹר. Ζεῦγος τρυγόνων, ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν) *par turturum, aut duos pullos columbarum*, oblatio pauperum. Levit. XII, 8. Ditiores agnum immolabant. Ζεῦγος, *iugum, par*, צֶמֶד.

25. Δίκαιος καὶ εὐλαβὴς) *Probus et pius, (sollicitus Dei agnoscendi recteque colendi).* Εὐλαβὴς proprie est *is, qui caute et bene aliquid capit et prehendit;* inde *cautus, circumspectus;* et quoniam in cautione timor est, *timens, metuens.* Inde ex hebraismo, ubi verba timendi ad pietatem in Deum referuntur: *Deum timens, pius, religiosus.* Quum εὐλαβὴς dicitur *cautus, sollicitus* in quacunque re, ideo Moses dicitur apud Philonem (L. I. de vita eius) τὴν φύτιν εὐλαβὴς, *verecundiam a natura sibi attributam habens;* et plerumque de summi momenti rebus inprimisque de rebus divinis voc. εὐλαβὴς occurrit. Sic e. g. idem *Philo* de Cher. φιλοφροσύνην καὶ εὐλάβειαν θεοῦ, *humanitatem pietatemque erga Deum* dicit. προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ) *expectans solatium Israelis,* i. e. *Messiam,* vel beneficia illa Messiae spiritualia: quamquam et reipublicae restitutionem ab eo speratam credibile est. Παράκλησις, *solamen,* h. l. per metonymiam est *auctor levaminis, reipublicae afflictae restaurator* laetiora tempora allaturus. πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτὸν) *Spiritu divino agebatur.* Dicitur hoc proprie de prophetis, ut Ies. LXI, 1. sed etiam de aliis, qui habent afflatus divinos, vel eximia dona. Sunt qui putent, *Simeonem,* cuius hic fit mentio, fuisse patrem Gamalielis, de quo Act. V, 34. filium vero Hillelis, quem Iosephus Pollionem appellat. Tempora convenire ipsi Iudaei fatentur. *Gansius* in Zemach: Iesu Nazareni nativitas contigit diebus R. Simeonis filii Hillelis. Ceterum Simeonem utpote vir δίκαιος et εὐλαβὴς, verisimile est, in eorum numero fuisse, qui quotidie in templo convenirent, precibusque et piis sermonibus ad Messiae adventum sese praepararent; vid. *Schoettgenius*

nius Hor. Hebr ad h. l Dum ergo Maria in templo sacerdoti nomen, et oppidum patrium infantis nominat, seque e Davidis familia oriundam dicit, fortassis etiam ea, quae nocte illa (v. 8. sqq.) evenerant, narrat, Simeon, qui impellente spiritu (v. 27.) in templum venerat, intelligit iam promissionem, quae ipsi (v. 26) contigerat, esse impletam, et hunc puerum futurum esse Messiam.

26. Κεχρηματισμένον) Matth. II, 12. Promissum fortassis hoc fuit Simeoni per somnium. *Ἰδεῖν θάνατον*) *Pati vel subire mortem.* Nam *ἰδεῖν* h. l. est *pati, experiri.* Vid. ad Matth. XVI, 28. Τὸν Χριστὸν κυρίου, Messiam a Deo missum, constitutum. Ps. II.

27. Ἐν τῷ πνεύματι) *instigante, impellente,* vel *revelante Spiritu.* Orta est nempe in animo eius cogitatio, quam eiicere non poterat, adeundum sibi esse templum. *τοὺς γονεῖς*) Non mirum est, *Iosephum* hoc nomine appellari, quum etiam socrum et novercam iurisconsulti tradant esse matrum loco. *κατὰ τὸ εἰθισμένον τοῦ νόμου*) *quod ex lege consuetum erat*, nempe *παραστῆσαι τῷ κυρίῳ*, ut supra dixit, et offerre *τὴν λύτρωσιν.*

28. Καὶ *αὐτὸς—καὶ εἶπε*) *Et ipse quoque ulnis eum excepit, Deumque laudibus celebravit his verbis.* Καὶ *αὐτὸς*, ipse etiam Simeon, praeter parentes et sacerdotem. Εὐλογεῖν, hebr. בָּרַךְ, *laudare, celebrare.*

29. Νῦν—ἐν εἰρήνῃ) *Nunc ministrum tuum, Domine, laetum dimittis* (ex hoc corpore) *secundum tuam promissionem.* Ἀπολύεσθαι, dicuntur, qui e vinculis aut carcere liberantur, Act. IV, 21. V, 40. et aliis locis. Hinc poni solet haec vox saepe pro: *e corpore*

mi

migrare. Themistius apud Stob. S. 119. ἀπολύεσθαι τὸν ἀποθνήσκοντα, καὶ τὴν τελευτὴν ἀπολύσιν καλοῦσι. Aelian. Var. Hist. XIII, 20. ἀπολύεσθαι τοῦ ζῆν. Sic etiam Hebraeis נִפְטָר dimissus, est *mortuus*, et פטירתו של אדם decessus ex hac vita, sive mors hominis. Cf. Gen. XV, 2. Num. XX, 29. Est autem in hoc loquendi genere manifesta professio speratae vitae alterius, quum corpus habeatur pro animi vinculo. τὸν δοῦλόν σου) i. e. me, qui sum servus tuus. κατὰ τὸ ῥῆμά σου) *quemadmodum mihi pollicitus es.* Respicit enim illud quod divinitus intellexerat, v. 26. ἐν εἰρήνῃ) בשלום, *feliciter et beate.* Haec verba coniungenda sunt cum ἀπολύεις, *feliciter e corpore migrare iubes.* Solent ita de se loqui, qui rei optatae conspectum sunt adepti, quasi iam nihil possit illis ad felicitatem vitae accedere. Gen. XLVI, 30. Simeonem vero tunc temporis iam consenuisse ex huius versus verbis facile colligitur.

30. Εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου) Non est pleonasmus. Nam etiam cor videt, quando aliquid assequitur per intellectum, aut quando intelligit. Ita Augustus, *oculi mei*, dixit, *requirunt meum Caium.* τὸ σωτήριόν σου) *Salutem tuam*, i. e. Messiam, quem tu misisti. Σωτήριον solent interdum ponere LXX. ubi in Hebraeo est יְשׁוּעָה, ut Ps. XCVIII, 3. 1 Sam. II, 1. Est autem hic abstractum pro concreto positum, σωτήριον ἀντὶ τοῦ σωτῆρος, sicut et latine dicimus: tu mea es salus. Apud *Iesaiam* c. XLVI, 12. Deus loquens de Messia similiter ait תְּשׁוּעָתִי *salus mea*, i. e. *a me.*

31. Ὃ ἡτοίμασας — λαῶν) *Quem omnibus populis destinasti*, vel omnibus populis conspiciendum praebes. Pa-

Parasti, ut ostenderes scilicet. Κατὰ πρόσωπον, *coram, in faciem, in os*, h. l. est nota Dativi. Sic Ps. XXIII, 5. pro hebr. לְפָנָי Alexandrini habent ἐνώπιόν μου, constructione nostrae plane simili.

32. Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν) *Doctorem, qui nationes illuminet, vel doceat.* Nam φῶς *lumen* pro magno doctore, qui ignorantia depulsa homines feliciores reddit, saepe ponitur, ut I, 79. Ἀποκάλυψις ἐθνῶν passiva significatione sumi potest: *ut nationes illuminentur*, vel ἀποκάλυψις, *illuminatio;* ut apud LXX. ἀποκάλυψον τοὺς ὀφθαλμούς μου, *illumina oculos meos.* Cf. etiam Num. XXII, 31. XXIV, 4. 16. Ies. XLIX, 6. LX, 1. imprimis autem XLII, 6. ubi legitur: *dabo te lucem gentibus, ut aperias oculos caecorum etc.* καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραήλ) *Et decus populi tui Israel.* Vel appositio continuatur, vel εἰς ad δόξαν repetendum est. Ex loco Ies. XLVI, 13. Messias est *gloria* Israelis, quia, ex Israelitis natus, inter ipsos vixit, et gentes vocavit ad religionem Israelis. De religione igitur totius humani generis, non Iudaeorum tantum sermo est, ut saepe in prophetis V. T.

33. Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ) Sic habent codices graeci fere omnes, versiones nonnullae, Photius, Thophil. Hilarius, Helvidius, (apud Hieronymum) graecos codices falsitos esse contendens. Sed cod. Cantabrig. et Stephani η, cum paucis aliis, versonibus nonnullis, Cyrillo hieros. Augustino, Hieronymo, Graecis tractatoribus paene omnibus et nonnullis e latinis apud Hieronymum habent ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ ἡ μήτηρ sive ὁ πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ.

34. 35. Εὐλόγησεν αὐτοὺς) *Iosephum et Mariam*, quorum praecessit mentio, bonis ominibus prosecutus, bene iis precatus est. Nam εὐλογεῖν est in genere, *bene dicere*, hinc etiam notat: *bona et fausta apprecari.* 1 Macc. II, 69. καὶ εἶπε — αὐτοῦ) *et inprimis Mariam ita allocutus est.* καὶ, *inprimis*, vid. Mc. I, 6. Luc XI, 46. οὗτος — — καρδιῶν διαλογισμοί) Hunc locum eleganter interpretatur *Morus* in Progr. a. 1783. scripto, his fere verbis: *Tu vero, Maria, scito, hanc huius pueri sortem esse, ut Israelitarum multi ex eo culpam contrahant et corrigant, ipse vero, non sine acerrimo dolore tuo, sit monumentum contemtus et ignominiae. Sic complurium intima patescent sensa.* Phrasis κεῖσθαι v. 34. sicuti τεθῆναι, δοθῆναι, ἑτοιμασθῆναι εἰς τι indicat destinationem personae vel rei ad fata tristia vel laeta; ut patet ex Philip. I, 17. 1 Thess. III, 3. quod tamen de fatali quadam necessitate minime est intelligendum. Talis enim intelligitur destinatio, cuiusmodi formulis vitae communis centies exprimitur. Recte monet *Morus:* „Omnino sermo Orientis non est in ordinem scholae cogendus, sed agnoscendum potius saepenumero, ea, quae nos distinctius referamus ad Deum volentem et permittentem, efficientem et concedentem, dantem aut non dantem, agentem sua vi aut moderantem moralia, ab illo sermone omnino referri ad ὁρισμὸν, βουλὴν, actionem effectionemque Dei, et, quoniam nihil sit fiatque ἄνευ θεοῦ (quod tamen latissime patet) Deum simpliciter ut agentem omnia describi. Quum igitur quis κεῖσθαι εἰς τι dicitur, intelligitur, hoc illi quacunque de causa certum paratumque esse, nec posse aliud de eo exspectari; atque causas cur nunc quidem aliud exspectari nequeat, esse naturam rei, hominum in-

ingenia et mores, consilia Dei omnia moderantis, interdum etiam hoc, quod praenuntiatum sit." Ergo h. nostro loco οὗτος κεῖται, omnino vertendum est: *Haec huius* (pueri) *sors erit*, nec poterit aliud de eo exspectari. Εἰς πτῶσιν — Ἰσραήλ) *ut Israelitarum multi cadant et resurgant*, i. e. ex eo culpam contrahant et corrigant. Nam πίπτειν *cadere, prolabi*, metaphorice saepe sumi pro: *peccare, delinquere*, satis est notum. Hinc patet quid h. l. sit πτῶσις, et eius oppositum ἀνάστασις. Nempe historia teste scimus, multa fuisse in Christi vita, rebus, doctrina et morte, per quae Iudaei, suis adsueti moribus, suis opinionibus imbuti, moverentur, ut a Christo abalienati, nec ipsum agnoscerent Messiam, nec doctrinam eius de salute propter ipsum exspectanda probarent. Quoniam igitur in doctrina, vita et morte Iesu occasio fuit, cur tales homines ita se erga eum gererent, ideo id, quod errore et facto lapsi sunt, et πτῶσις illorum ad eum refertur. Quod errore et facto lapsi sunt, occasione ex hoc puero capta, ut millies e rebus externis labendi occasio capi solet, culpam sibi contraxerunt. Quae autem sit ἀνάστασις eorum, qui lapsi fuerant, et quo sensu haec quoque res dicatur sors Iesu imminens et destinata, facile nunc intelligitur. Historia nempe docet, Iudaeorum multos ex iisdem illis quae Iesus docuerat et egerat, occasionem nuperi erroris retractandi culpaeque corrigendae cepisse. Quum autem Christo hoc laetissimum accidere debuerit, natura rei monente: haec quoque laetior vicissitudo rerum in decursu vitae eius appellatur sors illi destinata, pars sortis qua usurus sit. Dicitur autem Christus etiam σημεῖον ἀντιλεγόμενον, i. e. *exemplum seu monumentum hominis reiecti repudiatique*, e cuius vita in-

insigni modo disci possit, quid sit respui et repudiari. Si enim ab Hebraeis, unde hic modus loquendi repetendus est, *homo* aliquis dicitur εἶναι εἰς σημεῖον, intelligitur illum hominem esse exemplo, documento, unde aliquid cognoscatur, aut quo aliquid confirmetur. Cf. נֵס Ies. XI, 12. vel VIII, 18. Ezech. XIV, 8. Ἀντιλέγειν vero non tantum est contradicere verbis, sed etiam *obsistere potissimum re et facto, repudiare*, e. c. Io. XIX, 12. Hebr. XII, 3. Is igitur, quem Simeon ulnis gestabat, dicitur κεῖσθαι εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, destinatus monumento contemtionis, quia hac sorte usurus erat, ut a popularibus non agnosceretur rex, sed ut noctivus fraudator repudiaretur, ad supplicium capitis traderetur, essetque, quamdiu res humanae erunt, insigne exemplum et monumentum a suis turpiter et ignominiose reiecti. καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία τὴν ψυχήν σου, i. e. σὲ. At illa altera locutio est gravior et intensior. Διέρχεσθαι τὴν ψυχὴν est, *in imos eius recessus penetrare*. Ps. XXXVII, 15. et ῥομφαία imago est doloris mortiferi, calumniae acerbissimae; Ps. XXII, 20. LVII, 4. Praenuntiat autem Simeon Mariae his verbis summos animi dolores, ex iis quae in filium eius fierent, oborituros. ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί) *ut multorum cogitationes conceptae animis fiant palam.* Coniungenda sunt haec verba cum illis: σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Doctrina Christi causam dedit, ut erumperent palam consilia et cogitationes adversariorum, et in impietate contumacium.

36. Καὶ ἦν—τῆς παρθενίας αὐτῆς) *Erat porro femina divinitus afflata, Phanuelis filia, ex tribu Aser, longe provecta aetate, quae cum marito, cui virgo nup-*

nupserat, septem vixerat annos. Quonam sensu Anna appelletur προφῆτις, vix certo definiri poterit. Nam προφῆτις potest esse, vel *femina dono futura praedicendi instructa,* ut Apoc. II, 20. vel *uxor prophetae,* ut Ies. VIII, 3. vel *Deo sacra et devota,* (propter v. 37.) vel *divinitus afflata,* divino impetu concitata, quae Deo plena cantus sacros canere solebat. Vid. supra c. I. 67. προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς) *longe provecta aetate.* Vid. c. I, 7. ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς) i. e. ex quo virgo illi nupserat, nuptiis videlicet cum nullo postea repetitis. Magna vero laus mulieris apud nationes paene omnes, non repetere nuptias.

37. Οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ) *Non recessit a templo,* sc. statis temporibus orationis; i. e. *templum assidue frequentabat.* Mentio fit Exod. XXXVIII, 8. et 1 Sam. II, 24. matronarum, ad ostium tabernaculi confluentium. Sic et haec nostra, non perpetuo quidem, sed certis tamen temporibus devotionis ergo templum adiit. νηστείαις — ἡμέραν) *Ieiuniis* (et publicis et privatis) *et precibus Deum assidue coluit.* Νύκτα καὶ ἡμέραν, *assidue,* 1 Tim. V, 5. Sensus: erat cummaxime pia. Post λατρεύουσα supple θεῷ.

38. Ἀνθωμολογεῖτο τῷ κυρίῳ) *Deo laudes gratesque agebat* Neque ulla praepositionis ἀντὶ hic est vis. Sequitur Lucas consuetudinem Hebraeorum, qui verbo הודות particulas ל et אֶת ita adiungunt, ut *laudare et celebrare* significet, quoniam ii, qui laudant aliquem et celebrant, et quasi fatentur et ostendunt, agnosci a se atque diligi virtutes eius et laudes. Hoc verbum Alexandrini nunc verbo αἰνεῖν, (ut Gen. XLIX, 8. ubi Aquila

la habet verbum ἐξομολογεῖσθαι;) nunc verbis compositis ἐξομολογεῖσθαι et ἀνθωμολογεῖσθαι reddiderunt. Ps. CXVIII, 19. 21. LXXIX, 13. τοῖς προσδεχομένοις — Ἱερουσαλήμ) Pro ἐν Ἱερουσαλὴμ al. leg. τοῦ Ἰσραὴλ. Sed prior lectio videtur esse vera, et construendum ita: τοῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ προσδ. λύτρ. nam creber est in traiectionibus *Lucas* Κυρίῳ ad Deum refertur, cui gratiae actae, αὐτοῦ ad Messiam, pro quo actae. λύτρωσις est *liberatio* proprie captivi, qui redimitur pretio aliquo impenso, quod est λύτρον. Sed h. l. intelligitur liberatio a calamitatibus, quibus tum affligebantur Iudaei.

39. Καὶ ὡς — Ναζαρέτ) Quodsi harmonia Evangelistarum spectetur, inferenda est ante hunc versum historia de fuga Iosephi in Aegyptum. Vid. dicta ad Matth. II, 16.

40. Τὸ δὲ παιδίον — πνεύματι) *Puer vero et aetate et animi viribus crescebat.* vid. c. I, 80. κραταιοῦσθαι, *roborari*, ad animum translatum significat *incrementa capere, proficere.* πληρούμενον σοφίας, *plenus sapientia.* χάρις — αὐτό) *Divina venustas ei inerat.* Nam Genit. θεοῦ saepe adiective sumtus superlativum efficit, et χάρις, *gratia*, *iucunditas*, *venustas*. Ea erat venustas, et dignitas formae in puero, ut omnes intelligerent, a Deo ita ornatum esse. Act. VII, 20. Haec est *Wetstenii* et *Raphelii* interpretatio. Praefero tamen eorum sententiam, qui vertunt: *Deus ei favebat*, ut χάρις θεοῦ sit *favor Dei* et *cura singularis*, alias χεὶρ κυρίου, c. I, 66. coll. II, 52. ut sensus sit: Omnes facile perspiciebant, Deum huic puero singulari cura adesse. Si de *venustate* sermo esset, dicendum fuerat: χάρις θεοῦ ἦν ἐν αὐτῷ.

41.

41. Plane egregias ac divinas facultates habuisse Iesum puerum, illustratur re in facto posita, v. 41. sqq. κατ' ἔτος) elliptice pro κὰθ' ἕκαστον ἔτος, *singulis annis*. οἱ γονεῖς αὐτοῦ) *Iosephus et Maria.* Nam feminae, quum de iis lex non extaret, propria religione semel anno sacros coetus invisebant cum maritis; omnibus autem viris Iudaeam habitantibus praeceptum erat *ter* anno adire locum sacrorum conventuum, festo pachatos, pentecostes et tabernaculorum. Exod. XXIII, 14—17. Deut. XVI, 16.

42. 43. Καὶ ὅτε — ἡ μήτηρ αὐτοῦ) *Quum autem natus esset annos duodecim, illique petiissent Hierosolymam ex more huius festi, et dies festos ibi transegissent, dum domum reverterentur, remansit Iesus puer Hierosolymis, Ioseplio et matre eius nescientibus.* Solebant Iudaei pueros, qui annum aetatis duodecimum attigissent, diligentius instituere in religione, eosque ad dies festos concelebrandos Hierosolymam deducere. *Ioma* fol. 82. 1. *Ab anno duodecimo initiabant pueros ad ieiunandum etc Chetub.* fol. 50. *Leniter agat homo cum filio suo ad annum eius* 12. *ast exinde cum eo descendat in vitam suam.* Hoc ostenderunt *Lightfootus* et *Wetstenius* ad h. l. Τελειωσάντων τὰς ἡμέρας) sc. τῆς ἑορτῆς; *quum peregissent dies*, sc. septem azymorum dies. Exod. XXIII, 15. Levit. XXIII, 4—8, Num. XXVIII, 16—27.

44. Νομίσαντες — ὁδὸν) *Quum autem existimarent, eum esse in comitatu, et profecti essent iter diei;* Hierosolymis nempe domum redeuntes. Eorum, quae interpretes observarunt, ut parentes Iesu a negligentiae et incuriae crimine liberarent, omninoque qua

ratione Iesus educatus fuerit, probabiliora attulit *Greiling*, Leb. Iesu p. 52. sqq. Συνοδία proprie est *iter a pluribus simul susceptum*, deinde per metonymiam *ipsos itineris socios* indicat, *comitatum*. Persae et Arabes *Caravanam* vocant, Hebraei אֹרְחָה, Gen. XXXVII, 25. Magna erat turba simul iter facientium e Galilaea in Iudaeam et contra. De die se aggregabant his atque illis, prout ferebat occasio, coloquii causa: vesperi ad suos se referebant capiendae quietis causa. Itaque mirum non est, vesperi primum desideratum esse puerum. ἦλθον, *progressi, profecti sunt*. Verba הָלַךְ et בּוֹא in vers. Alex. modo verbo ἔρχεσθαι, modo verbo πορεύειν exprimuntur. καὶ ἀνεζήτουν — τοῖς γνωστοῖς) Recte Vulgata: *requirebant eum inter cognatos et notos*, qui nempe erant ἐν τῇ συνοδίᾳ, apud quos eum haesisse suspicabantur. Ἀνεζήτουν, *requirebant;* hoc enim magnam sollicitudinem notat, et quandam quasi στοργήν, parentibus propriam.

46. Καὶ ἐγένετο ut hebr. וַיְהִי redundat. Μεθ' ἡμέρας τρεῖς) i. e. *die tertio*, ἐν τρίτῃ ἡμέρᾳ. Nam Alexandrini particulam בְּ modo vertunt μετὰ modo ἐν, ut Deut. XIV, 28. coll. XXVI, 12. Die primo iter fecerant; altero remensi erant idem iter, tertio demum quaesitum inveniunt. ἐν τῷ ἱερῷ) Aliud est ναὸς sive aedes, cuius partes erant sanctum, in quod nonnisi sacerdotibus ingredi licebat, et sanctum sanctorum soli Pontifici semel quotannis patens: aliud ἱερὸν, complectens atria, porticus, et varia conclavia, in quibus et iudices et doctores sederent, et synagogas. Solebant autem auditores doctori quaestiones proponere. *Beresch.* h. 81, 2.

Hieros.

Hieros. Taanith. etc. ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων) i. e. *in turba magistrorum.* Nam ἐν μέσῳ, hebr. בְּתוֹךְ ponitur pro ב, *inter.* καθεζόμενον — αὐτούς) *sedentem inter doctores, eosque audientem et interrogantem.* Verba ἐπερωτῶντα αὐτούς non hoc volunt, Iesum doctoris personam egisse; nam Iudaeorum magistri discipulos suos ita instituebant, ut eos interrogarent, et ab iis quoque interrogarentur. Vid. *Lightfootus* et *Wetstenius* ad h. l.

47. Ἐξίσταντο, *obstupescebant, mirabantur.* Verbum ἐξίστημι de quacunque animi commotione vehementiori, imprimis etiam de admiratione summa usurpatur, ut Iudith. XII, 15. XV, 1. Ἐπὶ τῇ συνέσει, *super intelligentia, scientia. Philo* de opif. mundi coniungit hoc nomen cum ἀγχίνοια, *mentis praesentia et intelligendi celeritate: τὴν ἀδιαφθορόν σύνεσιν καὶ ἀγχίνοιαν, ᾗ γνωρίζεται τὰ αἰσχρὰ καὶ καλά, incorruptam intelligentiam sagacitatemque, qua honesta et turpia agnoscuntur.* Haec σύνεσις, qua Iesus excelluit, non solum ex prudentibus responsionibus ipsius, sed etiam ex eiusdem interrogationibus (v. 46.) apparebat.

48. Τέκνον — ἐζητοῦμέν σε) *Fili, quare sic nobiscum egisti? ego et parens tuus te sollicito animo quaesivimus.* Τί, pro διατί, *quare,* לָמָּה. Verbum ὀδυνᾶσθαι proprie usurpatur de parturientis doloribus, ut ὀδύνη in versione Alexandrina Gen. XXXV, 18. Ierem. XXII, 23. deinde vero omnino notat *gravi dolore affici, maximopere sollicitum esse.*

49. Οὐκ ἤδειτε — δεῖ εἶναί με;) Multi hoc ita interpretantur, ut intellecto οἰκήμασι vel τόποις, sensus sit: *Nonne sciebatis, me esse oportere in domo patris mei, s. in templo?* Ita accepit Syrus, et est *Iosephi* locus, ubi τὰ τοῦ Διὸς diserte est *templum Iovis*, L. I. c. Apion. Alii subintelligunt vocem πράγματα, vel προστάγματα, ut in his apud *Philonem de temul.* τοιοῦτοι μὲν εἰσὶν οἱ τὸν πατέρα καὶ τὰ τοῦ πατρὸς τιμῶντες, μητρὸς δὲ καὶ τῶν ἐκείνης ἥκιστα φροντίζοντες, *tales sunt qui patrem et eius mandata magnifaciunt, materna vero matremque ipsam negligunt.* Forma εἶναι ἐν τινὶ apud eundem *Philonem* de migr. Abr. occurrit: ἔτι ὢν ἐν τοῖς πόνοις καὶ τοῖς αἰσθήσεσιν *adhuc in laboribus et sensibus versando.* Sic etiam εἶναι ἐν τοῖς τοῦ βασιλέως aut στρατηγοῦ est, occupari rebus, quae ad regem vel imperatorem pertinent. Posterior explicatio praeferenda videtur, ut sit sensus: *Nonne sciebatis, me debere occupari in iis quae ad voluntatem patris mei pertinent, in mandatis praeceptisque ab eo mihi datis?* Nulla enim fuisset excusatio, si Iesus dixisset: non poteram redire; eram in templo Dei. Hoc potius dicere voluit: Res divinae semper a me praeferendae sunt ceteris rebus; ego cultum Patris mei coelestis omnibus ceteris occupationibus praeferre debeo. Ceterum recte ex iis, quae hic narrantur, colligi videtur, Iesum iam puerum scivisse, quibus rebus a Patre esset destinatus, et occupatum fuisse meditationibus ad munus suum pertinentibus.

51. Ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς) *obsecutus est iis.* Nam ὑποτάσσεσθαι non tantum servi, subditi, et ii inprimis qui vi sub imperium ditionemque redacti sunt, verum etiam qui sponte se dediderunt, et uxores liberique dicun-

cuntur. *Diodor. Sic.* XVI, 46. ὁ δὲ πρῶταγόρας ἑκουσίως ὑποταγεὶς τοῖς πέρσαις. Urbes graecae omnes προθύμως ὑπεστάγησαν τῷ Τιμολεόντι. *Iustinus Martyr* in Dial. c. Tryph. tradit, *aratra et iuga, aliaque τεκτονικὰ ἔργα a Iesu elaborata.* Καὶ ἡ μήτηρ — καρδίᾳ αὐτῆς) *Et mater eius omnia animo recondita tenebat.* Πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα non sunt *omnia haec verba*, vel *hi sermones*, sed intelligitur *haec omnis res*, ut hebr. דבר.

52. Καὶ Ἰησοῦς — ἀνθρώποις) *Iesus autem progressus fecit sapientia et aetate, ac Deo et hominibus gratus erat.* προκόπτειν, *tundendo procudere (strecken)*, metaph. est *proficere*, *incrementa capere*. Cf. Gal. I, 14. Ἡλικίαν sive *staturam* sive *aetatem* vertas, perinde est. Mirum quidem non erat, eum qui vivere pergit, aetate crescere; nec omnino mirum erat, cum aetate et staturam et sapientiam incrementa sumere: at Christus supra aetatem sapiens erat. χάρις, *favor*. Ceterum hausisse videtur Lucas has narrationes e traditione Mariae, Apostolorum, testium αὐτόπτων, aliorumque Christi amicorum. Nam sine dubio Maria, Elisabetha, Zacharias saepissime haec aliis narraverunt. Quamquam igitur nullus Evangelista praeter Lucam has narrationes exhibuit, tamen illae fide sunt dignae.

CAP. III.

1. Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου καίσαρος) *Anno XV. imperii Tiberii Caesaris.* Ἡγεμονία exprimit latinam vocem *imperium*, quo tum nomine, ad declinandam invidiam, potestas vere regia occultabatur.

tur. Ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας) *Pontio Pilato Iudaeae Procuratore.* Quidam apud *Bengelium* exhibent ἐπιτροπεύοντος, rati, vocem ἡγεμονεύοντος amplioris cuiusdam dignitatis potestatisque esse, quam Pilati esset, quem tantum *Procuratorem Caesaris* fuisse sciebant. Sed sciendum est, ἡγεμονεύειν omnibus tribui, qui cum potestate cuidam regioni administrandae praesunt. Sic saepe *Procuratores Caesaris*, qui proprie ἐπίτροποι dicendi erant, tamen ἡγεμόνες dicuntur, vid. e. g. Actor. XXIII, 24. et *Ioseph.* Lib. XVI. Antiq. c. 10. §. 8. Sic hic ipse Pilatus a Iosepho, a quo saepe ἐπίτροπος proprie appellatur, tamen vocatur ἡγεμὼν Antiq. L. XVIII, c. III. Cf. Matth. XXVII, 2. τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρῴδου, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας) De voce *Tetrarcha* vid. not. ad Matth. XIV, 1. Origo utriusque Tetrarchiae, ut et praesidiatus Iudaeae debetur illi divisioni *Augusti*, qua Herodis M. regnum in tres ipsius filios, Archelaum, Herodem Antipam, et Philippum distribuit. *Archelao* enim dedit regni Herodis dimidium cum Ethnarchae nomine: reliquum vero dimidium, in duas Tetrarchias divisum, duobus aliis Herodis filiis tribuit, unam Philippo, alteram Antipae. *Herodi Antipae* in ditionem cessit Peraea et Galilaea, *Philippo* autem Batanaea, Trachonitis et Auranitis, quae et Ituraea vocatur. *Ioseph.* de B. I. Lib. II, c. VI, §. 5. Sed anno fere decimo *Archelaus* Viennam in exilium eiectus est, eiusque ditio in formam provinciae Romanae redacta, quae administrabatur, nomine et auctoritate Caesaris, a Procuratoribus, quorum omnium primos *Coponius* fuit, auctore *Iosepho* de B. I. L. II. c. VIII, §. 1. inter cuius successores et Pilatus fuit. Αυσανίου

νίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχούντος) **Abilena nomen habet ab Abila, urbe quadam Syriae, quae extra fines Palaestinae sita, monti Libano erat contigua. Vid.** *Handbuch der bibl. Alterthumskunde.* **Vol. I. P. II. p. 257. seqq. Haec Dynastia s. Tetrarchia varios Dominos habuit, et Lysaniae, ut quibusdam videtur, ideo vocata est, quod casu quodam contigit, ut modico temporis intervallo duobus contingeret, qui ambo Lysaniae appellarentur. Quoniam igitur ineunte anno ministerii Domini nostri, quidam Lysanias eum principatum tenebat, ne hunc quidem Lucas putavit sibi praetermittendum, quum praesertim Iudaei non pauci in Tetrarchae huius ditione habitarent, et Caius Caesar post mortem Lysaniae hanc Tetrarchiam donaret Agrippae. Ioseph. Antiqq. Lib. XVIII, c. VI. Quis autem iste Lysanias fuerit, cuius Lucas hic mentionem facit, de eo nondum inter Viros doctos convenit.** *Krebsius* **tamen haud pauca e Iosepho huic rei illustrandae affert. Ceterum hoc et comm. seq. tempus quidem constituitur, quo Ioannes baptista docere coepit, non tamen ita, ut accurate definiatur annus vitae Iesu, quippe qui (v. 23.) tunc** ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν **fuisse dicitur. Plura de difficultatibus, quibus illae quaestiones chronologicae implicitae sunt, nec non de multorum Viror. doct. eas solvendi conatu attulit** *Kuinoelius* **ad h. l.**

2. Ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα) ἀρχιερέως **Codd. fere 90. legunt.** *Caiphas* **quinto decimo principatus Tiberiani anno et erat, et proprie vocatur** ἀρχιερεύς **a Luca. Quod autem Annas quoque** ἀρχιερεύς **dicitur, eius rei causa haec est, quia ipse antea summus Sacerdos fuerat, nunc vero erat** סגן **h. e. Pontificis vicarius**

le-

legitimus. Licet enim a Valerio Grato remotus esset, quum tamen quinque filios et generum successorem haberet, facile intelligitur, eum honorem et auctoritatem apud populum et in Synedrio retinuisse. Ios. Ant. Lib. XVIII, c. II, §. 1. Tam perturbata autem fuerunt ea tempora, ut ex viginti sex, qui per annos continuos LXX. ab eversione Hierosolymorum retro numeratos Pontificatum gesserunt, nonnisi unicus dignitatem cum vita deposuerit, ceteris omnibus ante obitum remotis. ἐγένετο — Ἰωάννην) *Deus mandata dedit Ioanni.* Mandata autem, quibus Ioannem instruxit Deus, haec erant, (ut ex eventu apparet,) ut iam inciperet docere et baptizare. ἐπὶ Ἰωάννην, i. e. πρὸς Ἰωάννην, ut Hebraei usurpant עַל pro אֶל. ἐν τῇ ἐρήμῳ) in qua versabatur, muneri se praeparans. Vid. Matth. III, 1.

3. Ἦλθεν — Ἰορδάνου) *Veniebat in regionem, Iordani adiacentem.* ἡ περίχωρος, sc. χώρα, *circumiacens, s. confinis regio.* κηρύσσων — ἁμαρτιῶν) Proprie: *Promulgaus baptismum resipiscentiae ad remissionem peccatorum*, i. e. docebat, eos qui baptizarentur (in futurum Messiam) et mentem emendarent, accepturos remissionem peccatorum. Cf. in h. l. et in comm. 4. quae not. ad Matth. III, 1 — 3.

5. Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται — ὁδοὺς λείας) Sequitur *Lucas* verbotenus LXX. interpretes, Ies. XL, 4. Reliquis Evangelistis satis fuit locum indicare. *Omnes valles expleantur; omnes montes et colles deprimantur: pro tortuosis locis fiat recta via, et ex asperis viis planae fiant.* Ταπεινοῦσθαι h. l. est *deprimi, destrui.* Post τραχεῖαι suppl ὁδοί, ut ὁδὸν post εὐθεῖαν. Λεῖος, *laevis, planus.* Apud Prophetam sensus est, adesse iam

iam tempus, quo Deus ad liberandos suos in Babyloniam quasi se recepturus sit; et mandata esse data de praeparatione, ob adventum tanti Regis necessaria, facienda. Simili modo nunc etiam (Ioannes inquit) praeparandum esse populum ad recipiendum Messiam mox venturum. Nimium anxia est eorum sedulitas, qui in eiusmodi dictis singula minutatim excutiunt, et quaerunt qui sint montes, qui valles, quum satis sit, in re tota comparationem intelligi, et munitoris officium describi. Notum autem est, quoties magni reges, cum exercitu praesertim, iter faciunt, praemitti, qui hiantia solident, extantia complanent, per devia compendium faciant, ne quid itineri obstet, aut moram faciat. Plenae sunt historiae.

6. Καὶ ὄψεται πᾶσα σάρξ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ) cf. c. II, 30. Sensus est, Messiam a Deo missum omnibus hominibus conspicuum fore. Sequentia iam in Matth. adfuerunt. (Cap. III, 9. sqq.)

8. Μὴ ἄρξησθε λέγειν) i. e. μὴ λέγετε. Similis pleonasmus apud Matthaeum et hunc nostrum saepiuscule.

11. Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας — ὁμοίως ποιείτω) Sensus est: *Qui opibus abundat, egenis de suo subveniat.* Ne putarent, ablutionum et victimarum caerimoniis se posse evadere iram divinam, ostendit baptista, requiri veras animi virtutes, ut homines sincero amore commoti aliorum egestatem ex eo, quod ipsis supererat, supplerent. *Tunicam et cibos Ioannes* exempli loco commemorat, ut significet, damnari earum rerum affluentiam, quarum inopia alios graviter premi videamus.

13. Μηδὲν — πράσσετε) *Nolite exigere* (a quoquam) *plus, quam legibus constitutum est.* πράσσειν, de vectiga-

tigalibus vel usura: *exigere*, cf. XIX, 23. Sic *φόρους πράττειν* Plutarchus in Aristide dixit. *Πλέον παρὰ* est locutio qualis Hebr. III, 3. *Διατάσσειν*, *ordinare*, *disponere*, respondet etiam latino *constituere*, et vernaculo *anordnen*, *verordnen*, et maxime usurpatur de magistratibus, leges ferentibus. Quum multi Iudaeorum nefas ducerent, vectigal pendi populo extraneo, expectabant forsan publicani, an *Ioannes* ipsis interdicturus esset publicorum redemtionem. Sed Ioannes vitae crimina ab ipso vivendi genere discrevit, demonstrans, sua monita non obstare tranquillitati publicae, quae in tanta hominum malitia sine tributis et vectigalibus defendi non potest.

14. *Στρατευόμενοι*) i. e. *στρατιῶται*, nam Hebraei utuntur participiis loco nominum, quae verbalia Grammatici vocant. Erant vero aut milites Romani Iudaeorum sacris initiati, aut Herodi, aut Philippo, aut etiam Romanis militantes Iudaei; nam in praesidiis non defugiebant militiam. Expeditiones rarius sequebantur Iudaei, quia sabbato ferre arma et magna itinera facere per legem vetabantur: adde, quod permixti Deorum cultoribus vix poterant observare traditam victus rationem. Quare Ethnicis militantes prius pacti sunt, ne quid adversum religioni suae facere cogerentur. Vide Grotium ad h. l. *μηδένα διασείσητε*) *διασείειν* est: *concutere*; deinde de potentioribus: *vi*, vel *minarum interventu exprimere aliquid;* vel simpliciter: *turbare aliquem*, *molestum esse alicui quovis modo*. Versio Vulg. *Neminem concutite· μηδὲ συκοφαντήσητε*) *συκοφαντεῖν*, *falso crimine rem augere*, *delatorem esse*, *calumniari*. Sic apud *Philonem* (in libro de Ios. extr.) Iosephus di-

ci-

citur συκοφαντοῦμενος, *calumniis petitus*. Milites saepe in hoc peccare possunt, si in praesidio vel ad custodiam collocati innocentes deferant. Cf. *Bretschneideri* Lex. sub hac voce. ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν) *Contenti estote stipendiis vestris;* quanquam ὀψώνια Graeci vocant non sola stipendia, sed omnia militiae merita, in quibus est et annonae praebitio, una cum aliis commodis. Vid. *Wetsten.* Ceterum neque *Ioannes* hoc loco discipulis suis militia interdixit, neque Christus usquam pro patria pugnare vetuit. Hinc legimus, primi etiam et secundi seculi Christianos Imperatori militasse. *Tertull.* Apologet.: „Navigamus et nos vobiscum, *militamus*, et rusticamur, et mercamur." Ex his Ioannis dictis apparet, quomodo is vim paraverit Domino. Hortatus est nempe homines ad vitae sanctitatem, ut libenter Messiam acciperent.

15. Προσδοκῶντος — ὁ Χριστὸς) *Suspensis hinc populi animis, et secum reputantibus, annon hic Ioannes ipse Messias esset?* Προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ) Oratio elliptica. Sensus est, *expectante populo, quo evasurus esset Ioannes*, quid de ipso constituturus esset Deus. Expectabat nimirum populus a Ioanne, ut profiteretur se esse Messiam, quod sequentia docent.

16. Ἀπεκρίνατο Ἰωάννης ἅπασι, λέγων) Postquam scilicet diversis populi sermonibus permoti senatores Iudaeorum legatos ad ipsum miserant, ut Apostolus *Ioannes* narrat, c. I, 19. sqq. Contigit quidem hoc post Christum baptizatum; sed voluit Lucas primum Ioannis historiam absolvere, ut deinde res Christi continua serie pertexeret, quod facere solent etiam optimi Annalium conditores. Ad sequentia Cf. Matth. III, 11. sqq. Magis per-

pervertit quam illustrat historiam Ioannis et Iesu auctor anonymus commentationis in *Henckii* neuem Magazin für Religionsphilosophie etc. Tom. VI. Partic. 3. Nobis narrationes Evangelistarum potiores sunt recentiorum coniecturis.

18. Πολλὰ — τὸν λαὸν) *Alia praeterea sunt multa, quibus populum admonuit, et instituit.* Παρακαλεῖν est *admonere, hortari,* εὐαγγελίζεσθαι autem *instituere.*

19. Ὁ δὲ Ἡρώδης — ὁ Ἡρώδης) *Herodes vero Tetrarcha reprehensus ab eo propter Herodiadem, uxorem fratris eius, et propter reliqua, quae admiserat, scelera omnia.* Ἡρώδης, sc. Antipas, Tetrarcha Galilaeae et Peraeae. *Herodias* fuit filia Aristobuli, qui filius fuit Herodis M. et frater *Philippi* et *Herodis Antipae, Agrippae maioris* soror. Frater Herodis, cuius hic fit mentio, erat *Herodes Philippus*, filius Herodis I. Historia, quam Lucas hic attingit, narratur Matth. XIV, 1. sqq. qui locus hic est conferendus.

21. 22. Ἐγένετο δὲ — ηὐδόκησα) Vide notata ad Matth. III, 13. sqq. Σωματικῷ εἴδει, *corporea specie.* Hoc σῶμα, e nubibus delapsum, fulmen aliquod fuisse videtur, ut omnis propemodum antiquitas ecclesiastica credidit. Hoc adspectabili signo attenti redditi fuerunt homines, ut concludere possent, Deum huic Iesu communicasse extraordinaria dona. ὡσεὶ περιστερὰν, i. e. non celeri, sed lento modu, qualis volatus columbae, descendentis praesertim, esse solet; nam columba — *aëre lapsa quieto radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.* Virgil Aen. V. Cf. Matth. III, 16. *Paulus* Commentar. Tom. I, p. 344. intelligit columbam

lumbam advolantem, et coelo sereno, in eum descendentem.

23 Ἀρχόμενος) sc. κηρύσσειν, vel διδάσκειν, male enim construitur ἀρχόμενος cum verbis ἦν ἐτῶν τριάκοντα, quum potius sit sensus, *Christus circiter triginta annos fuisse natum*, quum auspicaretur munus. Eodem sensu *Lucas* utitur participio ἀρξάμενος Act. I, 22. X, 37. ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ,) τοῦ Ἡλί. Sic enim cum *Baumgartenio* aliisque interpungendum existimo, ut sit sensus: *Erat Iesus, (qui pro filio Iosephi habebatur,) filius* sive potius *nepos τοῦ Eli.* Particula ὡς h. l. significat, *quum:* ut supra c. I. 23. II. 15. Fuit igitur *Eli* pater Mariae. Quae contra monuit *Anonymus* (Repertor. Tom. IX, p. 131.) magis speciosa sunt, quam vera. *Pricaeus* tollendas parentheseos notas, et ὅς non ὡς legendum putat, hoc modo: καὶ ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐ. τ. ἀ. ὢν. ὃς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ. Similem constructionem vid. Act. VII, 20. Luc. II. 57. Mariae patrem fuisse Eli, adiuvat hoc, quod saepe memoratur in scriptis Iudaeornm מריים בת עלי *Maria filia Eli*, quam apud inferos vehementissime discruciari dictitant, vid. *Lightfoot* ad. h. l. *Lucas* recenset genealogiam Mariae, summamque stemmatis humani et Salvatoris cum eo stemmate necessitudinem omnibus, etiam gentibus exhibet, ultra Abrahamum ad ultimam progrediens humani generis originem; at Matthaeus, Hebraeis scribens, ab Abrahamo orditur, promissionem illis in memoriam revocans. Patet ex comm. 31. Mariam ex Nathane, filio Davidis duxisse genus; Iosephus autem e Salomonis stirpe erat natus, Matth. I, 6. Ceterum in scribendis nominibus propriis incredibilis codicum est diversitas. Conf. *Pauli* Commentar. T. I. p. 249 sqq.

36. Τοῦ Καϊνάν) Hunc Lucas ex versione τῶν LXX. inseruit. Nam Gen. X, 24. Arphachsad genuit non Cainan, sed Salam. Cum textu hebraeo consentiunt textus Samaritanus, Philo, Iosephus, et optimae vetustissimaeque versiones latinae. Sunt tamen, qui existiment, Cainani nomen hoc loco nec in primitivis Lucas, nec in LXX. interpretum libris extitisse, sed a librario quodam ex penultimo huius capitis commate errore quodam repositum; deinde quum late spargi ea lectio per Lucae exemplaria coepisset, Graecos Christianos etiam in versione Geneseos secundum LXX. interposuisse nomen Cainanis inter Arphachsadum et Salam, annis etiam additis, quo magis Lucae, quem sic scripsisse arbitrabantur, sua auctoritas constaret. Sed coniectura haec rationibus firmis destituitur; nec dubitandum est Lucam hoc nomen scripsisse. Reperitur enim in omnibus Codd. et versionibus; et Patres in disputationibus super hunc locum affirmant, se hoc nomen in Luca reperisse.

38. Τῆ Ἀδάμ, τοῦ Θεοῦ) Lucas, quum vocat *Adamum* Dei filium, significat, Christum, ex virgine natum, secundum esse Adamum, eiusque ortum per spiritum sanctum non minus esse opus potentiae divinae singulare, quam Adami fuerat. Vid. supra c. I. 35. Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ igitur est h. l. qui praeter Deum, nullum habet patrem naturalem. Gen. V, 1. 2. coll. c. I, 27. Syrus: *Qui ex Deo fuit*, ad Deum tanquam auctorem genus et naturam suam referens.

Cap.

CAP. IV.

1. Πνεύματος ἁγίε πλήρης) *Virtute divina* et plane singulari docendi et miracula edendi *abunde instructus*. Cf. Act. X, 38. Cf. ad totam hanc historiam Matth. IV.

2. ἡμέρας τεσσαράκοντα vel ad antecedens vel ad sequens verbum referri, et vel *in XL dies*, vel *XL diebus*, verti potest. Cohaerent autem verba ἡμ. τεσσ. πειρ., ut adeo Lucas notaverit, Iesum XL dierum spatio tentatum esse. Ceterum XL dierum vel annorum spatii saepius mentio est in V. T. Vid. quae de *quadragenario* numero dicta sunt in Scholiis ad. Ezech. IV, 6. XXIX, 11. et cf. *Vater* in N. T.

3. Τῷ λίθῳ τούτῳ) Cuivis horum lapidum; quod pluraliter exprimit Matthaeus, ut alibi saepe.

5. Καὶ ἀναγαγὼν — χρόνου) Haec tentatio apud Matthaeum tertio loco est narrata. Diversitas orta esse videtur ex eo, quod Matthaeus et Lucas ex diversis fontibus hauserunt. Matthaeus nempe audire potuit hanc historiam ex ore Christi, qui eam sine dubio saepius narravit; Lucas autem, qui non fuit comes Christi, audivit haec ex Apostolis et aliis Christi amicis, vel etiam ex commentariis de vita Iesu Syriace scriptis hausit. Facile igitur fieri potuit, ut Lucas poneret secundo loco, quod esset tertium; nec tam minutae dissensiones aequos lectores facile offendent. Sunt, qui studio ita scripsisse utrumque Evangelistam existiment. Matthaeus, inquiunt, eo ordine tentationes recenset, quo in vita humana sese excipiunt. Iuvenes sollicitat voluptas, viros gloria, senes pecunia. At Lucas eum ordinem tenuit,

ut

ut gravior tentatio sequeretur leviorem; multi enim qui famem tolerant, paupertatem ferre non possunt, et qui paupertatem tolerant, contemtum ferre non possunt.

14. Ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος) *Spiritu ducente*; vel: *cum illa virtute divina* ἧς ἦν πλήρης (v. 1.) *instructus*, nempe vi docendi et sanandi eximia et plane divina.

16. Κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ) Attice pro εἰθισμένον, ut notatur in collectionibus Atticis *Horti Adonidis*. καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι) Verbum ἀναγινώσκειν quum hic tum alibi non simpliciter est *praelegere*, sed etiam partem praelectam *interpretari*. Ad hanc notionem illustrandam facit locus Philonis, (Libr. Quod omnis probus liber) ubi de consuetudine synagogae Iudaicae verba faciens, scribit: ὁ μὲν βίβλους ἀναγινώσκει λαβών, ἕτερος δὲ τῶν ἐμπειροτάτων, ὅσα μὴ γνώριμα παρελθὼν ἀναγινώσκει. *Sumto libro alius praelegit, alius quispiam unus e peritioribus, quae obscura sunt, explicat.*

17. Ἐπεδόθη αὐτῷ — προφήτου) Quum et ex lege Mosis et ex prophetis quoque sabbato περιοχαὶ legerentur, datus est ei liber, qui expositu difficilior credebatur, idque iussu archisynagogi per eum, qui infra vocatur ὑπερήτης. ἀναπτύξας) ἀναπτύσσειν βιβλίον est *evolvere*: πτύσσειν *convolvere*. Nam Hebraeorum, ut et Latinorum libri erant volumina, *Buchrollen*; hinc evolvere librum apud *Ciceronem* atque alios. Eiusmodi libros etiam nunc in synagogis habent. τὸν τόπον) Sic *Plutarchus* atque alii loqui solent: alii etiam χωρίον dicunt. Lucas Act. VIII, 62. περιοχὴν dixit: περικοπὴν dixerunt Graecorum exemplo *Iustinus M.* et *Hieronymus*. Locus hic citatus extat Ies. LXI, 1. 2.

18.

18. Πνεῦμα — ἐμὲ) Vid. supra c. I, 35. Verte: *Iovae spiritu agor*; divino iussu nunc loquor. οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με — πτωχοῖς) *eo quod mihi iniunxit munus, laeta nunciandi miseris.* Nam οὗ ἕνεκεν respondet Hebraeo יַעַן, *eo quod, nam*, non *propterea.* Ἔχρισε hic non donationem spiritus significat, (idem enim sui ipsius causa redderetur) sed *iniunctum munus*, ut et quod sequitur ἀπέσταλκε, hebr. מָשַׁח, *inaugurari, praefici muneri.* Ungebantur enim ii, qui inaugurabantur ad opus quoddam solemniter suscipiendum. Vid. not. ad Matth. I. 1. Πτωχοῖς, עֲנָוִים, *miseri*, afflicti, humilioris conditionis homines, magnatibus et membris senatus publici oppositi, Matth. XI, 5. Ies. XXIX, 19. XI, 4. ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν) *Ad consolandum animo fractos*, moestos. Omittitur haec particula in Codd. Verss. et Patr. haud paucis, et probabile est, additam ex Iesaia, et interpretibus LXX. κηρύξαι — ἄφεσιν, ut captivis proclamem *liberationem*, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, et *coecis* diuturno carcere, *eductionem in lucem*, libertatis usuram. Qui in carcerum tenebris detinentur, vocantur *coeci* Ies. XLII, 7. Vid. Schol. ad h. l.

19. Ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει) *Ut confractos* (i. e. fractos animo, versantes in summis rerum angustiis,) *emittam in libertatem.* Ἄφεσις h. l. est dimissio e captivitate, et ἐν ἀφ. pro εἰς ἄφεσιν. τεθραυσμένοι h. l. videntur esse *compede et catenis sauciati*, vincti. κηρύξαι — δεκτὸν) *Ad indicendum faustum Iovae beneficio annum:* i. e. tempus quo se benevolum praebebit Deus. Κηρύξαι, *indicere.* Similitudo sumta ab anno Iubilaeo, qui per praeconem buccinae sono indici solebat

lebat. Redibant autem hoc anno *benevolentiae Iovae* servi in libertatem. Δεκτὸν est τὸ ἀρεστὸν, id, *quod gratum acceptumque est*, ut infra com. 24. aliisque in locis. Alibi dicitur καιρὸς εὐδοκίας. Male ex hoc loco colligebant Veteres nonnulli, anno peractum esse munus Christi. Nam *annus* h. l. ex similitudine Iubilaei dicitur tempus illud omne, quo se largissime divina bonitas effundebat. Primaria huius loci sententia est haec: *Iussu divino praedico laetissimum Iudaeis tempus.* Haec sententia stilo prophetarum Hebraeorum dilatatur singulis allatis exemplis, non novam sententiam continentibus, sed primam illam dilucidantibus. In loco prophetae nominatim reditus e Babylonico exilio promittitur.

20. Τῷ ὑπηρέτῃ) *Minister* hoc loco est חַזָּן הַכְּנֶסֶת custos librorum sacrorum, qui eos protulit legendos, quum conventum esset in synagoga. Nam post archisynagogum et presbyteros erant in synagoga, qui minora munia ex illorum decreto obibant. Cf. *Lightfoot.* ἐκάθισε) Munus doctoris suo sibi iure vindicans. Nam alii de plebe, etiamsi quid de sacris disserebant, id faciebant stantes. Act. XIII, 16. 1 Cor. XIV, 30.

21. Σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν) *Nunc plenum eventum habet scriptura ista, quam audivistis*, i. e. hoc Iesaiae dictum. σήμερον, *nunc temporis* (*gerade jetzt*). Iesaias praedicit cum fine exilii Babylonici restitutionem reipublicae Iudaicae. At Iesus multo laetiora se annunciare dicit. Nam πληροῦται, quod plenum eventum nanciscitur. Ceterum nemo facile dubitabit, Christum plura dixisse. Lucas summatim indicat, de qua re Iesus dixerit.

22. Ἐμαρτύρουν αὐτῷ) *approbabant, laudabant eum*; nam μαρτυρεῖν τινι significat *laudare aliquem*, qua

qua significatione *Iosephus*, *Philo*, aliique optimi scriptores utuntur, ut Krebsius et Loesnerus docent. καὶ ἐθαύμαζον — στόματος αὐτοῦ) *et admirabantur suavia dicta ab eo prolata.* Ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος per hypallagen dictum esse videtur, pro: ἐπὶ τῇ τῶν λόγων χάριτι. Est autem χάρις h. l. *suavitas. Sie bewunderten seinen angenehmen Vortrag.* καὶ ἔλεγον) sc. τινές, *nonnulli*, qui de veritate verborum Iesu dubitarent, et aegre ferrent, quod patriae urbi prima miracula abstulerat.

23. Πάντως — τὴν παραβολὴν ταύτην) *Vos mihi utique obiicietis illud proverbium.* παραβολή, i. q. Latini proverbium vocant, quia in plerisque proverbiis, cuiusmodi hoc est, locus est similitudini et allegoriae. Solet Iesus dubitationes adversariorum ante diluere, quam palam sint proditae, quod et hic facit. Ne cives Nazareni dicerent, vaticinium illud Iesaiae temere de se dictum esse, eo exposito statim causam subiicit, cur opera eiusmodi praeclara apud eos edere non possit. θεράπευσον σεαυτὸν) *Cura te ipsum* (eosque, qui tibi sunt proximi) i. e. *quod foris praestitisti, praesta etiam domi et in patria*, ut statim explicatur. ὅσα — πατρίδι σου) Christum ante hoc tempus Capernaumi edidisse miracula, diserte tradunt Matth. c. IV. et Marc. c. I.

24. Ἀμὴν i. q. ἐπ' ἀληθείας v. 25. οὐδεὶς — αὐτοῦ) Iuxta illud dictum: *ingrata patria.* Quasi dicat: Ideo miracula non efficio, quia scio, vos non esse credituros. Ceterum facile intelligitur, hoc proverbium non urgendum, sed ita limitandum esse: Fit plerumque, ut propheta civibus non sit acceptus, qui, quum eius perso-

nam a pueritia noverint, illam magis, quam eius facta spectent. „Minuit praesentia famam.“

25. Ἐπ' ἀληθείας — ὑμῖν) Exemplis ostendit saepius factum esse, ut Deus nos afficeret beneficiis extraordinariis qui eorum essent capaces, posthabitis indignis. Ὅτε ἐκλείσθη — τὴν γῆν) *Quum coelo per tres annos et sex menses clauso, existeret fames magna in tota regione.* ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς) Sic et Moses Gen. VII, 2. clausos dicit coeli cataractas, quum pluere desiit. ἐπὶ ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ) Cf. Iac. V, 17. Sed. 1 Reg. XVIII. 1. dicitur *anno tertio* iterum pluviam cecidisse. Quae difficultas tollitur, si hunc locum ita cum Grotio interpreteris: *Dies aliquammulti* (i. e. sex menses) *praeterierant, ex quo Deus allocutus erat Eliam anno tertio.* Potest etiam hoc modo tolli apparens contradictio: Nonnisi bis quotannis solebat pluvia cadere in Iudaea, prior mense Octobri, posterior Aprili. Si ergo Deus instante pluviae tempore illam cohibuit per triennium, sex menses praecedentes quibus non pluerat, triennio sunt addendi. ὡς ἐγένετο) *Quo tempore fuit* fames maxima. Ita plerumque in his libris illud ὡς ἐγένετο sumitur. Omissa est applicatio, quae est haec: Sic non omnibus contingunt beneficia extraordinaria. Quod igitur factum est Capernaumitis, doctrinae meae cupidis, id non fit apud omnes.

26. Εἰ μὴ — Σιδῶνος) Sidoniae, regionis ethnicae 1 Reg. XVII, 9. *Sarepta* est urbs inter Tyrum et Sidonem media. *Ioseph. Antiq.* VIII, 13. §. 2. πρὸς γυναῖκα χήραν) Ostendit Christus hoc et sequente exemplo, miracula non dispensari pro privatis affectibus, sed et liberrimo et sapientissimo Dei arbitratu, qui norit, ubi edita opti-

optimam frugem sint paritura. Sic olim anteposuerunt, Elias Sareptanam mulierem mulieribus Israeliticis, et Elisa Naamanem leprosis Israelitis.

27. Ἐπὶ Ἐλισσαίου, *aetate Elisaei.* Vid. Act. XI, 28. Luc. III, 2. ὁ Σύρος) Non Israelita. Quod olim factum est, non mirum hodie quoque fieri.

28. Ἐπλήσθησαν θυμοῦ) *Vehementer irati sunt.* Ἀκούοντες ταῦτα) Quia indigni miraculis tacita comparatione arguebantur.

29. Ἀναστάντες — τοῦ ὄρους) *Confestim eum eiecerunt ex urbe, et duxerunt ad clivum montis.* Ἀνίστημι, *surgo*, saepe aut omnino pleonastice ponitur ex more Hebraeorum, aut *statim, illico, confestim* reddendum est. Per ὀφρὺν *supercilium*, non summum montis cacumen, sed minor aliquis *tumulus* sive *clivus* intelligitur, qui cum monte cohaeret, metaphora a superciliis oculorum desumta, quae in fronte quidem eminent, ipso tamen vertice inferiora sunt. *Colles* maiorum montium etiam Latini supercilia vocant. Virgil. Georg. I. v. 108. *Ecce supercilio clivosi tramitis undam elicit.* ἐφ' οὗ — ᾠκοδόμητο) *ad quem urbs eorum aedificata erat.* Ἐπὶ h. l. verti debet *ad*, *apud*. Nam urbs Nazaretha sita erat in valle, inter collem aliquem et montem. Vid. *Pockok's Beschreibung des Morgenlandes.* Tom. II p. 91. 92. vers. germ. Breyer. Εἰς τό (al. leg. ὥστε) κατακρημνίσαι αὐτὸν) *Ut eum inde praecipitarent;* non iudicii more, sed motu concitatae plebis; sicut et alio tempore Iudaei eum lapidare voluerunt.

30. Αὐτὸς — ἐπορεύετο) *Ille vero, per eos transiens, abibat.* Διὰ μέσου αὐτῶν, i. e. ἀ' αὐτοὺς. Nam

vox

vox μέσον, ut saepe, idiotismus linguae est. Ἐπορεύετο, *abibat*. Quomodo evaserit Iesus, ignoramus; nec vero mirabili modo se subduxisse, iam exinde apparet, quia paulo ante Nazarethanos miraculis indignos esse dixerat.

31. 32. Εἰς Καπερναούμ) Vid. dicta ad Matth. IV. 13. 23. et Marc. I, 21. sqq. ἐν ἐξουσίᾳ) Eodem fere sensu, quo Matth. VII, 29.

33. πν. δαιμ. ἀκαθ. i. q. simplex δαιμόνιον ἀκάθαρτον; sicuti πνεῦμα τοῦ Θεοῦ i. q. Θεός. Cf. ad haec et sequentia Marc. I, 23. sqq.

36. Τίς ὁ λόγος οὗτος;) *Quid hoc est rei?* Nam Marcus c. I, 27. habet: Τί ἐστι τοῦτο; et LXX, quum דָּבָר *rem* significat, λόγον aut ῥῆμα saepe vertunt. ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει) *Tanta cum vi et auctoritate.* ἐξουσία et δύναμις synonyma sunt, iuncta ad augendam potentiae notionem.

38. Vid. Matth. VIII, 14. sqq. Marc. I, 29. s.

39. Ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς) *Quum supra* (iuxta) *lectum constitisset.* Sic describitur gestus Christi sese ac lecti fulcrum inclinantis, ut febricitantem allevaret. Dicunt alii Evangelistae, Christum prehendisse ipsius manum.

40. Δύνοντος δὲ ἡλίου) *Quum sol occidisset.* Nam praesens usurpatur hic pro praeterito. Cf. Matth. VIII, 16. Marc. I, 32. Expectabant autem solis occasum propter sabbatum. Cf. comm. 31.

41. Καὶ ἐπιτιμῶν — εἶναι) *Sed ille obiurgans, non permisit dicere, se scire, eum esse Messiam.* λαλεῖν, *dicere.* Sunt, qui existiment, Iesum ideo prohibuisse, ut ostenderet, se non egere hoc testimonio, cum potius ipse do-

docendo, edendoque miracula, se esse Messiam vellet monstrare. Sed, quum daemoniaci, qui h. l. commemorantur, nullius rei arguuntur, nisi quod conclamassent: *σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ!* fortasse cogitandi sunt *furibundi turbarumque cupidi clamatores*, et Iesus vehementer eos vituperare videtur, quod, si noverint, se esse Messiam, id clamoribus tantum ostenderent.

42. Γενομένης δὲ ἡμέρας) *Quum dies immineret.* Cf. Marcum c. I, 35. κατεῖχον αὐτὸν) *Retinuerunt eum*, vel retinere eum conabantur; precibus instabant, ne ab ipsis discederet.

43. Πόλεσιν) Vicos oppidorum instar πόλεις vocat *Lucas*, quas Marcus κωμοπόλεις. Cf. Marc. I, 35. sqq.

CAP. V.

1. Ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ) *Quum nimio populi concursu premeretur et urgeretur.* Ἐπικεῖσθαι proprie dicuntur, *qui hostes pressius persequuntur et premunt*, et respondet Latinorum *instare*. Hic autem de *populo, agmine quasi facto, irruente, aliumque premente*, adhibetur. τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *audiendae doctrinae divinae causa.* Post τοῦ ἀκούειν subaudiendum est ἕνεκα. Quod ipsam narrationem attinet, vide quae ad Io. I, 41—43. annotabimus, ex quo loco Ioannis patet, Petrum iam aliquamdiu discipulum Iesu fuisse, sed non perpetuo ei adhaesisse hactenus. Proinde Lucas non accurate temporis ordinem secutus est.

2. 3. Καὶ εἶδε — ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον) *Et quum vidisset duas naves ad oram lacus subductas, e quibus pis-*

piscatores abierant in terram, ut retia purgarent: unam illarum navium, quae Simonis erat, ingressus, hunc rogavit, ut paullulum proveheretur. στῆναι, *stare*, frequenter ponitur de navibus portum tenentibus. Ἐπαναγαγεῖν, vox nautica significat *sursum ducere*, sc. εἰς τὸ βάθος, *in altum mare.*

4. Ἐπανάγαγε — εἰς ἄγραν) *Subducas in altum* (navigia) *et retia vestra dimittite, ad capiendos pisces.* Ἄγρα, *captura*, et ipsi pisces capiendi.

5. Ἐπιστάτα) *Magister, doctor.* Vox ἐπιστάτης, qua Lucas solus pro hebraica רבי utitur, proprie denotat praefectum et inspectorem, deinde etiam doctorem. Graeci interpretes Exod. I, 11. שָׂרֵי מִסִּים reddunt: ἔργων ἐπιστάτας. Qui enim magistri doctrinae erant, ii magistri simul vitae esse solebant. ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου) Est illipsis vocis πεποιθὼς. *Fretus solo imperio tuo*, quum res ceterae omnes spei nostrae adversentur. Ῥῆμα, מִצְוָה, *praeceptum, mandatum.* Prov. III, 1.

6. Συνέκλεισαν) Venatorum verbum. Concluduntur, quibus exitus nullus patet. Hoc loco sensus est: *Incluserunt in retia.* διερρήγνυτο) Hyperbolice. *Parum abfuit quin rumperetur*, vel: *rumpi incipiebat;* nam verba complectiva saepe inchoative intelligenda esse, ostendit *Glassius* in Philolog. s. edit. Dath. p. 188.

7. Κατένευσαν) Manibus intellige, non capitibus. τοῖς μετόχοις) *Sociis.* Solent enim plurium navium piscatores societatem inter se inire. συλλαβέσθαι αὐτοῖς) *ut ipsis opitularentur*, i. e. ut una secum manus admoverent reti. Hesychius: συλλαμβάνε, βοηθεῖ. Ὥστε βυθίζεσθαι αὐτὰ) *ut fere mergerentur*, mergi inciperent.

8.

8. Ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ) Exi e navigiolo meo. ὅτι ἀνὴρ — εἰμι) *Sum homo debilis et infirmus;* non sum dignus hoc honore. Est vox animi submissi. Viderat Petrus morbos a Christo sanari; at nunc agnoscit etiam, dominium eum habere in aquas et pisces Ps. VIII. non ut illos occideret, quod Moses fecit, Exod. VII. sed ut, quod maius est, eorum captura hominibus beneficium praestaret. Non igitur mirandum est, eum se indignum putasse praesentia Christi.

9. Θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν) *Pavor enim occuparat eum*, hebr. סבב, vel אחז, sicut *Tacitus* dixit *induere pavores;* et simile est apud Latinos: *circumstetit horror.* ἐπὶ — συνέλαβον) *Super captura piscium, quam fecerant*, vel brevius *propter pisces, quos ceperant.* Nam per ἄγραν ipsa res intelligitur, quae capitur. οἱ σὺν αὐτῷ sunt soli comites Petri, qui in eodem cum Petro navigio erant.

10. Ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν) Capturis longo pretiosioribus ditabo te; proprie: *vivos homines capies.* Est enim significatio verbi ζωγρεῖν proprie *vivum capere*, vel capti vitam conservare, quum liceret interficere. Ioseph. Antiquit. L. XIII, c. 6. §. 2. τὸν μὲν Ἰωνάθην ἐζώγρησε, τοὺς δὲ σὺν αὐτῷ πάντας ἀπέκτεινεν. Hinc ζωάγρια sunt retributa pretia seu munera pro conservata vita. Significat Christus, Apostolos non suapte industria, sed eius imperio ac virtute, expansis Evangelii retibus tantam facturos capturam, ut opus habituri sint subsidiaria multorum εὐαγγελιστῶν opera.

11. Ἠκολούθησαν αὐτῷ) Adhaeserunt ei *perpetui* comites; quod antea non fecerant.

12.

12. Πλήρης λέπρας) *Squalens lepra.* Nec male *Vulgatus: plenus lepra.* Vid. not. ad. Matth. VIII.

14. Ἀπελθὼν δεῖξον σεαυτὸν τῷ ἱερεῖ) Transitus hic est ab oratione obliqua ad rectam; quae orationis forma apud probatos auctores haud raro est obvia.

17. Καὶ ἐγένετο — νομοδιδάσκαλοι) *Die quodam docebat assidentibus Pharisaeis et legis doctoribus.* Non definitur locus et tempus. Marcus c. II, 1. s. refert, Iesum in domo privata Capernaumi docuisse, tantamque multitudinem hominum adfuisse, ut ne atrium quidem homines capere potuerit. Ἐκ πάσης κώμης, *ex variis vicis.* Nam πᾶς saepe respondet latino *varius.* καὶ δύναμις — αὐτοὺς) Sensus est: potentia domini ita se exserebat, ut multos homines illo tempore sanaret; utebatur vi sua ad multos homines sanandos. Alii vero ad ἦν subaudiunt μετ' αὐτοῦ, et per κύριον intelligunt Deum, ut sensus sit: vis divina eum in aegrotis sanandis adiuvabat. Αὐτοὺς hic refertur ad loci illius homines: neque enim commode referri potest ad legisperitos aut Pharisaeos, quos sanatos non legimus, sed quorum hic facta est mentio, ut ostendatur, et spectatores et calumniatores huius facti fuisse. Cf. Matth. IX, 1. sqq. et. Marc. II, 1. sqq.

19. Διὰ ποίας) Sc. ὁδοῦ, quam vocem codices nonnulli addunt. Ellipsis apud meliores Graecos haud infrequens. Sed plurimi codd. habent ποίας nostro loco. διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν) i. e. *per tegulas, s. per tectum demiserunt illum.* Graeci enim *tectum unum* vel κέραμον vel κεράμους vocant. Cf. Marc. II, 4.

26. Παράδοξα) *admirabilia, mira, inusitata. Plinius* Epist. L. IX. 26. *Sunt maxime mirabilia, quae ma-*

maxime inexpectata, utque Graeci magis exprimunt παράδοξα. Ad sequentem narrationem vid. notata ad Matth. IX, 9. sqq. et Marc. II, 13. sqq.

28. Καταλιπὼν ἅπαντα) Quaestuosum illud vivendi genus, et quod ex rationibus ipsi debebatur.

29. Δοχὴν) Hebraeum מִשְׁתֶּה recte δοχὴν interpretantur LXX, significat enim מִשְׁתֶּה convivium instructius, quale in publica aut privata laetitia adhibebatur. Gen. XXI, 8.

30. Οἱ γραμματεῖς αὐτῶν) Deest αὐτῶν in quibusdam Codd. et Verss. Si retineas, οἱ γραμματεῖς αὐτῶν erunt *legisperiti eius loci*, ac proinde magistri Capernaumitarum communiter.

33. Ἐσθίουσι καὶ πίνουσιν) i. e. οὐ νηστεύουσι, ut Matthaeus et Marcus habent, *populariter et hilariter vivunt*.

36. Καὶ τὸ καινὸν — καινοῦ) *etiam rudis* (pannus) *rapturam faciet, neque etiam veteri panno aptum erit recens assumentum*. Est ὑστερολογία. Vult enim dicere: τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ, καὶ (quod aliquando peius est,) τὸ καινὸν σχίζει. Ἐπίβλημα post συμφωνεῖ omittunt codices optimi et plurimi, omnino subintelligendum.

39. Ὁ παλαιὸς χρηστότερὸς ἐστιν) Optime vertit Syrus: *suavius est*. Vini veteris bonitas atque suavitas proverbio celebrari solet. Significavit hoc proverbio Christus, homines non subito ad austeriorem vitam pertrahendos, sed per gradus quosdam assuefaciendos esse: quod accommodatissimum erat ei rei, de qua agebatur.

Com-

Comparatur enim Pharisaeorum austeritas vino novo: Christi lenitas vino veteri. Alia est *Mori* interpretatio, de qua diximus ad Matth. IX, 15. sqq. Est nempe in his similitudinibus sententia haec universa: *Neminem facile in vita communi id facere solere, quod a re, loco, tempore, natura abhorreat.* Nemo autem, qui vetus vinum gustavit, illico mavult recens.

CAP. VI.

1. Ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ) Quale illud sabbatum deuteroproton fuerit, difficile est pronunciare. *Scaliger*, qui multos in assensum traxit, exponit: πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχα, primum sabbatum post secundum diem Paschatos, quo manipulus frumenti ex mandato divino fuit oblatus. Iubet nempe Deus Levit. XXIII, 15. numerare septem hebdomadas Pentecostes מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα, hoc est, a *secundo* (die) *paschatis*, a postero die sabbati. Nam quia iubentur numerare hebdomadas ad Pentecosten, non ab ipso die Paschatis, sed a proxime sequente, Iudaeis valde merorabili, quia ea offerebant primitias frugum: mirum non est, sabbata omnia a Paschate ad Pentecosten, sumsisse appellationem ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχατος. Ergo vox δευτεροπρώτον non est conflata a δεύτερον et πρῶτον, sed a δευτέρα et πρῶτον, ut sit secundo-primum sabbatum, illud sabbatum, quod secundam Paschatis proxime sit secutum. Vid. *Scaliger* de emendatione temporum, L. VI. Cf. *Isaac. Casauboni* Exercit. XIV. ad Annales Baronii. Haec mihi verissima videtur esse sententia, quia nititur argumentis

tis ex historia repetitis. *Wetstenius* intelligit רִאשׁוֹן, הַשֵּׁנִי primum sabbatum mensis secundi, quo legebatur Parascha XXXI. *Emor*, ex Levit. XXI - XXV. in qua reperitur lex de panibus sacris (c. XXIV, 9.), de qua Christus hic loquitur. Idem vir doctus vidisse se affirmat ex Calendario Iudaico, intra annos CXXVII. lectionem huius ipsius paraschae sive sectionis vicies septies in terra Israelis incidere in primum sabbatum mensis secundi *Iiar*. Sunt et aliae virorum doctorum sententiae, quarum tamen nulla ultra probabilitatem assurgit. Cf. *Pauli* Commentar. Tom. II, pag. 33. sqq. Ad ipsam historiam cf. Matth. XII, 1. sqq. Marc. II, 23. sqq.

6. Ἡ χεὶρ — ξηρὰ) *Cuius dextera erat tabida. Paulus* (Tom II. 75.) existimat ξηρὰν χεῖρα esse *manum luxatam*, verrenkt; Iesum autem, quum hominem iuberet extendere manum (v. 10.) distraxisse eam, et sic restituisse integram, nullo intercedente miraculo.

7. Κατηγορίαν αὐτοῦ) *Materiam accusandi eius.* Satis graece. Κατηγορία μου simili sensu est apud *Demosthenem*, et solent saepe Genitivi obiectum significare.

9. Ἐπερωτήσω ὑμᾶς τί) Triplex esse potest huius loci distinctio. Nam aut coniungitur τί cum ἐπερωτήσω, aut sequentibus adiungitur; idque duplici ratione. Nam Theophylactus post τί adscribit distinctionem, ut ita convertas: *Interrogabo vos; quid? licet sabbatis benefacere?* etc. In plerisque vero Codd. τί connectitur cum sequentibus sine distinctione, et pro πότερον accipitur, hoc modo: *Interrogabo vos ecquid licet* etc. Quodsi τί ad priora referre velis, sensus erit: *Est, quod vos interrogem.* Atque id praeferendum videtur, quia et alibi simi-

simili praefatione Christus interrogationem exorditur, Matth. XXI, 24. ubi ἕνα λόγον est, quod hic τί. Verba ψυχ. σῶσ. ἢ ἀποκτ. exempli loco adiecta, nec igitur ad aegrotum referenda sunt.

11. Ἐπλήσθησαν ἀνοίας) *Furore quasi et rabie correpti sunt.* Ἄνοια in universum est *amentia*, hoc autem loco *summa indignatio et furor.*

12. Καὶ ἦν — τοῦ θεοῦ) *Noctem insomnem transigebat in precibus ad Deum.* Προσευχὴ τοῦ θεοῦ, *preces ad Deum.* Sic apud Sallustium in Catilinario: *supplicia Deorum.* Διανυκτερεύειν non tantum est pernoctare, sed saepe etiam *noctem insomnem ducere, vigilare.* Non igitur opus est, ut cum Oleario et aliis per προσευχὴν intelligamus *proseucham*, s. *oratorium* Iudaeorum. Cf. Marc. III, 13. sqq. et Matth. X, 2. sqq. De proseuchis Iudaeorum vid. *Vitringa* de Synag. Vet. p. 119. 217. 1109.

13. Προσεφώνησε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ) i. e. discipulos omnes, qui eum comitari et sectari assidue solebant. Ex his selegit duodecim, eosque dimisit per Palaestinam, ut ibi docerent et sanarent.

17. Καταβὰς μετ' αὐτῶν, ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ) i. e. *de sublimiore secessu contulit se in planitiem montis capacem maioris turbae*: ita sermo, qui sequitur, habitus est in planitie, et nihilominus in monte, quod omnino exigere videtur *Matthaei* narratio, c. V. Sunt, qui putent, diversi temporis esse narrationes apud *Matthaeum* et *Lucam*; et sane nihil vetat, eosdem aut similes sermones saepe esse habitos, praesertim continentes vitae totius praecepta, quae non potuerunt nimium saepe repeti. Sed exordium idem, eademque peroratio eandem arguit narrationem, idque eo magis, quod uterque scriptor addit,

dit, Christum, hoc sermone habito, rediisse Capernaumum, atque ibi sanasse centurionis servum. Καὶ ὄχλος — Σιδῶνος) Sc. adfuit. ὄχλος μαθητῶν αὐτοῦ) Noli solos Apostolos intelligere; nam μαθητὰς modo dixit eos, ex quibus delecti sunt Apostoli. Distinguuntur tamen a reliquo populo, qui non tam assidue Christum sectabatur, atque illi μαθηταὶ. καὶ τῆς — Σιδῶνος) *Et e regione maritima Tyro et Sidoni vicina.* Τῆς παραλίου, sc. γῆς vel χώρας. Sic enim saepe vox παράλιος elliptice occurrit. Non est vertendum: *ex maritima Tyro et Sidone*; hoc enim addi supervacaneum erat, quum, has urbes esse maritimas, nemo ignoraret. Ceterum *Segaarius* ad h. l. observavit, vocem παράλιος maxime de regionibus et locis usurpari, perraro autem de urbibus, de his adhiberi potius voces παραθαλάσσιος et παραθαλασσίδιος ut ap. *Thucyd.* VI, 62.

18. καὶ οἱ ὀχλούμενοι) *qui vexabantur.* Ab optimis auctoribus hoc verbum nunc de vehementiori et graviori vexatione, nunc de leniori saepissime adhibetur.

19. Καὶ πᾶς — πάντας) *Singuli enim* (aegroti) *vel tangere eum cupiebant, quippe omnes sanandi vi polleret.* Πᾶς ὁ ὄχλος) *Omnis turba*, sc. aegrotorum. Hi enim voluerunt eum tangere, ut sanarentur. δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο) Vide notata ad Marc. V, 30. Sensus est: vis eius se exserebat; operabatur. Si homines illorum temporum putaverunt, effluxisse e Iesu aliquam vim, ut sanarentur aegroti, erat haec mera opinio crassior.

20. Oratio a Iesu in monte habita non statim calamo excipiebatur, sed serius, prouti in memoriam scribentis sententiae, formulae verba redibant, literis consignabatur. Diversitatem igitur deprehendimus inter Matthaei et Lucae relationes. Lucas vero, qui non praesens fuisset, cum Iesus orationem montanam haberet, huius epitomen tantum breviorem et contractiorem exhibuit. Καὶ αὐτὸς — ἔλεγε)

ἔλεγε) *Ille vero discipulos suos adspiciens, dixit.* Ἐπᾶραι τοὺς ὀφθαλμοὺς saepe redundat; hic vero *adspicere* significare videtur, quia statim sequitur εἰς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. Allocutus est igitur Iesus *discipulos* et quidem τὸν ὄχλον μαθητῶν v. 17. non solos Apostolos. Μακάριοι (ἐστε, vel ἔσεσθε) οἱ πτωχοί, *beati estis vos humiles!* O beatos vos contemtae sortis homines! Cf. Matth. V, 3. sqq.

22. Μακάριοι — ἀνθράπου) *Beati, quamvis vos oderint homines, eiecerint, et conviciati fuerint, et improbissimorum hominum nomine traduxerint mei causa.* Ὅταν ἀφορίζωσιν ὑμᾶς) i. e. ἀπὸ συναγώγους ποιήσωσιν, *e synagoga eiecerint.* Io. XVI. 2. *Iosephus* dixit: ἐκβάλλειν τοῦ τάγματος. καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρόν) ἐκβάλλειν non est hic. *ex albo aut diptychis expangere*; id enim verbo ἀφορίζεσθαι satis est comprehensum; sed sicut ὀνειδίζειν est *praesentes conviciis proscindere*, ita ἐκβάλλειν (sc. ἐκ τοῦ στόματος) τὸ ὄνομα ὡς πονηρὸν *absentium nomen, ut improborum hóminum, diffamare rumoribus, cum indignatione pronunciare.* Est enim Hebraismus הוֹצִיא שֵׁם רַע, Deut. XXII, 19. Nec contemnenda est eorum sententia, qui τὸ ὄνομα ὑμῶν interpretantur *vestram sectam, vestrum institutum*, i. e. nomen Christianum, et ἐκβάλλειν valere putant ἀποδοκιμάζειν. Cf. Iac. II, 7.

23. Χάρητε καὶ σκιρτήσατε) i. e. χαίροντες σκιρτήσατε, *prae gaudio exultate.* Σκιρτᾶν, quod de pecudibus nec non de hominibus *saltantibus* frequenter occurrit, h. l. ad animum transfertur. Philo plantat. Noe p. 219. *Imago animae recte cernentis, inter virtutes versantis,* καὶ ὑπὸ πλήθους καὶ μεγέθους χαρᾶς ἀνασκιρτώσις, *et prae gaudii magnitudine exsultantis.*

24.

24. Πλὴν — πλουσίοις) *Vae contra vobis divitibus! Heu miseros vos divites.* Οἱ πλούσιοι opponuntur τοῖς πτωχοῖς v. 20. Non intelligit Iesus omnes divites, sed divites more seculi viventes, opibus et dignitatibus elatos, virtutisque studio remotos, quales erant primores populi, Sadducaei et Pharisaei. ἀπέχετε — ὑμῶν) *Habetis*, i. e. iam accepistis τὴν παράκλησιν i e. τὰ ἀγαθὰ ὑμῶν, nempe ἐν τῇ ζωῇ ὑμῶν, neque ad vos pertinent regni Messiani bona. Vid. infra XVI, 25. Nihil ultra vobis exspectandum. De verbo ἀπέχειν vid. Matth. VI, 2.

25. Οὐαὶ — κλαύσετε) Saturati et videntes h. l. sunt ii, qui nihil nisi divitias, luxuriam, gaudia animis volvunt, hisque confidunt. Tales *lugebunt.* Quod duplici modo capi potest, *vel* venturum esse tempus, quo amittant suas divitias; *vel* eos aliquando fore miseros, atque appariturum, ipsis nihil profuisse divitias.

26. Οὐαὶ ὑμῖν — ἄνθρωποι) *Vae vobis, si omnes omnia bona de vobis dicunt, vosque laudibus efferunt.* Nam plerumque, ut ait *Seneca* Epist. 29. malis artibus popularis favor quaeritur. Fieri quidem potest, ut bonus vir a multis laudetur, sed ut doctor religionis omnibus, malis etiam et superstitiosis placeat, hoc nullo modo exspectari potest. Καλῶς ὑμᾶς i. e. καθ' ὑμᾶς, *quod attinet ad vos, εἴπωσι.* Ad sequentia vide dicta ad Matth. V, 38. sqq. τοῖς ψευδοπροφήταις) Quippe qui dogmata sua et vaticinia accommodabant procerum et populi cupiditatibus.

27. Bene cohaerent haec cum proxime antecedentibus. Denuntiaverat nempe Iesus discipulis mala, eiectionem e synagogis, convicia etc. Nunc addit: Moneo vos, ut istos inimicos vestros nihilominus ametis.

Ceterum v. 27. 28. fere leguntur, quae Matth. V, 44. 45.; v. 29. quae Matth. V, 39.; v. 31. qu. Matth. VII, 12.; v. 32. qu. Matth. V, 46.; v. 37. 38. qu Matth. VII, 1. 2.; v. 39. qu. Matth. XV, 14.; v. 40. qu. Matth. X, 24.; v. 41. 42. qu. Matth. VII, 3. 4.; v. 43. 44. qu. Matth. VII, 16 — 18.; v. 47 — 49. qu. Matth. VII, 24 — 27. eaque cf.

32. Ποία ὑμῖν χάρις ἐστί;) *Quaenam vobis gratia* debetur? χάρις non est *beneficium*, sed i. q. μισθὸς, *praemium*, *remuneratio*, *gratia pro accepto beneficio reddita*. Sic est apud Xenoph. Phil. Ioseph.

35. Μηδὲν ἀπελπίζοντες) Nonnulli vertunt: *non desperantes* sc. de retributione. Sed antecedentibus magis convenit vertere: *nihil inde sperantes*. Est enim optimorum scriptorum is mos, ut brevitatis causa, una et altera voce omissa, eius rei indicium faciant ope praepositionis, quae, quum sola poni nequeat, Verbo adiungitur. Sic *Theophrasto* περὶ ἀκαιρίας, ἀπαιτεῖν idem est, quod αἰτεῖν ἀπὸ τινος, *ab aliquo aliquid petere;* et apud Ioseph. L. XI, c. 6. §. 2. de Esthere, ἀπολαβεῖν est λαβεῖν ἀπὸ τινος. Ἀπελπίζοντες ergo nostro loco idem est ac si scriptum esset: μηδὲν ἐλπίζοντες ἀπ' αὐτῶν; *sine spe compensationis.*

36. Γίνεσθε — οἰκτίρμων ἐστί) *Sitis igitur boni et liberales, sicut pater vester bonus est.* Οἰκτίρμονες, non tantum misericordes erga miseros, sed et benigni erga omnes, erga amicos et inimicos vestros, v. 35. erga omnes, qui vestra ope indigent. Talmudistae, Chaldaei et Arabes Deum quasi proprio nomine vocant רחמן i. e. οἰκτίρμονα. Et hanc ipsam sententiam usu populi tritam fuisse, apparet ex Talmude. Sciendum autem est, voces

ces *misericordiam* significantes apud Hebraeos et Hellenistas ad omne beneficentiae genus extendi, ut Gen. XX, 13. et alibi. Hanc notionem huius loci esse, patet ex v. 37. sqq. ubi varia exempla huius misericordiae et benignitatis laudantur.

37. Vide ad Matth. VII, 1. dicta. Καταδικάζειν significat: *sententiam contra aliquem ferre*, cuius oppositum est δικαιοῦσθαι, ut Prov. XVII, 15. Hoc loco sensu malo sumitur, ita ut sit: *male et perperam iudicare, condemnare insontem*, ut Iac. V, 6. Nam praepositio κατὰ saepius in compositis valet *male, perperam.* Vid. *Krebsii* obss. p. 328. Ἀπολύετε καὶ ἀπολυθήσεσθε, *condonate et vobis vicissim condonabitur.* Ἀπολύειν est, omnia, quatenus fieri potest, aequi bonique consulere, et interpretari benignius, quod Latini, etiam quum de privatis agitur, dicunt *absolvere.*

38. Μέτρον — κόλπον ὑμῶν) i. e. *mensura iusta, coacta, succussata, superfluens vobis dabitur.* Δώσουσιν, impersonaliter. Πιέζειν, *premere, pede calcare, comprimere.* Σαλεύειν, et huic apud poetas affinis σαλάττειν usurpatur de grato debitore, qui non tantum ea, quae accepit, sed plus etiam reddere vult, ut σαλεύειν, quod proprie notat *concutere*, sit *concutiendo implere, implere aliquid largiter.* Omnibus his verbis accuratius definitur formula μέτρον καλὸν, i. e. ἱκανὸν, *mensura plena, iusta.* Εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν i. e. *vobis.* Respicitur ad morem apud veteres pluribus gentibus receptum, quod, quum vestes laxiores et sinuosas haberent, has incurvarent, et varia in iisdem portanda susciperent. Ruth. III, 15. et loca ex profanis a Rypkio laudata. Sensus est, Deum eos, qui sunt benigni et clementes, benigne et clementer habiturum. Cf. Matth. VII, 2.

39. Εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς) *Addidit vero hoc exemplum*, adagium, proverbium; ut Luc. IV, 23. מָשָׁל 1. Sam. XXIV, 13. Μήτι — ὁδηγεῖν;) *Num coecus coecum ducere potest?* Τυφλὸς per methaphoram indicat *hominem inscium, indoctum.* Matth. XXIII, 16. 24. H. l. autem, ubi de virtutis exercitio sermo est, τυφλὸς dicitur is, qui officia sua negligit, non sequitur doctrinam, quam commendat. Monuerat nempe Iesus discipulos, ut iniurias ferrent, amarent inimicos, excusarent etc. Nunc addit: si non geretis vos, quomodo doctrina postulat, non eritis idonei doctores. Horat. Epp. I, 17. 4. *ut si coecus iter monstrare velit.* οὐχὶ — πεσοῦνται;) *Nonne ambo in foveam cadent?* Βόθυνος, *cisterna, quae aquis colligendis inservit*, idem quod φρέαρ, Luc. XIV, 11. coll. Matth. XII, 11. hebr. בור 1. Sam. XIX, 22.

40. Οὐκ ἔστι — διδάσκαλον αὐτοῦ) Discipulus non facile superat magistrum, sed se ad exemplum eius componit. Si igitur magister (religionis doctor) non praestiterit officia Christianismi, discipuli etiam ea negligent. κατηρτισμένος — αὐτοῦ) *Totus ad exemplum doctoris erit compositus.* Πᾶς, *totus, quantus est* (discipulus). Κατηρτισμένος, paratus, *instructus, aptus.* Est igitur κατηρτισμένος ὡς ἄλλος, qui idem sentit, idem vult, idem agit quod alter.

41. Haec cohaerent cum iis, quae dicta erant com. 57. ubi Iesus monuerat, non esse temere iudicandum de aliis. Nunc igitur pergit: Cur tu alios condemnas de levibus vitiis, quum ipse pecces in gravioribus? Ad sequentia vid. notata Matth. VII, 3. 16. 24. sqq.

48. Ὃς ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε) Pro: βαθέως ἔσκαψε, altero verbo adverbii vicem obtinente. Vocant Hendiadyn verbale. *Qui alte effodit.* Designat haec comparatio studium pietatis, non in superficie fluitans, sed alto penitus corde reconditum. πλημμύρας δὲ γενομένης) ἡ πλημμύρα est *inundatio, quae fit fluvio ripas supergrediente.* Similiter *Philo* de opif. m. ποταμῶν πλεμμύρας dicit. προσέρρηξεν ὁ ποταμὸς) *Allisus est fluxus.* Per ποταμὸν enim h. l. ut τοὺς ποταμοὺς Matth. VII, 27. non *flumen* sive *fluvius*, sed *fluctus*, s. *fluxus* intelligendus est, ut Ionae II, 4. Ies. XLIII, 2. Προσρήγνυσθαι est *allidi, allisione frangi*, et de fluctibus adhibetur, quum illi littori vel petrae allisi franguntur.

CAP. VII.

1. Ἐπεὶ — Καπερναοὺμ) *Finito hoc sermone ad populum, venit Capernaum.* Πληροῦν h. l. est *absolvere, ad finem perducere, finire.* Εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ) *Audiente populo.* Pertinebant enim hi sermones ad omnes qui salvi esse vellent, non ad Apostolos solos, et eorum in docendi munere successores.

2. Ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος) *quem plurimi faciebat.* Sunt enim ἔντιμοι honorati, et ἄτιμοι ab honorum participatione alieni. Cf. Matth. VIII, 5. sqq.

3. Πρεσβυτέρους) Ut magistratus oppidi, aut praepositos synagogae. Nam et hi et illi eo nomine dicebantur.

4. Παρεκάλουν αὐτὸν σπουδαίως) *Rogabant eum studiose, enixe*, intensis precibus eum orabant. ᾧ παρ-

ἔξει

ἕξει τοῦτο) *cui hoc praestes*; παρέξει secund. pers. fut. med. pro παρέξῃ. Quidam Codd. habent παρέξῃ.

5. Καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν) Suis impensis, forte et militum eam in rem usus opera. Solebant enim Romani ad theatra etiam aliasque substructiones uti manu militari, ne otium in lasciviam verteret.

6. Λέγων αὐτῷ) Nempe per amicos, qui ei suo nomine hoc dicerent. Solent enim Hebraei dialogis potius quam obliquis sermonibus res gestas explicare. μὴ σκύλλου) *Noli tibi molestias creare; bemühe dich nicht zu mir.* Σκύλλειν est *iniuriam facere*, vel omnio *molestiam creare.* Altera significatio est huius loci.

8. Καὶ γὰρ — στρατιώτας) i. e. ἄνθρωπος ὢν ὑπ' ἐξουσίαν τασσόμενος, ἔχω ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας. *Etenim ego, alterius potestati subiectus, militibus praesum.* Commutarunt nempe hic locos verbum et participium. Ὑπ' ἐξουσίαν τασσόμενος, imperatoris nempe atque adeo tribuni. Scio, inquit, quantum effici possit iubendo. Si ego, aliis subiectus, multa iubendo efficere possum, quanto magis tu, tam insignis propheta, iubendo poteris sanare.

11. Ἐν τῇ ἑξῆς) *Die sequenti*, pro ἐν τῇ καθ' ἑξῆς ἡμέρᾳ. Alii legunt ἐν τῷ ἑξῆς, sc. καιρῷ, i. e. *postea*, vel *deinceps.* πόλιν καλουμένην Ναΐν) Galilaeae oppidum ad torrentem Kison, non procul a Capernaum. *Eusebius*: Endor est iuxta oppidum Naim, in quo Christus filium viduae suscitavit, estque circa Scythopolim. μαθηταὶ) Non apostolos tantum, sed et quosvis assiduos sectatores significat. ἱκανοὶ, *satis multi, complures*, deest

deest in nonnullis Codd. et Verss. haud paucis. Vocabula ἱκανός et πολύς saepius inter se permutantur, ut Luc. VIII, 32. coll. Matth. VIII, 30.

12. 13. Τῇ πύλῃ τῆς πόλεως) Nam sepulcra Iudaeis aliisque populis extra urbem erant. Ἐκκομίζειν est verbum funebre, *efferre, exportare.* Τῇ μητρὶ αὐτοῦ, pro τῆς μητρὸς αὐτοῦ. Solet enim Dativus subintellecto participio ὤν loco Genitivi haud raro poni, ut docuit *Raphelius* in obss. Herod. ad. h. l. Iuvenem, qui tamen simpliciter vocatur τεθνηκώς, non vere mortuum fuisse, inter alios *Paulus* (T. I. p. 818. sqq.) affirmare voluit. V. 13. μὴ κλαῖε, *desine flere,* non sunt prohibentis sed consolantis.

14. Ἥψατο τῆς σοροῦ) σορόν hic Syrus ex more inter opulentiores tunc recepto, *lectulum* interpretatur, in quo mortui efferebantur. *Tacitus* Hist. III. c. 67. *ferebatur lecticula parvulus filius, velut in funebrem pompam* Sed et *Iudaeos* ita elatos, ex Iosepho discimus. Hodie adhuc mos obtinet in Oriente, ut mortui non condantur arcis clausis, sed efferantur feretro aperto, lorica, ne delabantur, circumdato. Vid. *Lüdeke* expos. brevis locor. Sacr. S. ad Orientem sese referentium, §. 83. Attigit autem Christus lectulum, ut sisteret ferentes, quod indicant sequentia.

15. Ἀνεκάθισεν) *Erecto corpore sedit.* Sic Plato in Phaedone: εἰς τὴν κλίνην ἀναπαθέσθαι.

16. Ἔλαβε δὲ φόβος ἅπαντας) *Omnes vero cepit admiratio.* φόβον h. l. esse *admirationem* ex eo patet, quod statim sequitur ἐδόξαζον τὸν Θεὸν. προφήτης μέγας ἐγήγερται) προφῆται vocabantur *omnes divinitus missi, Magnum* autem dicunt, quia non precibus, non corpo-

ris

ris superstratione, sed nudo imperio, citra omne exemplum, mortuum vitae reddiderat. καὶ ὅτι iterum aliud effatum; interpung. καὶ, ὅτι, ut Mc. III, 22. ἐπεσκέψατο — αὐτοῦ) *Deus affecit nationem suam insigni aliquo beneficio;* quod nempe prophetam adeo insignem hoc tempore misit. Vid. Luc. I, 68. 78.

17. Καὶ ἐξῆλθεν — περιχώρῳ) *Et pervasit huius rei fama omnem Iudaeam, finitimamque regionem.* Λόγος h. l. est *fama, rumor.* Ἐν ὅλῃ, pro εἰς ὅλην τὴν Ἰουδαίαν. Ἐν τῇ περιχώρῳ sc. γῇ vel χώρᾳ.

18. Vid. dicta ad Matth. XI, 2. seqq.

29. Καὶ πᾶς — Ἰωάννου) *Quo audito multi e populo, etiam portitores, collaudarunt Deum, suscipiendo baptismum Ioannis.* Sensus est: *populum et publicanos testatos esse, approbare se et submisso animo venerari omnia Dei consilia, et inprimis apertum per τὸν βαπτισμὸν τῆς μετανοίας aditum ad regnum Dei, eo ipso, dum Ioanni se baptizandos obtulerunt.* Haec verba sunt non Lucae, sed *Christi*, narrantis, quis eventus fuerit laboris a *Ioanne* suscepti; ac plane continua est oratio ad comma usque 35. Πᾶς ὁ λαός, i. e. multi e populo. *Homines illiterati* opponuntur τοῖς νομικοῖς, in lege exercitatis, sicut τελῶναι, vitae impurioris crediti, opponuntur Φαρισαίοις, singularem quandam atque eminentem sanctimoniam pollicentibus. Δικαιόειν θεὸν, *approbare, collaudare Deum* opponitur phrasi ἀθετεῖν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ, v. 30. et idem est ac δικαιόειν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ, *consilia, decreta et opera divina laudare, approbare, venerari.* Vid. Matth. XI, 19.

30. Τὴν βουλὴν — ἑαυτούς) *Consilium Dei erga se,* i. e. consilium Dei, quod ipsorum salutem spectabat, *reiece-*

iecerunt, vel repudiarunt. Βουλή, *consilium*, hoc loco significat illud propositum Dei, quo clementer decrevit, Iudaeos per Ioannem ad resipiscentiam excitare certa fide facta, priores culpas se condonaturum. Εἰς ἑαυτοὺς a nonnullis refertur ad verbum ἠθέτησαν *(reiecerunt suo malo);* sed construendum potius est cum illo τὴν βουλὴν, ex more Lucae voces traiicientis, ut sit: τὴν τοῦ θεοῦ εἰς ἑαυτοὺς βουλὴν ἠθέτησαν. Nam εἰς pro ל Hebraeorum poni solet, ut Col. I, 20. ἀποκαταλλάξαι εἰς αὐτὸν, et infra c. IX, 13. βρώματα εἰς τὸν λαὸν i. e. τῷ λαῷ.

31. Τίνι ὁμοιώσω) Cohaerent cum praecedentibus. Qui putarunt, Lucam interlocutum verbis Christi, infarserunt hic εἶπε δὲ ὁ κύριος, ut significarent redire ad sermonem Christi. Sed hoc assumentnm, quod quamplurimi veteres Codd. et Verss. non habent, omnino est abiiciendum. Ad sequentia vid. dicta a nobis ad Matth. XI, 16. sqq.

36. Ἠρώτα — Φαρισαίων) *Simon* nomine, ut mox v. 40. dicitur. Videtur haec historia esse diversa ab ea, quae narratur Matth. XXVI, 6. Marc. XIV. et Ioan. XII. Nam, (ut alia taceam,) quae Lucas com. 37. 38. 39. 50. commemorat, Mariae, sorori Lazari, quam optime noverat Christus, quae non fortuito advenerat, sed invitata fuerat, minime conveniunt. Nec Mariam Magdalenam esse mulierem, de qua hic sermo, patet ex Luc. VIII, 2. Vid. *Michaelis* ad h. l. Ex communi fere recent. interpretum opinione Pharisaeus a leviore, mulier a graviore morbo a Iesu sanati erant; et ille convivio, si quae deberet, se soluturum opinatus, negligenter Iesum exceperat, mulier vero gratissimam mentem demonstraverat.

37. Γύνη ἐν τῇ πόλει) Sc. οὖσα, *mulier quaedam illius urbis,* non urbis Hierosolymorum, ut Paulus existimat,

mat, (Commentar. T. I. p. 882) sed Nain. Cf. v. 11. Vid. quae contra explicationem Pauli monuit anonymus in *Henke neuem Magazin für Religionsphilosophie etc.* Tom. VI. Partic. 2. pag. 256. sqq. Ἥτις ἦν ἁμαρτωλὸς) i. e. *quae impuritati dedita fuerat.* Tales feminas Hebraei proprie et insigniter peccatrices vocabant. Sed et a Latinis *peccare* eodem sensu ponitur. Tibullus: *Rumor ait, nostram crebro peccare puellam* Bene autem monent interpretes, aut ἦν vertendum: *fuerat*, aut certe ἁμαρτωλὸς, ut Syrus accepit, improprie dici, non ex praesenti tempore, sed ex vita anteacta, ut Gal. II, 15. Rom. IV, 5. κομίσασα — μύρου) *Afferens vasculum unguentarium.* De voce ἀλάβαστρον vid. notata ab Marc. XIV, 3. et Matth. XXVI, 7.

38. Καὶ στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω) Vera lectio esse videtur: καὶ στᾶσα ὀπίσω παρὰ κ. τ. λ. Sensus est idem. *Adstans ei a tergo ad pedes.* Stabat inter ministrantes, qui retro, i. e. secus pedes discumbentium stabant. Martialis: *At illo retro flexus ad pedum turbam.* ἤρξατο — δάκρυσι) *Incipiebat pedes eius irrigare lacrymis.* Pausanias in Phocicis: *Quare lacrymas fusius effundebat,* καὶ ἔβρεχε τοῦ Φαλάνθου τὴν κεφαλήν, *et caput Phalanthi madefaciebat.* θριξὶ τῆς κεφαλῆς) Bene notant Veteres, fecisse hanc mulierem, quod omnes conversos facere vult *Paulus* Rom. VI, 19. Nam feminae minus custoditi pudoris maximam comae curam impendunt. ἤλειφε τῷ μύρῳ) Non caput tantum, quod fieri honoratis hominibus solebat, sed ipsos etiam pedes, ne quid ad summam animi demissionem testandam deesset.

39. Εἰ ἦν προφήτης) *Si esset:* ἐγίνωσκεν ἄν, *sciret,* quod omnibus notum est, mulierem esse non integrae existi-

existimationis? annon intelligit, eam, quae non vocata domum alienam intrat, pedesque viri tam libere contrectat, pristinum vitae genus veteremque impudentiam nondum deposuisse? Ita temere et inconsiderate iudicabat Pharisaeus. ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ) Pharisaeorum hoc erat scitum, contactu hominum flagitiosorum, non minus quam leprosorum, alios inquinari.

41. Δύο — δανειστῇ τινι) *Duo debitores erant cuidam creditori.* Χρεωφειλέτης, *debitor, aere alieno obrutus,* ex χρέως attice pro χρέος, *debitum, mutuum,* et ὀφειλέτης, *debitor.* Δανειστὴς, *creditor,* qui mutuam pecuniam dedit, interdum etiam foenerator privatus, qui foenore vel usura elocat pecuniam, qui etiam in latinis comoediis *Danista* vocatur.

42. Ἐχαρίσατο) Bene Latinus *donavit.* τίς οὖν — ἀγαπήσει) *Uter igitur horum vehementius amare debet* eum (creditorem tam liberalem)? τίς h. l. ut saepe alibi, pro πότερος. Quid probabile sit, Christus quaerit, non quid necessarium. Nam homines de hominibus iudicare solent, secundum id, quod probabile est.

44. Ὕδωρ ἐπὶ τούς πόδας μου) Non opus est cum *Pricaeo* legere εἰς pro ἐπὶ; nam praepositio ἐπὶ saepe pro εἰς ponitur. Sensus igitur est: *ad pedes meos* (lavandos). Sic *Herodian.* III. 11. ἐκπέμπει ἐπὶ τὸν Φόνον. Solebat aqua dari peregre adventantibus, quod erat officium hospitalitatis primarium. Gen. XVIII, 4. XIX, 2. Tu, inquit Iesus, ne consuetam quidem humanitatem mihi exhibuisti, illa vero inusitato more humaniter se gessit.

45. Φίλημα μοι οὐκ ἔδωκας) Etiam hic mos ad peregre adventantes pertinet. Ἀφ' ἧς — τοὺς πόδας) *Ex quo*

quo hic adsum, identidem pedes meos deosculata est. Οὐ διέλιπε indicat repetitam actionem. Hoc sensus est apud *Philonem* de Plantat. N. μηδέποτε ἐπιλειπῶμεν, μήτε λόγους ἐγκωμιαστοὺς, μήτε ποίημα συντιθέντες, *nunquam desinamus vel orationes laudatorias, vel poëmata componere.* Cf. Ierem. XVII, 8. Lectio εἰσῆλθεν *(ex quo ingressa est)* praeferenda est alteri εἰσῆλθον. Vid. *Griesb.*, *Matthaei*, et anonymus l. c.

46. Ἐλαίῳ) Convivis oleum effundi solitum, videas et Psalm. XXIII, 5. eodemque respicit locus Ps. XLV, 8. Orientales hodie adhuc hospitum capita, facies, manus, vestitus aquis olentibus adspergere solent.

47. 48. Οὗ χάριν — ἠγάπησε πολύ) *Quamobrem scito, ei multa peccata esse condonata, quia multum amavit.* ὅτι, i. e. διὸ. Amor est animi grati et pii eorum, quibus ἐχαρίσθη. Sensus est: Recuperavit poenitentia sua Dei favorem et peccatorum poena, morbo, liberata est; his vero amoris et grati animi signis πίστιν declaravit, sibi multa peccata esse remissa. Parabolae Simoni v. 40. sqq. propositae et applicationem et causam affert Christus, docens ex his amoris signis, peccatorum, a muliere antehac commissorum, quae cum debitis saepe comparantur, et multitudinem et remissionem simul factam coniici posse. Nempe particula ὅτι *signum* indicat remissionis peccatorum, non causam, quae com. 50. demum exponitur. ᾧ δὲ — ἀγαπᾷ) *Cui autem parum condonatur, parum amat*, ut tu, Simon, qui, quia non adeo multa peccata tibi remissa esse putas, tam parum me amas, ut vel communia humanitatis officia mihi denegaveris. Cf. Matth. V, 31.

49. Τίς οὗτός ἐστιν, ὃς καὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν;) Vocula καὶ significat admirationem: *Quis aut quantus hic est, qui etiam dandae veniae ius habet?*

50. Ἡ πίστις σου σέσωκέ σε) Noli superciliosos istos censores metuere; fides tua, poenitentiam operata, pridem te a vitae prioris criminibus absolvit. Magna erat fiducia mulieris, quae aedes Pharisaei intravit, non curans sinistra hominum iudicia. Nec minus seria fuit eius poenitentia, quam et lacrimis fusis, et crinibus, quos prius comere atque ornare solebat, disiectis prodidit. πορεύου εἰς εἰρήνην) *Abi felix*, et felicitatis tuae conscia et certa. Hebraica לְשָׁלוֹם לֵךְ.

CAP. VIII.

1. Καὶ—κώμην) *Deinde singulas civitates et vicos obiit.* Ἐν τῷ καθεξῆς, sc. χρόνῳ. Κατὰ πόλιν καὶ κώμην) *Oppidatim et vicatim.* Aliud est κατὰ τὴν πόλιν, aliud κατὰ πόλιν. Illud de una urbe dicitur, hoc de pluribus. καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ) Ut ab ipso acciperent docendi formam, non quod docerent, praesente magistro. Id enim cum veteri more pugnabat.

2. Μαγδαληνὴ) *Nata Magdalae.* Fuit autem Magdala oppidum prope Tiberiadem ad lacum Genesariticum. Aliud huius nominis oppidum fuit prope Hierosolyma. Apud Talmudicos mentio est Mariae plicatricis capillorum feminarum, quam dicunt fuisse uxorem τοῦ Papus ben Iudae, sed adulteram. ἀφ' ἧς—ἐξεληλύθει) i. e. *quae, quum summo gradu daemoniaca fuisset, sanitatem recuperaverat.* Numerum septenarium saepe

pe poni pro incerto, vel magno, notum est. Non opus est per daemonia intelligi *vitia*, septem daemonia nonnisi magnum gradum maniae indicare videntur. Secutus est Lucas consuetudinem loquendi in vita communi receptam, ut medici nostri ad vulgi opinionem se accommodantes de seleniasmo, de incubo aliisque morbis loqui solent.

3. Ἐπιτρόπου) *Procuratoris.* Non autem intelligendus est procurator provinciae cuiusdam Herodis, sed oeconomus, s. rerum domesticarum inspector. Nusquam enim in Iosepho vel alibi commemoratum legimus, principes ab Herode M. oriundos ditiones suas per procuratores administrandas curasse. De ἐπιτρόποις autem, s. *oeconomis* eorum mentionem facit Iosephus. αἵτινες διηκόνουν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς) *Quae iuvabant eum suis facultatibus.* Διακονεῖν τινι, h. l. est *sublevare alicuius inopiam.* In voce ὑπάρχοντα subaudiendum esse χρήματα, κτήματα, notissimum est. More Iudaico, quem secuti sunt Apostoli, ut recte notat Hieronymus, mulieres, viduae praesertim, solebant magistris suppeditare ad victum necessaria, *Paulus* inter *gentes* omisit, ne sinisterioris sermonis ansam praeberet. Maluit autem Christus admittere hoc beneficium, quam cum Apostolorum comitatu gravis esse ignotis, ad quos adventabat.

4. Συνιόντος — πρὸς αὐτὸν) *Cum iam magna populi multitudo convenisset, et ii, qui e singulis oppidis ad eum accederent, convenissent.* καὶ sc. συνιόντων. Εἶπε διὰ παραβολῆς) Eadem parabola extat Matth. XIII, 3. sqq.

12. Οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν) sc. ὄντες, vel potius σπειρόμενοι aut σπαρέντες, *qui ad viam sati sunt*, die an

dem

dem Wege besäet sind; nam per semen non homines ipsi intelliguntur, sed doctrina Christi significatur. Ergo σπειρ'μενοι vel σπαρέντες sunt ii, qui semen exceperunt. Graeci autem non tantum utuntur formula σπείρειν σπόρον sive σπέρμα, sed etiam formula σπείρειν γῆν, vel ἀρούραν, *terram conserere*, das Land besäen.

14. Τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσὸν) *Qui consitus est inter spinas*, die, welche da, wo Dornen waren, besäet sind. Πεσὸν dicitur *id, quod in se aliquid delapsum excepit*, et neutrum πεσὸν est pro masculino πεσών, atque singularis habet vim pluralis; nam praecesserat οἱ παρὰ τὴν ὁδόν v. 12. οἱ ἐπὶ τῆς πέτρας v. 13. et sequitur οὗτοί εἰσιν. Καὶ ὑπὸ — συμπνίγονται) *Propter curas divitiarum et voluptates vitae suffocant.* *Curae* et *divitiae* per hendiadyn dicuntur pro curis divitiarum. Πορευόμενοι aut processum temporis indicat *(sensim ac paulatim suffocant)*, aut potius πλεονάζει. Συμπνίγονται non vertendum est *suffocantur*, quod nec antithesis nec res ipsa patitur, sed active: *suffocant* sc. τὸν λόγον, s. τὸν καρπόν. Πνίγειν enim cum compositis etiam in media voce reperitur. *Suffocant doctrinam*, i. e. minuunt et frangunt vim, quam in animos ipsorum habuit, in religionis studio fiunt subinde negligentiores, cupiditates suas potius, quam religionem sequuntur. Καὶ οὐ τελεσφοροῦσι) *neque ad maturitatem perducunt* sc. fructus, i. e. non demonstrant factis, se esse sectatores meos. Cf. Marc. IV, 19.

15. Τὸ δὲ — γῆ) sc. πεσὸν, *qui in terra bona excepit semen.* Vid. ad. v. 14. Οὗτοί εἰσιν οἵτινες κ. τ. λ.) Metathesis est: οὗτοί εἰσιν, οἵτινες ἀκούσαντες τὸν λόγον, κατέχουσιν ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ καὶ καρποφοροῦσιν. *Hi sunt, qui auditum sermonem* (quae est doctrina

coe-

coelestis) *in corde honesto et bono conservant ita, ut constanter ferant fructum.* Mere graecum est hoc dicendi genus, quum καλὸν κἀγαθὸν Graeci vocant hominem animi bonis ornatum, qui non modo videri, sed etiam reipsa esse bonus studet. Comparatur hoc hominum genus primo cum iis, qui quum externam quandam speciem fructus prae se ferant initio, tamen ad bonam frugem non perveniunt; deinde cum iis, qui nullum prorsus fructum ferunt. Cf. *Wetsten.* ὑπομονὴ *constantiam* illam denotat, quae inter adversa durat, spe meliorum.

16. Vide ad Marc. IV, 21. notata.

17. Οὐ γάρ — γενήσεται) *Nihil enim nunc privatim traditur vobis, quod post non manifestari debeat toti mundo.* Κρυπτόν, parabolis involutum. Γενήσεται) Futurum ponitur in significatione eius, quod oporteat fieri, ut saepe. Itaque mox idem explicat modo potentiali: εἰς φανερὸν ἔλθῃ.

18. Ὅς γὰρ — ἀπ' αὐτοῦ) *Qui enim recte utitur acceptis, plura habebit; qui non utitur, ei etiam hoc ipsum, quod habet, eripietur.* Est hoc ex eorum proverbiorum genere, quae variis rebus et occasionibns applicari solent. In genere sensus est: *Diviti datur plus, sed pauperi id quoque, quod habet, auferri solet.* Nam οἱ ἔχοντες sc. χρήματα, sunt divites; et οἱ μὴ ἔχοντες sc. χρήματα vel βίον, sunt *pauperes.* ὁ δοκεῖ ἔχειν vertendum est: *quod habet*, non: *quod habere videtur:* nam δοκεῖν saepe abundare, notum est. Quod autem in rebus humanis fieri solet, ut res divitum crescant, pauperum minuantur, id ad res divinas etiam transfertur. Et quum causa huius rei sita sit in *usu* vel *abusu* concrediti,

diti, sensus omnino est: Ei qui recte utitur concreditis, plus dari, ei qui minus, id etiam quod habet, auferri. Ita, qui tradita sibi doctrina recte utitur, is magis magisque proficit in verae sapientiae studio; qui negligit disciplinam, is nec ex eo, quod vere didicit, percipit fructum. Cf. Matth. XXV, 29.

19. Οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ) συντυγχάνειν est *convenire*, seu *congredi*, ut una aliqui versentur. Cf. Matth. XII, 46. sqq.

20. Ἀγγέντων) Neque αὐτῶν, quod ad matrem fratresque referretur, neque τίνων ita supplendum est, ut coniunctim sint genitivi absoluti; sed ut alias λέγων abundat et verti potest: *his verbis*; ita post passivum ἀπηγγέλη ad genitivum illum supple: *verba*. Sic *Vater* in N. T. Ἰδεῖν autem quod sequitur, est *invisere, convenire, colloqui*.

22. Καὶ ἐγένετο — λίμνης) *Aliquando Iesus cum discipulis navem conscendens iussit traiicere lacum.* Πέραν, *trans, ultra, circa, ad*, praemissa praepositione et articulo, nominis naturam induit, et significat *littus ulterius*, vel *regionem ulteriorem, trans fluvium vel mare sitam*. Καὶ ἀνήχθησαν) *Et oram solverunt*; *sie fuhren ab*. Ἀνάγομαι, omissa voce ναῦν, est verbum nauticum, *proveho, solvo navem, in altum maris duco*.

23. Κατέβη — λίμνην) *Delapsus est in lacum ventus procellosus*. Καταβαίνειν, h. l. est *delabi, demitti*, et est rerum inanimatarum, quae motu alieno demittuntur. Καὶ συνεπληροῦντο, *et obruebantur* (fluctibus), vel undae in navem irruebant, ut positum sit pro καὶ συνεπληροῦτο τὸ πλοῖον, ut in codice Colbertino e glossema-

te legitur. Eadem historia narratur Matth. VIII, 23. et Marc. IV, 36, sqq.

26. Γαδαρηνῶν) Alii habent Γεργεσηνῶν. Sed lectionem Γαδαρηνῶν praeferendam esse, ostendimus ad Matth. VIII, 28. ἀντιπέραν τῆς Γαλιλαίας) Πέραν, trans lacum, ἀντὶ Γαλιλαίας, e regione Galilaeae, i. e. in Peraea. Eadem historia narratur Matth. VIII, 28. s. et Marc. V, 1. s.

27. Ἐκ τῆς πόλεως;) Nempe e civitate Gadara. Intelligendus est homo ille non ex urbe venisse id temporis, sed in urbe natus et educatus fuisse. Sic ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου, Matth. XIV, 35.

29. Πολλοῖς χρόνοις) πολλάκις, ut apud *Marcum* est, vel ἐκ χρόνων ἱκανῶν ut supra com. 27. Nam χρόνοι saepius apud Graecos sunt *anni*, ut ap. Diod. Sic. p. 44. A. Rhod. ἡ ὀλυμπιὰς πληροῦται κατὰ τεττάρας χρόνους i. e. ἔτη. συνηρπάκει αὐτόν (*Corripuerat eum*. Συναρπάζειν est *corripere*, s. *abripere*, de daemone hominem abripiente εἰς τὰς ἐρήμους (sc. χώρας) *in loca deserta*. Modo in loca montana, modo in sepulcreta, ut docet *Marcus*, V, 5.

31. Εἰς τὴν ἄβυσσον) Quod Hebraei תְּהוֹם dicunt, LXX. vertunt ἄβυσσον, et plerumque de *mari* ea vox ursurpatur; solet tamen et ad alia transferri. Notant enim Grammatici, βυθὸν ab Ionibus βυσσὸν appellari; ἄβυσσον autem πλεονασμῷ ἐπιτατικῷ esse immensum profundum. Quare et divina iudicia ἄβυσσος vocantur, quia sunt impervestigabilia. *Euripidi* sunt Phoenissis: ταρτάρου ἄβυσσα χάσματα. In N. T. ἡ ἄβυσσος sc. χώρα, de *Tartaro*, sive ᾅδῃ, quatenus in terrarum profundita-

ditate cogitabatur, mortuorum receptaculo Rom. X, 7. legitur; nostro autem loco de *daemonum carcere*. Quicquid sit, semper tenendum est hoc, hominem illum putasse, se ipsum esse malum quendam genium, et rogasse, ut ne Iesus eum impediat, quo minus porro operaretur. Audiverat homo miser, commorationem daemonum malorum esse in tartaro; rogat igitur Iesum, ne eum in tartarum mittat.

32. Καὶ παρεκάλουν — εἰσελθεῖν) Daemones Iesum rogasse dicuntur. Sed hominem, mente captum locutum esse, nemo dubitabit; nam ex eius ore veniebant haec verba. Quoniam vero huiusmodi sermo indicium erat non sanae, sed turbatae mentis, ideo daemonum esse credebatur. Cupit igitur homo hoc morbo correptus in gregem ferri, et stragem edere inter porcos. Nec refragatur Iesus, unde miser homo, velut oestro agitatus agros percurrit, gregemque praecipitem dat.

35. Ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα) *Vestitum et sanae mentis.* Addit Marcus c. V, 15. καθήμενον, ad pedes Iesu nempe. Opponitur hic placidus quietusque gestus priori insanaeque hominis discursitationi per devia ac deserta.

38. Ἀπέλυσε) i. e *non admisit.* Nam ἀπολύειν hic non est *dimittere*, sed, *non admittere*, ut 1. Io. IV, 18. ἐκβάλλειν, *non recipere.*

39. Καθ' ὅλην τὴν πόλιν) Illam, unde erat oriundus. Sed et per urbes circumsitas, ut *Marcus* docet.

40. 41. Vid. Matth. IX, 18. sqq. Marc. V, 22 sqq. Ἐγένετο — τὸν Ἰησοῦν) *Quum autem rediisset Iesus*, nempe Capernaumum. Ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος) *Mul-*

titudo eum excepit; i. e. reditus eius gratus acceptusque fuit multitudini. Cf. Act. XV, 4. XVIII, 27.

42. Ἀπέθνησκεν) Quum demum infra v. 46. Archonti synagogae a servo nuncietur, filiam esse mortuam, facile intelligitur, haec verba αὐτῇ ἀπέθνησκεν, non reddenda esse, *mortua erat*, sed *morti proxima erat*, *animam agebat*. Marcus c. V, 23. ἐσχάτως ἔχει. Ita *Iosephus* de B. I. c. 33. §. 3. ἅμα τοῖς ἐκείνων λόγοις, διεφημίσθη καὶ θνήσκειν ὁ βασιλεὺς *Dum hi illos sermones inter se serebant, rumor divulgatus est, regem morti proximum esse.* Sic et alii ap. Wetsten. συνέτνιγον) *Comprimebant eum*, ut bene Vulgatus. Est nempe συμπνίγειν hic hyperbolicum, sed usitatum; nam et *turbam* (seipsa nempe) *suffocari* Seneca epist. 91. dixit. Vult igitur dicere hyperbole ista, Iesum a populo tanto studio confluente ita compressum fuisse, ut de vita periclitaretur.

43. Ἥτις — βίον) *Quae omnes facultates in medicos frustra erogarat.* βίος etiam victum significat, i. e. necessaria ad vitam degendam, quae Latinis bona sunt et res, et facultates, et Graecis οὐσία. Προσαναλίσκειν proprie est *insuper impendere, praeterea erogare*; sed h. l. positum est pro simplici ἀναλίσκειν, *impendere, erogare.* Pro εἰς ἰατροὺς *Bengelius, Griesbachius* et *Matthaei* plurimorum codicum auctoritate reposuerunt ἰατροῖς, quod probat *Fischerus* Prolus. VII. de vitiis Lexicor. N. T p. 180. Sed proba est recepta lectio; nam ἀναλίσκειν apud Graecos cum praepositione εἰς construitur. Vid. *Schleusneri* Lexicon.

46. Ἐγὼ γὰρ — ἀπ' ἐμοῦ) *Scio enim, miraculum a me*

me esse patratum. Vid. dicta ad Marc. V, 30. et cf. *Pauli* Commentar. Tom. I. p. 562. sqq.

52. Ἐκόπτοντο αὐτὴν) Verbum habet significationem feriendi et caedendi; deinde etiam *plangendi*, *lugendi*, ex adiuncto, quia plangentes pectus suum, aut caput percutere aut ferire solent. Lugentium in funeribus tales gestus esse solent. Atque ita praesentes tunc mortuam puellam luxisse, Evangelista ait.

55. Ἐπέστρεψε δὲ τὸ πνεῦμα αὐτῆς) Provide hoc adiecit *Lucas*, ut obiter doceret, animum humanum non esse κρᾶσιν corporis, sed aliquid, quod post exitum vitae mortalis alibi est, quam ubi corpus. Id enim docet vox ἐπέστρεψε.

CAP. IX.

1. Συγκαλεσάμενος — θεραπεύειν) *Convocatis autem duodecim discipulis, dedit ipsis potestatem et ius eiiciendi omnis generis daemones, et sanandi morbos.* Ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια) *Super omnis generis daemonia*, i. e. ut cuiusvis generis morbos, quibus daemonia affligere homines credebantur, auferre possent. Cf. Matth. X, 1. sqq. Ceterum δύναμις est *vis et potestas*, ἐξουσία autem *ius* et auctoritas miracula patrandi.

2. Κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *ut publice docerent, regnum Dei adesse;* iam in eo esse, ut Messias, rex summus a Deo promissus, homines felices reddat. Cf. Matth. X, 7. Noluit Iesus, ut discipuli promulgarent, se ipsum esse Messiam. Vid. Matth. XVI, 20. et ibi notata; sed iussit eos in genere annunciare feliciora tempo-

tempora Messiae, et adhortari ad animi emendationem. Matth. III, 2.

3. Μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν) *Non duas tunicas habeatis.* Obtinet enim infinitivus ἔχειν vim imperativi ἔχετε.

4. Καὶ εἰς — ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε) sc. ἐκ τῆς πόλεως. Sensus est: manete ibi, dum urbe exeundum sit. Vetat Iesus mutare hospitia.

7. Διηπόρει) *Haesitabat.* Διὰ h. l. intendit significationem. Fama miraculorum et iudiciorum de Iesu diversitas ita illum percellebant, ut, quid de eo statueret, nesciret. Matth. XIV, 1. sqq. Marc. VI, 14. sqq.

8. Ὑπὸ — ἀνέστη) Fuit illo tempore illa opinio, ante Messiae adventum aliquem priscorum prophetarum in vitam esse rediturum. Putabant igitur, Iesum esse aliquem prophetarum, qui indicare debeat, prope esse tempus Messiae. Huic opinioni vaticinium de altero Elia adventuro occasionem praebuerat, quod ita interpretabantur, ut putarent, non modo alterum Eliam, sed et alium prophetam venturum esse, ut omnis natio attenta redderetur.

9. Τίς δέ ἐστιν οὗτος) Eadem quidem docens, sed non baptizans, ut Ioannes, miracula autem edens, quod non fecit Ioannes. ἐζήτει ἰδεῖν αὐτὸν) Ut ex vultu aliisque indiciis dignosceret, an *Ioannes* esset.

10. Ὑπεχώρησε — Βηθσαϊδά) *Secessit in solitudinem quandam, quae prope Bethsaidan oppidum erat.* Historia quae Matth. XIV. 12—34. Marc. VI, 30 — 53. narratur, docet, duo oppida, quibus commune nomen Bethsaida esset, in Iudaea fuisse posita, alterum in Galilaea,

laea, alterum in Gaulanitide, quod etiam *Iosephus* confirmat, Antiquitt. XVIII, 2, 1. ubi commemorat Bethsaidan, vicum, in Gaulanitide inferiore ad orientale Genesarae litus positum, quem Philippus tetrarcha incolis ita auxerit, ut in oppidis numeraretur, et mutato vocabulo pristino, Iulias, in honorem Iuliae, imperatoris Augusti filiae, appellaretur. Hoc est illud oppidum, quod Lucas h. l. laudat. Ne autem hoc oppidum Iuliada nominaret, eo prohiberi potuit, quod sciret, vetus loci nomen vulgo Iudaeorum notius esse novo.

12. Ἡ δὲ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν) Subaudi εἰς ἑσπέραν. *Appetente vespera.* Dies inclinat versus horizontem, sole ad occasum vergente. ἵνα καταλύσωσιν) *ut divertant* (illuc) i. e. quaerant diversoriorum et hospitiorum loca, ubi inveniant aliquam ciborum copiam. Καταλύειν proprie est *dissolvere*; translatitie autem est, recipere se in diversorium. Sed de iis tamen proprie dicitur, qui curru iter conficiunt, quia nimirum equos solvunt, quum ad diversorium ventum est. ἐπισιτισμὸν) *Viaticum, cibaria*, quae ad viam in locis aviis conficiendam sufficerent. Ἐπισιτισμὸς est ab ἐπισιτίζομαι, frumentor, rem frumentariam et alimoniam deporto, a σῖτος *frumentum*, σιτίζω, *nutrio*. Saepe commeatum exercituum et navium ἐπισιτισμὸν vocant scriptores.

13. Εἰ μήτι — βρώματα) *Numquid emere debemus cibos tantae multitudini* pascendae? Εἰ μήτι *numquid, annon forte adeo?* denotat, 2. Cor. XIII, 5. et apud profanos saepe, ut Kypkius ad h. l. probat. *Camerarius* tamen et post eum alii, putant, subesse hic quandam quasi εἰρωνείαν, quasi dicerent: nisi nos id faciamus, ut abeuntes ipsi tantae populi multitudini cibos emamus;

quod

quod tamen fieri non posse simul subindicent. Εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον, sc. pascendum.

14. Κατακλίνατε — πεντήκοντα) *Discumbere facite eos in singulis classibus quinquaginta.* Κατακλίνειν h. l. ad imitationem verborum hebraeorum in *Hiphil* habet significationem transitivam, ut θριαμβεύειν, 2. Cor. II, 14. ἀνατέλλειν, Matth. V, 45. et verba bene multa tam activa quam neutra in N. T. κλισία, *ordo discumbentium; Aelian.* H. V. Lib. VIII, c. 7. συμπαρέλαβε δὲ εἰς τὸ συμπόσιον καὶ τοὺς ἰδιοξένους, καὶ κατέκλινεν ἀντιπροσώπους ἑαυτῷ. *Recepit etiam in convivium peculiares quosdam hospites suos, quos sibi e regione accumbere iussit.*

15. Καὶ ἀνέκλιναν ἅπαντας) ἐξηγητικῶς. Ita, inquit, fecere, ut iussi fuerant, nimirum collocantes universos illo numero distributos.

16. Εὐλόγησεν αὐτοὺς) i. e. ἐπ' αὐτοὺς. Εὐλογεῖν h. l. idem significat quod εὐχαριστεῖν. De his panibus et piscibus gratias egit Deo, more Hebraeorum, qui, cum cibum capere vellent, antea precationem recitabant.

18. Καταμόνας) *solum, seorsim,* privatim; elliptice pro κατὰ μόνας χώρας. Turba excluditur, non discipuli. Vid. ad hanc historiam Matth. XVI, 13. s. Marc. VIII, 27. sqq.

20. Τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ, *Messiam a Deo promissum,* hebr. מְשִׁיחַ אֱלֹהִים Vid. Matth. XVI, 16. Alii pro τοῦ Θεοῦ legunt υἱὸν τοῦ Θεοῦ.

23. Πρὸς πάντας) *Omnibus,* qui advenerant, sectatoribus. Cf. Marc. VIII, 34. Priora πρὸς μαθητὰς dixerat.

25.

25. Ἑαυτὸν δὲ) Popularis expositio eius, quod dixit ψυχὴν αὐτοῦ, neque enim corpus excluditur. Syrus et hic habet נַפְשָׁהּ Cf. Matth. XVI, 26.

26. Vid. Marc. VIII, 38. Ὅταν ἔλθῃ — ἀγγέλων) *quum in sua ipsius, et Patris et angelorum sanctorum maiestate venerit.* Ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τῶν ἁγίων ἀγγέλων est, *venire comitatu pompaque sanctorum angelorum stipatum*, atque adeo idem valet, quod ἔρχεσθαι μετὰ τῶν ἀγγέλων. Nam כָּבוֹד et graecum δόξα etiam decora et ornamenta omnis generis significant, quo angelorum comitatus recte refertur. Ad. v. 27. vid. notata ad Matth. XVI, 28.

28. Ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ) Vid. Matth. XVII, 1.

31. Ἐν δόξῃ) *gloriosa specie.* Ille, ut legislator, alter, ut legis interpretum princeps, uterque interim Christo ministerium exhibentes, cui serviunt lex et prophetae. Ἔλεγον τὴν ἔξοδον — Ἱερουσαλήμ) *Commemorantes fata eius, quae ei Hierosolymis essent eventura.* Τὴν ἔξοδον plurimi interpretantur τὸν θάνατον, exitum ex hac vita, et mortem, quam obiturus esset Hierosolymis. Nec sine ratione. Non enim tantum apud Hellenistas, sed et apud Latinos *exitus* et *excessus* pro morte passim occurrunt, ut notum est. Quum tamen ἔξοδος saepe etiam quemlibet finem et exitum denotet, intelligere possis h l. omnia Christi fata, quae Hierosolymis et in eius vicinia erat subiturus, imo et resurrectionem et adscensum in coelum. Verbo πληρόειν respicitur ad V. T. vaticinia, quibus haec de Christo praedicta sunt; nam omnes vitae casus, qui divinitus praedicti sunt, impleri graece dicuntur, quum homines eosdem subeunt et sustinent.

33. Μὴ εἰδὼς; ὃ λέγει) *Nesciens, quid diceret.* Marcus addit, c. IX, 6 ἦσαν γὰρ ἔκφοβοι. Petro nempe visi claritate et excellentia stupefacto, neque mens nec lingua consistebat. *Quintilianus* VIII, 3. *Ego illos credo qui* (Cicerone causam Cornelii orante) *aderant, nec sponte iudicioque plausisse: sed velut mente captos et quo essent in loco ignaros, erupisse in hunc voluptatis affectum.*

38. Ἀνὴρ – ἀνεβόησε) Si una serie vocēque minime suspensa haec verba legerimus, sensus erit: ἀνὴρ ἀπὸ (ἐκ) μέσου τοῦ ὄχλου ἀνεβόησεν, *vir quidam exclamavit ex media turba.* Si vero post ὄχλου apposuerimus comma, ἀνὴρ ἀπὸ τοῦ ὄχλου erit ἀ ἠρ ὀχλώδης, *plebeius, vilis.* Prior loquendi modus hic videtur praeferendus. ἐπίβλεψον — μου) *Fer opem filio meo.* Idem quod apud Matthaeum ἐλέησόν μου τὸν υἱόν. Ita ad Iovem Aeneas: *Aspice nos.* Ubi Servius: *Quia intuentes Dii iuvant.* Vid. omnino Matth. XVII, 14. s.

39. Πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν) *Daemon arripit eum.* Λαμβάνειν h. l. est *comprehendere, arripere, in potestatem redigere.* κράζει, sc. ὁ υἱός μου. Καὶ σπαράσσει — ἀφροῦ) i. e. σπαράσσει αὐτὸν καὶ ἀφρίζει, *convulsiones et spumam excitat.* De verbo σπαράσσειν cf. notata ad Marc. I, 26. Σεληνιακὸν vocat hunc hominem Matthaeus, qua voce epilepticos Graeci saepe denotant. Lucretius de epileptico: — *Spumas ingemit et tremit artus; desipit, extentat nervos, torquetur etc.* συντρίβον αὐτὸν) *Postquam eum viribus exhaustum reddidit.* Praesens pro praeterito. Verbum hoc interdum significat *vulnerare*, interdum etiam *vires alicuius atterere, languentem et viribus exhaustum aliquem reddere.* Hoc loco posteriori sensu accipiendum esse vide-

videtur; nam eiusmodi paroxysmos ordinarie sequi solet multus membrorum corporis languor, et Marcus IX, 26. de eodem homine dicit, fuisse eum ὡσεὶ νεκρὸν.

43. Ἐξεπλήσσοντο — θεοῦ) *Admirati sunt autem omnes maiestatem Dei.* Uti omnia facta et miracula Christi maiestatis divinae plena, dicuntur μεγαλεῖα, ita μεγαλειότης (גְּדֻלָּה) est *ipsa illa maiestas*, s. *virtus divina, cuius ope illa miracula perpetrantur.* Hoc sensu μεγαλειότης apud Iosephum in prooemio ad Ant. occurrit.

44. Θέσθε — ἀνθρώπων) *Reponite in aures vestras istos sermones, nam Messias tradetur hominum potestati.* Ne posthac dubia in ipsis exoriri patiantur, monentur apostoli, ut in memoria retineant, quae modo audivissent ex ore illorum hominum, qui laudaverant Dei maiestatem, et mirati fuerant ea quae ipse fecerat, miracula. Futurum est, inquit, ut ego, Messias, moriar. Quando igitur hoc fiet, tunc memoria recolite, quaenam patraverim miracula, quomodo populus illa agnoverit et celebraverit, ut in fide vestra, me esse Messiam, confirmemini.

45. Αἴσθωνται) Αἰσθάνομαι proprie de sensu corporis: non minus frequenter ad animum transfertur, ut *sentio* latine, pro: *mente percipio, intelligo, cognosco.* Xenoph. Paed. V. ὡς ἤσθετο τὸ γεγονός.

46. Εἰσῆλθε δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς) *Intravit autem cogitatio in eos.* Ἐν αὐτοῖς, pro εἰς αὐτούς, quod vulgare est. Phrasis quoque εἰσέρχεσθαι, de *cogitationibus et affectibus animum subeuntibus* profanis trita est, tam cum dandi quam accusandi casu. τὸ τίς ἂν εἴη

μεί-

μείζων) i. e. quis eorum meruisset esse. τὸ hic valet *nimirum*, aut *videlicet*. Μείζων hic est μέγιστος. Cf. Marc. IX, 34.

48. Τοῦτο) i. e. τοιοῦτο, ut apud *Matthaeum*, quomodo et hic Syrus interpretatur. Tale est: *amor omnibus idem.* μικρότερος) i. e. ταπεινοφρονέστερος, ut ex Matthaeo apparet. Vid. notata ad Matth. XVIII, 1. s.

49. Ἀποκριθεὶς) *Respondens.* Cum sequentia cum anteced. vix cohaerent, Ioannes ad rem nostra narratione omissam alludere videtur. ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν) *Quoniam non sequitur nos*, i. e. *non easdem nobiscum partes sequitur, non facit nobiscum.* Μεθ' ἡμῶν, pro ἡμῖν, ut Apoc. XIV, 13. Est autem haec locutio bene graeca. Sic in tabula Cebetis: αἱ γυναῖκες, αἱ μετ' αὐτῶν ἀκολουθοῦσαι. Plato in Menexeno: ἀκολούθει μετ' ἐμοῦ. Ἐκωλύσαμεν αὐτὸν) *prohibuimus eum.* Vid. notata ad Marc. IX, 38. s.

51. Ἐν τῷ συμπληροῦσθαι — αὐτοῦ) *Quum instaret* (vel immineret) *tempus, ut assumeretur*, nempe in coelum. Nam τὸ συμπληροῦσθαι hic ut Act. II, 1. et alibi intelligendum. Lucas ex occasione hoc narrat, posthabita temporis serie. Nam quum duo insignia Christi monita narrasset, quorum prius ad vitandam ambitionem, alterum ad vitandam invidiam Apostolos hortabatur, commodum esse locum credidit, adiiciendae monitionis tertiae adversus ultionem. Καὶ αὐτὸς — Ἱερουσαλήμ, *iter direxit ad Hierosolyma.* τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε) *defixit faciem suam* ad iter Hierosolymitanum; i. e. directum convertit vultum ad iter, quod fieret Hierosolyma versus, vel: profectionem eam constanter prae se tulit. Phrasin nostrae persimilem habent profani, apud

quos

quos ἐστάναι τὸ πρόσωπον est, *vultum ad severitatem et gravitatem componere*, et πρόσωπον καθεστὼς vel συνεστὼς est *vultus serius, constans, compositus.* Duae erant viae ex Galilaea Hierosolymam ducentes; altera per Samariam, brevior, quam Iesus erat ingressus, altera per regionem Trans-Iordaniam, longa deviatione, ut Iosephus nos docet in Vita, C. 52. Vide ad Io. IV, 4. annotanda. Ceterum incipit nunc ultima pars Evangelii Lucae, quae continet res non multo ante mortem Christi gestas, et complectitur fortasse quinque aut sex mensium spatium.

52. Ἀγγέλους) *nuntios.* Forte *Ioannem* et *Iacobum*, qui mox nominantur. Πρὸ προσώπου αὐτοῦ, i. e. πρὸ αὐτοῦ, ut I, 76. ὥστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ) elliptice. *Ut pararent*, nimirum hospitium, ξενίαν, et res necessarias.

53. Οὐκ ἐδέξαντο αὐτὸν) i. e. *hospitium ei denegabant*, ut patet ex com. 52. Kypkius: *non intromittebant illum*, sc. in urbem. ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἱερουσαλήμ) i. e. *quod proficisceretur Hierosolyma.* Hebraei πρόσωπον vocant omne id, quod exterius spectatur aut indicium praebet. Sic 2. Sam. XVII, 11. τὸ πρόσωπόν σου πορευόμενον ἐν μέσῳ αὐτῶν, nempe ad proelium. H. l. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, *persona eius*, est *ipse.* Morem fuisse Galilaeis in diebus festis Hierosolyma euntibus per regionem Samariae iter facere, docet nos Iosephus Antiqq. XX, 6, 1. An vero in oppidis Samaritanorum vulgo pernoctaverint, incertum est. Si eos cogeret aliquando necessitas in ista diversoria, nihil erat illic quod posset iis esse offendiculo praeter inimicitiam gentis, praecipue propter locum cultus publici. Alio tempore Samaritani non adeo acerbo odio Iudaeos persequebantur, quam hi illos. Iudaei vero, qui ad Festum celebrandum proficiscerentur, Samaritanorum, qui Iovam

in

in templo ipsorum, in monte Garizim exstructo, unice esse adorandum contenderent, odium experti sunt. *Bereschit Rabba* Sect. 81. *L. Ismael filius. R. Ioseph proficiscens Hierosolymam, ut oraret, transiit per istum montem* (Garizim). *Videns eum Samaritanus quidam dixit ei: — Nonne praestaret in monte hoc benedicto, quam in illo maledicto orare?*

54. Θέλεις — ἀναλῶσαι αὐτούς) *Visne iubeamus ignem de coelo eos conficere?* Πῦρ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *fulmen.* 2. Reg. I, 10. 12. ἀναλίσκειν h. l. est *extinguere, consumere. Interficiendi* significatione occurrit apud *Xenoph.* Paed. 1. ταχὺ δὲ τὰ ἐν τῷ παραδείσῳ θυρία ἀνηλώκει. Cum Iesus loquentibus admirationem cum indignatione ostenderet, Eliae exemplo se defendentes addunt: ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε.

55. Οὐκ οἴδατε — ὑμεῖς) Desunt haec verba cum illis commatis sequentis usque ad ἀλλὰ σῶσαι in permultis Codd. Versionibus quibusdam et Patribus. Sed habent *Clemens Alex.* apud Macarium Chrysocephalum, Chrysost. in Matth. aliique. Sensus est *vel* sine interrogatione: *nescitis, quali animo sitis affecti, quali zeli affectu ducamini*, i. e. non perpenditis hunc vestrum zelum esse malum, sectatoribus meis indignum; (formula οὐκ οἴδατε est aliorum desideria graviter comiterque reprehendens, vel etiam ignorantiam eorum miserans;) *vel* cum interrogatione: *an nescitis quo animo* (erga homines omnes, inimicos etiam,) *affecti esse debeatis?* Nam verba transivita saepius de *debito, iure,* et *officio* accipi solent, ut Matth. II, 4. XI, 3. XVII, 21. Πνεῦμα h. l. ut saepe, *animus, mentis affectio*; *Gesinnungen, Grundsätze.* Quod fecit olim *Elias* inter Samaritanos, (Christus inquit,) id vos, discipulos meos, doctri-

trinae meae praeceptis mitioribus imbutos imitari haud decet. Habetis quidem ζῆλον, sed οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, et qui proinde humani est affectus, non divinae motionis.

56. Ὁ γὰρ υἱὸς — σῶσαι) *Filius enim hominis non venit ad perdendos, sed salvandos homines.* ψυχαί, נְפָשׁוֹת, h. l. sunt *ipsi homines*, non sola pars potior, quod exigit verborum nexus. Prophetarum temporibus severitate erat opus. Tempora Messiae exigunt lenitatem. Missus est Messias non exercenda severa iudicia, sed ad homines, quamvis peccatores, quovis modo, animo et corpore servandos adeo nulli eam in rem parsurus operae, ut semetipse ei negotio sit impensurus.

57. Πορευομένων αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ) Quodam tempore, quod propius describi nihil attinebat. Cf. Matth. VIII, 19. sqq. et ad istum locum notata.

60. Διάγγελλε τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ) *Trade doctrinam de regno Dei.* διαγγέλλειν est circumquaque, vel per diversa loca nunciare, divulgare. *Herodian.* L. I. c. 7. §. 1. τῆς δὲ ἐξόδου διαγγελθείσης.

61. Ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου) ἀποτάξασθαί τινι, de personis usurpatum, ut hic, est *valedicere*, qua loquendi formula utuntur Philo, Iosephus, atque multi alii cultissimae orationis scriptores. τοῖς εἰς τὸν οἶκον pro ἐν οἴκῳ, domesticis, *familiaribus meis.* Alii res et personas intelligunt. Seneca Epist. 8. *Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus: et primum a meis.*

62. Ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα — τοῦ θεοῦ) i. e. *Sicut qui agriculturae dat operam, sed statim ab opere incepto desistit, non est bonus arator, ita qui proposito me sequendi non constanter adhaeret, non est ido-*

idoneus regno Dei. Manum aratro admovere pro eo, quod est *opus aliquod aggredi*, etiam Graeci dicunt. Sed hic, ut alibi saepe, miscetur ἀπόδοσις comparationi. Nam simplex proverbium fuerat: eum, qui in arando respiciat, non esse bonum aratorem; nunc cum proverbio significatur, cui rei aptetur proverbium. Intelligitur nempe hic negotium religionis. Qui me vult sectari, inquit Christus, is tota mente et animo se debet religioni dedicare.

CAP. X.

1. Ἀνέδειξεν — ἑβδομήκοντα) *Elegit Dominus etiam alios* (IX, 12.) *septuaginta.* Ἀναδεικνύειν autem significat *designare, declarare, eligere.* Post ἑβδομήκοντα addunt δύο, Codd. nonnulli, Verss. et Patres. Sed omittunt *Euseb. Nyss. Theophil.* aliique. Fuisse a Christo LXXII. creatos, antiquitas credidit, etiam Graeci, qui hoc loco legerunt ἑβδομήκοντα. Neque vero temere; nam moris erat Hebraeis LXX. nominare numero rotundo, etiam ubi constabat esse LXXII. Totidem enim erant capita familiae Iacobi, Gen. XLVI, 27. totidem seniores Israelitarum Moses constituerat, Exod. XV, 27. totidem quoque erant praeter praesidem (נָשִׂיא) synedrii assessores. ἀνὰ δύο) *binos*; quod et in Apostolis Dominus observaverat, non tantum ad opem mutuam, sed etiam in maiorem testimonii fidem.

2. 3. Vid. Matth. IX, 37. et X. passim.

4. Μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε) Festinationis signum! Salutationes, praecipue eorum, qui cultu appara-

ratuque conspicui essent, (quales erant Pharisaei, XI, 43.), apud Orientis populos non fiebant levi gestu, verboque, sed multis percunctationibus, bonisque ominibus trahebantur, non sine multis corporis flexionibus, osculis, amplexibus. Usitatum fuisse apud Hebraeos, sub quibusdam rationibus, non salutare in via, imo non salutare omnino, probant loca a *Lightfooto* in hor. hebr. ad h. l. adducta. Possumus quoque cum *Pricaeo* haec verba ut hyperbolica intelligere, quasi Christus, qui non voluit, ut neminem plane in via salutarent discipuli, brevissima etiam salutationis formula, dixisset: Negotio, quod imposui vobis, toto animo incumbite, et praeterhabitis vel brevissimis obstaculis et moramentis, migrate celeriter in eam urbem, ubi vultis manere.

5. Εἰς — τῷ οἴκῳ τούτῳ) *In quamcunque autem domum intraveritis, primum fausta omnia ei precamini.* שָׁלוֹם לָכֶם erat consueta Iudaeorum salutatio: qua apprecari solebant omnis generis felicitatem.

6. Καὶ ἐὰν κ. τ. λ.) *Quodsi fuerit in illa salutis capax, vere continget illi salus, quam precati estis; sin minus, vota vestra carebunt eventu.* Υἱὸς εἰρήνης) i. e. ἄξιος εἰρήνης, ut Matth. X, 11. *salutis capax*, dignusque, cui haec faustissima contingant, adeoque homo docilis, avidusque doctrinae salutaris. Cf. Matth. X, 13.

7. Ἐν αὐτῇ δὲ τῇ οἰκίᾳ μένετε) i. e. hospitium vobis deligite, quod Graeci dicunt καταλύειν. τὰ παρ' αὐτῶν) quae ab illis praebentur, τὰ παρεχόμενα ὑπ' αὐτῶν. Theophylactus: ἃ προσάγουσιν ὑμῖν. μὴ μεταβαίνετε — οἰκίαν) Hoc enim circumforaneorum esset et mendicantium, probrum cuivis homini summa ope cavendum: quanto plus vobis evitandum?

8. Ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν) Contenti este, quamvis frugali apparatu; ut ita differat haec admonitio a superiore v. 7.

13. Οὐαί non est exsecrantis sed commiserantis. πάλαι — μετενόησαν) Ritus lugentium, qui hic commemorantur, Hebraeis usitatos fuisse, e sacris satis notum est. Sed aliis quoque gentibus has consuetudines fuisse communes, *Kypkius* aliquot testimoniis veterum docet. Cf dicta ad Matth. XI, 20. s.

17. Septuaginta discipulos postea laetos de felici laborum suorum eventu esse reversos, statim h. l. narratur.

18. Ἐθεώρουν — πεσόντα) Ἐθεώρουν per enallagen pro θεωρῶ. *Video brevi ruiturum Satanam* (nempe de principatu ac tyrannide sua) *tam rapide quam fulgur de coelo micare solet.* Celeritas nimia proverbialiter solet fulguri assimilari. Vid. Matth. XXIV, 27. Referenda haec praedictio ad incredibilem celeritatem propagati per terras evangelii, ad destruendas religiones falsas, et omnia opera diaboli. Nam illud πίπτειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ut *ex astris decidere* apud Cic ad Attic. Epist. III, 21. de iis dicitur, qui potestatem amiserint, desierintque florere. Matth. XI, 23. *Paulus* ad h. l. coniicit, discipulos tum demum ad Iesum reversos esse, cum ipse intraret oppida, in quae eos praemisisset. Interpretatur igitur: Quae mihi laeta narratis, daemones metumque eorum vos expulisse, cognita iam habeo.

19. Δίδωμι — ἐχθροῦ) *Ego quidem vobis concedo potestatem conculcandi serpentes et scorpiones, et frangendi omnem vim Satanae*, i. e. *efficiam, ut omnia quae vestris conatibus impedimento sunt, feliciter superetis.* In verbis πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορ-

σκορπίων est manifesta allusio ad Ps. XCI, 13. ubi de tutela divinae providentiae agitur. ὄφεις καὶ σκόρπιοι sunt *hostes callidi* et *perniciosi* rei Christianae. Ἡ δύναμις τοῦ ἐχθροῦ, *potentia Satanae*, illis temporibus praecipue se exseruit per superstitionem iudaicam et ethnicam. Hanc discipulos, miracula patrandi vi et doctrina meliori instructos fracturos esse promittit Christus. οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει) *Nihil vos laedet.* ἀδικεῖν metonym. *laedere, nocere, vim inferre.*

20. Πλὴν — οὐρανοῖς) i. e. *Nolite tam ob hoc gaudere, quod spiritus* (maligni) *vobis obediunt;* i. e. quod meo nomine miracula editis, *quam ob hoc, quod annumeramini iis, quibus felicitas aeterna parata est.* Πνεύματα, sc. ἀκάθαρτα. Γράψαι est *referre, annumerare, addicere*, methaphora sumta de iis, qui memoriae causa aliquid albo inscribunt. Qua significatione nihil frequentius apud Philonem, ut Loesnerus ad h. l. docet Sensus verborum: τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγράφη ἐν τοῖς οὐρανοῖς, est: *Vos civibus regni coelestis adscripti estis*, accepistis ius civitatis coelestis, cuius civibus parata est aeterna felicitas. Phrasis desumta est inde, quod in civitatem receptorum nomina inscribi solent in tabulas publicas ex iisque delentur, si ius civitatis amittunt Vid. Ps. LXIX, 29. Exod. XXXII, 32. Philip. IV, 3. Apud Paulum etiam Hebr. XII, 23. commemorantur πρωτότοκοι ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένοι. Quem locum confer. Ceterum totus contextus docet, Iesum verbis v. 18—20. corrigere opinionem discipulorum, qui id sibi maximo honori putabant, quod haberent sibi daemones subiectos, et promittere multo maiora, potestatem destruendi religiones falsas, propagandique doctrinam saluta-

rem, v. 18. 19. atque copiam felicitatis in regno Messiae fruendae, et aliis commendandae.

21. Vid. Matth. XI, 25. sqq.

22. Τίς ἐστιν ὁ υἱὸς) *Qualis, quantusque sit filius*, quantum valeat auctoritate et potestate homines beandi. Τίς habet notionem magnitudinis et praestantiae sibi adiunctam, ut idem valeat quod ποταπὸς. Cf Matth. XI, 27. τίς ἐστιν ὁ πατηρ) Qua bonitate, qua iustitia, qua sapientia, quae eius consilia in danda hominibus salute, aut certe excusatione adimenda. ἀποκαλύψω) idque pro temporum ratione: nunc pauxillum, plus post resurrectionem; plurimum post missionem spiritus. Ad. v. 23. 24. vide Matth. XIII, 16.

25. Ἐκπειράζων αὐτὸν) *Tentans illum* discendi cupidum simulabat, immodestius occasionem ad se rapiens hac quaestione: τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;) *Quid faciam, ut felicitate aeterna potiar?* Felicitatem tamen aeternam, in ipso legis Foedere non expressam, legisperitus admodum suspectam habebat, et ex Iesu ore aliquid legi contrarium elicere cupiebat, quo eum invisum redderet populo. Matth. XXII, 35, sqq.

26. Ἐν τῷ νόμῳ) Christus, ostensurus suis institutis non oppugnari, sed perfici legem, reiicit legisperitum ad verba Mosis. πῶς ἀναγινώσκεις) *Quid legis?* Nam vocula πῶς saepe a Graecis in interrogationibus ponitur pro τί, quid? Ignorare non potes, quod ipse aliis praelegis et interpretaris.

27. Ἀγαπήσεις — σεαυτόν) Deut. VI, 5. Levit. XIX, 18. Verba καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, non extant in textu

tu hebraico. Res est una eademque: *Deus est amandus tota mente.* Cf. Matth. XXII, 37. sqq.

28. Τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ) *Si hoc feceris, felicitatem aeternam obtinebis.* Quia legisperitus interrogaverat: τί ποιήσας, Christus idem quoque verbum, sed laxius sumtum illi regerit. Stricte ποιεῖν dicitur de factis externis; late porrigitur etiam ad internos animi motus.

29. Δικαιοῦν ἑαυτὸν) *Se defendere, sententiam suam propugnare.* In promtu habuerat ὁ νομικὸς, quae scripta leguntur in lege Mosaica voluntatis divinae praecepta. Ostendere autem cupiebat, eiusmodi quaestionem se proposuisse, quae levi opera absolvi nequeat. Igitur pergit: καὶ τίς ἐστί μου πλησίον;) καὶ τίς, *ecquis igitur*, s. *ecquis vero.* Vocula καὶ in interrogationibus emphatica est, et idem fere denotat quod γάρ. De proximo, quia ambigi poterat, quam late ea vox spectaret, interpretationem Christi postulat.

30. Iesus non simpliciter respondet; verum in ea, quae nunc sequitur, parabola, affert exemplum hominis indocti, Iudaeisque propter falsam religionem invisi, sed de Iudaeo praeclare meriti, qui pio animo motus, *facto* id exercuit, quod Iudaeorum νομικῷ in *quaestione* adhuc res summi momenti esse videtur. Quare Iesus efficit, ut legisperitus nihil prorsus haberet, quod proferat. Ὑπολαβὼν εἶπεν) *excipiens, respondens dixit: Lex. Iob.* ὑπολαβὼν, ἀποκρινόμενος. ἄνθρωπός τις) *Iudaeus quidam.* Nam Iudaeum intelligi, ex sequentibus patet. Quidam fabulam, alii rem gestam hic narrari existimant. ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἱεριχὼ) Qui locus latrociniis infamis, ut notat *Hieronymus.* Iericho urbs erat sita inter Hierosolymam, a qua CL. stadiis dista

stabat, et Iordanem fluvium. Inter Hierichuntem et Hierosolyma erat desertum valde horridum, latronibus refertum. οἳ καὶ — ἀπῆλθον) *Qui, quum eum despoliassent, et vulnerassent, abierunt.* Glossarium ἐκδύω, *exspolio, despolio.* Ἔκδυτης, *despoliator.* ἀφέντες ἡμιθανῆ τυγχάνοντα) *relicto illo, qui esset semimortuus.*

31. Κατὰ συγκυρίαν) *re ita ferente*, vel *fortuito quodam casu.* ἱερεύς τις) *Sacerdos quidam*, cui pro populi salute preces fundendi et sacrificia offerendi officium erat, Hierichuntem proficiscitur, intactusque videt infelicem Iudaeum, nec ei succurrit.

32. Λευΐτης γενόμενος κατὰ τὸν τόπον) *Levita, quum pervenisset ad istum locum.* Optimi scriptores γίνεσθαι pro παρεγίνεσθαι ponere solent. Levita, Hierosolyma et templum petiturus, ubi laudes Dei pro beneficiis nationi Iudaicae praestitis caneret, eodem venit, sed re accuratius cognita abire festinat.

33. Σαμαρείτης — κατ' αὐτὸν) *Samaritanus iter faciens, proprius eum accessit*, ut nempe videret, quis homo ille, et quid rei esset: vel repete τόπον ex v. 32. ut sensus sit: venit circa locum, ubi erat. Homo Iudaeis invisus, propter negotium urgens fortassis e patria profectus. Non metuit periculum a latronibus in loco deserto; non suspiciones Iudaeorum, qui ipsum, si alter ex vulnere interim obiisset, non sine aliqua specie latrocinii accusaturi fuissent. ἐσπλαγχνίσθη) *misericordia commotus est.* De odio Iudaeorum et Samaritanorum mutuo vid. notata ad Io. IV, 9.

34. Κατέδησε τὰ τραύματα αὐτοῦ κ. τ. λ.) *Vulnera eius obligavit etc.* Genium suum defraudat oleumque et vinum, quod sibi comparaverat, curando vulneri impen-

pendit, ipse pedes per viam asperam atque molestam incedit, vestesque suas lacerat, ut vulnera alterius obligaret. *εἰς τὸ πανδοχεῖον*) *Glossarium*: diversorium, *καταλυμα*, *πανδοχεῖον*. Rectius forsan Latinus interpres: *stabulum*. Nam et in iure Romano stabulum *πανδοχεῖον* vertunt Graeci, cauponam autem *καπηλεῖον*. Caupona, est, ubi bibitur, stabulum, quo recipiuntur viatores. Hoc Hebraeis מְלוֹן. Sic et eruditissimum *Stephani* Glossarium: *Stabulum ἱπποστάσιον, ὀνοστάσιον, πανδοχεῖον*. Antiquissimis temporibus, quibus ius hospitalitatis florebat, vel nulla vel rarissima, erant diversoria, quorum etiam in N. T. nonnisi h. l. fit mentio. Sed in Iudaeorum regionibus, inprimis propter gentiles peregrinantes passim constructa erant, sicut etiam in illa via inter Hierichuntem et Hierosolyma, eiusmodi diversorium propter Samaritanos aliosque iter facientes reperiebatur, ut ex hoc loco patet. Quae nunc in Oriente reperiuntur diversoria, esse loca concamerata et stabula, pabulis, vitae sustentandae praesidiis, et rebus venlibus plane vacua, tradunt itinerum scriptores.

35. Ἐκβαλών — πανδοχεῖ) *Proferens duos denarios, dedit stabulario.* Ἐκβάλλειν h. l. est *proferre*, ut Matth. XII, 35. coll. Luc. VI, 45. *προσδαπανᾶν* significat *plures sumtus facere*; nam praepositio *πρὸς* in compositis saepe vim augendi habet.

36. Τίς οὖν — λῃστάς;) *Quis horum trium tibi videtur proximum se existimasse ei, qui in latrones inciderat?* Quaesiverat enim legisperitus v. 29. quem *habere deberet* proximum suum. Sic Iac. IV, 9. *ταλαιπωρεῖν, miserum se existimare.* 1. Cor. IV, 8. *πλουτεῖν,*

τειν, βασιλεύειν dicuntur, qui divites esse et regnare sibi videbantur. Vid. *Storrii* diss. exeget. in libror. N. T. historicor. aliquot locos. P. II. p. 32. (Tubing. 1791.)

37. Ὁ ποιήσας — αὐτοῦ) *Qui misericordiam erga eum exercuit.* Πορεύου, καὶ σὺ ποίει ὁμοίως) i. e. *quemvis hominem tuum proximum existima.* Πορεύου hic hortantis est, ut πορευθέντες Matth. IX, 23. Imitare, inquit Christus, non sacerdotem et Levitam, sed illum Samariten, et quod illum voluisti praestare Iudaeo, praesta Iudaeus extraneo, imo, si res ita ferat, etiam Samaritae. Immutabilia enim sunt naturae iura.

38. Κώμην τινά) *Bethaniam*; ibi enim habitabant Martha et Maria cum fratre Lazaro, ut legimus Io. XI, 1. Μάρθα) Videtur haec mulier fuisse vidua, quacum frater et soror vixerint, qui legitur: εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, ὑποδέχεσθαι; *hospitio excipere.*

39. Ἡ καὶ — κυρίου) *Quae etiam prope Iesum sedebat*, nempe cum discipulis. Παρὰ τοὺς πόδας est notus Hebraismus, ut Actor. XXII, 3. ἤκουε — αὐτοῦ) *Diligenter excepit eius orationem.*

40. Περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν) *Distrahebatur multis ministeriis*, in administrando, nominatim in apparatu convivii. Περισπᾶσθαι eleganter dicuntur, *qui nimis sunt in aliqua re occupati, nimisque animo in ea defixi, curisque districti.* Diodor. I, 74. ἰδεῖν ἐστι τοὺς τεχνίτας περὶ πολλὰ τῇ διακονίᾳ περισπωμένους, i. e. *multis neogtiis distractos.* Hoc loco est idem quod Latinis in hoc argumento *cursitare, currere, discurrere.* Ἐπιστᾶσα, *accedens.* μόνην — διακονεῖν) Reliquit me solam in laboribus, et operis ministerii. Plus

aequo

aequo se gravari queritur Martha. *Ἵνα μοι συναντιλάβηται*) Ut una mecum manus admoveat, ut socia sit administrationis, *σὺν ἐμοὶ ἀντιλάβηται*. Vulgatus: *ut adiuvet me.*

41. Μεριμνᾷς — πολλά) Μεριμνᾷς, quod Vulgatus vertit: *sollicita es*, congrue de domus conviviique domina dicitur. Τυρβάζειν Suidas ἑτοιμάζειν καὶ Φροντίζειν exponit; quorum utrumvis huic loco congruit. τυρβάζειν, *turbare*. Ergo τυρβάζῃ, in medio est, *perturbas te*, te ipsam sollicitam reddis. Περὶ πολλά, σὺ πράγματα, *multis negotiis*, multorum ciborum apparatu.

42. Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία) Recentiores interpretes haec verba ad Mariam retulerunt: Graeci vero ad Martham; quorum sententia confirmatur ex sequenti δὲ, quae docet, tum demum incipere sermonem de Maria. De verborum sensu variae sunt interpretum sententiae. *Theophylactus* dupliciter interpretatur; vel: cibo opus est idoneo tantum, non delicato aut opiparo, uno ferculo: vel, τοῦ προσέχειν τῇ διδασκαλίᾳ, i. e attendere animum ad doctrinam. Auctor Moralium, quae *Basilio* tribuuntur, Reg. XXXVIII. ita haec verba refert: ὀλίγων δέ ἐστι χρεία, ἢ ἑνός. Eadem fere in paucis quibusdam Codd. et versionibus, itemque Patribus nonnullis occurrunt. Haec lectio omnino est pro illorum sententia, qui locum de cavenda ferculorum copia interpretantur. Fortassis in verbis ἑνὸς ἐστι χρεία est Dilogia, in sermonibus Iesu frequens, vel acute dictum, ut Iesus verbis: *uno tantum ferculo opus est*, simul innuere voluerit, unum vel maxime necessarium esse eam portionem, quam Maria sibi elegerit, studium religionis et pietatis, curam pro animi aeterna salute. *Nachtigall* in commentatione ad h.

l (in *Henkii* promtuario, Tom. VI partic. 2.) ad ἑνὸς supplendum esse existimat ἀνθρώπου, et χρείαν significare *negotium*, ut sensus sit: *hoc est negotium unius hominis*; unus homo hoc negotium tractare potest; tu sola ei suffcis. Sed non verisimile est, Iesum inhumana hac oratione usum esse erga officiosam hospitam. Itaque recte eum impugnavit *Io. St. Tychsen (in Hencke's neuem Magazin* Tom. I. part. 1. p. 186.) qui censet τὰ πολλὰ v. 41. esse πολλὰ μέρη τῆς διακονίας, et ad ἑνὸς supplendum esse μέρους τῆς διακονίας, *unum hoc negotium, quod Maria elegit, ad me excipiendum sufficit.* Sed pars illius *ministerii* (διακονίας) potius fuit in ciborum apparatione, ut sensus sit: Uno tantum cibo, uno ferculo, non multo ministerio, non multorum ciborum apparatione opus est. Neque erat Christo, omnium virtutum doctore et exemplari, indignum, etiam frugalitatem verbis et factis commendare, quod et comm. 7. 8. fecerat. Μαρία δὲ — ἀπ' αὐτῆς) *Maria autem bonam portionem* (sortem) *elegit, quae ab ea auferri non debet*; ergo non possum eam iubere, te iuvare. Μερίς, *pars, portio*, hebr. חֵלֶק. Sic *Philo* de plantatione Noae *portionem* et *possessionem* μερίδα καὶ κλῆρον coniungit. Sensus igitur est: Maria me audiendo curam rerum utilissimarum et maxime salutarium suscepit; et fructus huius negotii et curae mansurus est in aeternum.

CAP. XI.

1. Δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι) *Doce nos compendium rerum orandarum.* Neque enim eo tempore syl-

syllabis adstringebantur. *Tertulliano* haec oratio dicitur breviarium totius Evangelii; *Cypriano* coelestis doctrinae compendium. καθὼς - μαθηταὰς αὐτοῦ) Ioannes discipulos suos precari docuerat ex more magistrorum Iudaicorum. Singuli enim Iudaeorum magistri, qui scholas habebant, eas distinguere solebant certis et statis precum formulis, quas huic scholae addicti discipuli recitabant. Fortassis discipulis ea precationis formula, quam ipsis Iesus alia occasione dederat (Matth. VI, 9. sqq.) nimis brevis esse videbatur. Desiderabant igitur paullo copiosiorem, et solemniorem formulam. Sed Iesus illam non tantum repetit, sed etiam abbreviat, ut doceret, non opus esse prolixioribus precibus, (Matth. VI, 7. sqq.) sed recta mentis intentione et fiducia in Deum optimum Maximum. Ergo non fuit Christi consilium, ut discipuli quotidie et semper hac formula uterentur, sed ut eam supperadderent ceteris precibus, et ut hino argumentum sumerent, si ipsi, quid precarentur, non haberent. Ceterum cf. Matth. VI, 9. sqq.

2. Verba ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς omittunt Codd. Interprett. et Patres nonnulli, ut et illa: γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, et alia quaedam. Omnino credibile est, in Graecis codicibus adiecta ex *Matthaeo*, quae Lucas omiserat.

4. Ἁμαρτίας) Expositio eius, quod apud Matthaeum est ὀφειλήματα. καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν) Nam et nos ex tuo praecepto iniurias aliis condonamus, ob promissionem veniae sub hac conditione nobis factam. Verba ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *Origenes* in suis codicibus non invenit; desunt etiam in codicibus quibusdam, et recte omitti possunt. Doxologiae nullum vestigium reperitur in codd. Lucae.

5.

5. Τίς ἐξ — τρεῖς ἄρτους) *Si quis vestrum amicum media nocte adierit, eumque rogaverit, ut ipsi commodaret tres panes.* Τίς, pro ἐάν τις. Figurata est oratio interrogatione; atque hoc simpliciter dicitur: Si quis habeat amicum, veniatque ad domum ipsius tempore importuno petendi ab alio quaepiam etc. Vox μεσονυκτίου non ubique stricte sumitur, sed cum latitudine quadam, pro incerta aliqua, at provectioris noctis portione. Sic et *nox intempesta* nonnunquum apud Latinos ponitur.

6. Ἐπειδὴ — πρός με) Ἐξ ὁδοῦ, *ex itinere.* Haec explicanda sunt ex more Orientalium, qui ob aestum diei circa vesperam demum, aura frigidiore iter parare solebant; quod etiam nunc faciunt Arabes, Turkomanni, Drusi et Maronitae, ut ex itinerariis constat.

7. Τὰ παιδία — εἰσὶ) εἰς τ. κ. pro ἐν τῇ κοίτῃ, *in cubili sunt.* Significat, neminem domi esse, qui sine incommodo panes dare petenti possit, quum omnes iam cubitum iissent. Recte autem παιδία *liberos* vertit Syrus.

8. Λέγω ὑμῖν) Versus 5 — 7. protasin continent, v. 8. apodosin. Διάγε τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ) *propter importunitatem eius*, propter improbam et pertinacem flagitationem, qualis est impudentium. Vulgatus: *propter improbitatem eius*; quo sensu Petronius: *Nihil est quod non improbitas extorqueat*, i. e. audax et assidua instantia. χρήζει) frequenter cum Genit. *eget*; cum Accus. *vult.*

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω) Comparatio est non a simili, sed a maiore; si impudens flagitator tantum obtinet ab homine, quantum non a Deo obtinebit supplex et assiduus

siduus precator? Ergo comparatio non est extendenda ultra tertium comparationis, quasi Deus importunis hominum precibus vinci quasi expugnarique possit, ut invitus quasi concedat ea etiam, quae petentibus et aliis sint inutilia aut noxia. Nam haec aliena esse a Deo, nemo non videt. Patet ex v. 23. hoc unum docere Iesum, eos qui *vera bona*, nominatim *animi bona*, ad veram et aeternam salutem necessaria flagitent, et assiduis precibus a Deo expetant, certissime impetraturos esse, quod optent. Non autem excluduntur alia adiumenta, e. c. studium discendi doctrinas religionis, meditatio etc. Ad sequentia vid. notata Matth. VII, 7. 8.

13. Ὁ ἐξ οὐρανοῦ) i. e. οὐράνιος, celsissimus, omnipotens, optimus. Dabit πνεῦμα ἅγιον, (Matthaeus l. c. δόματα ἀγαθὰ) *sanctam mentem*, adiumenta veri rectique, atque omnis boni moralis, χάριν πνευματικήν, ut Scholiastae graeci interpretati sunt.

14. Καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν) metonymice. Ut pallida mors. Id est, *illud daemonium faciebat, ut is, in quem invaserat, esset mutus.* Cf. Matth. XII, 22. ubi δαιμονιζόμενος dicitur fuisse τυφλὸς καὶ κωφός.

16. Πειράζοντες) *Tentantes*, an revera esset legatus divinus. σημεῖον ἐξ οὐρανοῦ, *miraculum e coelo*, videtur esse phaenomenon aliquod in aëre, ut fulmen, tonitru, vel simili quid. Qui igitur haec miracula postulabant, videntur hoc voluisse, ut Christus repente tale phaenomenon efficeret.

17. Οἶκος ἐπὶ οἶκον) sc. διαμερισθείς, quod sententia ipsa ostendit, et ex Matthaei ac Marci collatione liquet, *Domus adversus sese dissidens, cadit*; domus autem h. l. est *familia*.

20.

20. Ἐν δακτύλῳ θεοῦ) Alludit ad Exodi historiam c. VIII, 19. *Vi divina*, per Hebraismum. Matthaeus c. XII, 28. ἐν πνεύματι θεοῦ.

23. — 26. Vid. notata ad Matth. XII, 30. 43. s.

27. Ἐπάρασα — αὐτῷ) Τις γυνὴ, mulier quaedam ex multitudine. *Vocem tollere*, h. l. redundat: *vociferata est.* Μακαρία κ. τ. λ.) Mos loquendi Graecis quoque non ignotus. *O matrem felicem, quae te talem peperit!* Uterus maternus, et ubera materna pro ipsa matre.

28. Μενοῦνγε) Epanorthosis, non negans quod erat dictum, sed maius aliquid addens. *Ita sane; sed beati ii vero sunt, qui audiunt doctrinam divinam, eamque observant.*

29. Τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων) Quum aliae super alias turbae ad ipsum coirent. Vid. Matth. XII, 38. sqq.

31. Μετὰ τῶν ἀνδρῶν τῆς γενεᾶς ταύτης) Cum hoc populo nequam et flagitioso, qui a multis iam seculis maiorum suorum in omni malo opere vestigia subsecutus est. Ad ea quae sequuntur vide ad Matth. XII, 41. 42. dicta.

33. Οὐδεὶς λύχνον ἅψας) Sententiam hanc Christus, ut sapientes solebant, occasione data saepius inculcabat; itaque apud Lucam bis reperitur, cf. c. VIII, 16. quod et de aliis sententiis par est intelligi. Hoc nostro loco respiciendum est ad praecedentia v. 14. sqq. Docuerat nempe Christus, se non esse magum neque fraudatorem; non opus esse ut divinam suam legationem

nem demonstret miraculo e coelo; nam partim se multa alia miracula edidisse, partem in vitam esse redituram. Nunc addit, hanc cognitionem non esse celandam; non esse postulandum alio tempore signum e coelo.

34. Ὅταν — φωτεινόν ἐστιν) *Hippocrates* Epidem. 6. §. 4. *Oculi ut validi fuerint, ita et corpus.* Ad quem locum Galenus: *Si oculi bonum colorem habuerint, etiam totum corpus bene valere significant.* Quod ad loci huius sensum attinet, vide ad Matth. VI, 22. dicta. Hoc nostro loco dictum ad rem praesentem ita est referendum: Si Iudaei rectam haberent Messiae cognitionem, tunc facta etiam et iudicia eorum recte se haberent; non dicerent me esse praestigiatorem, sed legatum divinum.

35. Σκόπει — ἐστὶν) *Considera, annon lux tua tenebrae sint*, obscurata sit. Nam ea vis est voculae μὴ post verbum σκοπεῖν. Sensus est: Considera, annon mens tua ignorantiae et praeiudiciorum vitio laboret.

36. Εἰ οὖν, — φωτίζῃ σε) *Si igitur totum corpus collustratum est, ita ut nulla pars sit obscura, totum luce ita gaudebit, ac si lux fulgore te collustraret.* Duplicem sensum hic habet ὅλον. Nam prima vice ad σῶμα refertur, altera vice absolute positum est, et *universum, totum* simpliciter indicat. Sensus esse videtur: Si mentis tuae acies ita comparata est, ut oculus sanus, toti corpori praebens lucem, tunc (abiectis praeiudiciis) verum recte perspicies, ac si lucerna fulgore suo tibi lucem praeberet. Permixta est nempe rei comparatae ipsa comparatio. Vox ἀστραπὴ h. l. *fulgorem, splendorem* denotat, sicut ἀστράπτειν saepe est *splendere, fulgere. Vogelius* in Progr. *de Conjecturae usu in N. T.* (Altorf. 1795.) verba ita distinguenda

da putat: *εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον, φωτεινὸν μή ἔχον τι μέρος, σκοτεινὸν, ἔσται φωτεινὸν ὅλον κ. τ. λ. Quodsi igitur corpus tuum omne caliginosum, ne particulam quidem lucidam habens, erit totum lucidum quasi lux subito splendore tibi affulserit.*

37. Ἐν δὲ – ἀνέπεσεν) *Iesu autem ita docente* (v. 17 — 32.), *Pharisaeus quidam invitavit eum ad coenam; itaque apud eum epulatus est.* Sine dubio malo consilio Pharisaeus invitavit Iesum. Ἀριστάω, proprie est *prandium capio*; deinde vero etiam est cibum capere quocunque tempore; h. l. *coenare*, δειπνεῖν. Vid. *Io. Fr. Fischeri* Proluss. p. 580. Ἀναπίπτειν, *discumbere. accumbere ad cibum sumendum.* Respicitur ad convivantium ritum; nam Iudaeos tempore Christi ad mensam non sedisse, sed iacuisse, constat.

38. Ὁ δὲ – ἀρίστου) *Pharisaeus autem admiratus est, quod non ante coenam manus abluisset.* Πρῶτον, *ante omnia, vor allen Dingen.* Ἐβαπτίσθη, i. e. ἐνίψατο τὰς χεῖρας. Sed ἐβαπτίσθη dicere maluit, quia manus tota et brachii pars cubito tenus non leviter perfundebatur, sed quasi mersabatur, ne quid sordis adhaereret Illotis ex Iudaico dogmate omnis cibus erat immundus.

39. Νῦν — πονηρίας) *Iam vos Pharisaei externas partes poculi et patinae mundatis; interna autem rapinis et quavis improbitate plena sunt.* Νῦν, i. e. nunc quidem hyprocrisis vobis auctoritatem et turpe lucrum affert, postea vero male vobis erit, v. 42. vel, quod magis placet, τὸ νῦν indignationem quandam hic infert, ut apud *Arrianum* Lib. III. Epictet. c. 23. Vid. *Raphelii* notas Polyb. τὸ δὲ ἔσωθεν — πονηρίας) τὸ ἔσωθεν nonnulli referunt ad animum, ut sensus sit: *animus vester sca-*

scatet rapiendi cupiditate et malitia. Alii rectius referunt ad vasa, et interpretantur: *Quod in illis*, nempe in poculis et vasis *est*, *paratum est rapina et fraude*. Voculam ὑμῶν pertinere putant ad genitivos sequentes, ut vertendum sit: *interna vero* (vasorum) *plena sunt rapinis et malitia vestra*. Tales traiectiones sunt Matth. V, 16. X, 30. XIII, 16. et aliis locis. Cf. notata ad Matth. XXIII, 25.

40. Οὐχ' ὁ ποιήσας — ἐποίησε) Plurimi cum *Elsnero* per τὸ ἔξωθεν et ἔσωθεν exteriora et interioa vasorum intelligunt, et sine interrogatione vertunt: *Qui exterius purgat, non statim interius etiam purgavit. Boltenius* interrogationem retinet: *Wenn man etwas von aussen rein macht, sollte man es nicht auch inwendig rein machen*? Rectius. Nimirum comparatione de corporis munditie animique probitate, quae sponte se praebuit, aliam similitudinem Iesus adiungit a vasis petitam. Sensus vero hui. difficilis loci esse videtur hic: Vos eum qui illotus accubuit in convivio, non immundum sed potius religionis violatorem habetis. Estne vero sapientis, hominem bene moratum Deoque placidum existimare propter corporis lautitiam? Haec profecto vestra est perversa ratio. Nonne eandem ob causam, quia animi curam rebus externis postponitis, vasa vestra, tam diligenter purgata ut renideant, squalida sunt? Nam cibos potusque, quibus illa repleta sunt, rapina et fraude paravistis. *Nonne igitur, qui externa purgat, purgare etiam debet interna?* τὸ ἔσωθεν ὑμῶν necesse non est de animo intelligi, sunt potius τὰ ἐνόντα ἐν τῷ ποτηρίῳ καὶ τῷ πίνακι. Ποιεῖν interdum est *purgare*. Sic 2. Sam. XIX, 25. *facere pedes* est, *lavare illos et ungues illorum* resecare.

41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην) *Veruntamen adiuvate iis, quae insunt, pauperes; date stipem.* τὰ ἐνόντα non explicanda sunt: *pro facultatibus vestris* (κατὰ τὰ ἐνόντα), nec referenda ad omnia bona, sed ad ea tantum, quae adsunt, quibusque vasa, de quibus omnino sermo est, repleta sunt. καὶ ἰδοὺ — ἐστιν] *et ecce omnia vobis pura sunt.* Sensus: *Cibo et potu vos inquinari non existimandum vobis erit.* Poculum vel quodvis vas aliud non satis purgatum, nihil vobis nocebit, a scelerum conscientia puris, et in egenos liberalibus. Πάντα non ultra consilium loquentis et sermonis nexum extendi debet, quasi omnia licita sint, qui stipem det. Iesum minime loqui per ironiam sed re vera poscere τὴν ἐλεημοσύνην, patet ex loco parall. Matth. XXIII, 23. ἀφήκατε τὸν ἔλεον. Suadet igitur Iesus Pharisaeis, ut per iniuriam aliis erepta, quantum fieri possit, restituant, vel beneficentia in egenos rapinas quodammodo pensare adeoque vasa sua purgare studeant. Ad seqq. cf. Matth. XXIII, 23. sqq.

44. Μνημεῖα ἄδηλα) *Sepulcra in oculos non incurrentia*, penitus sub terram defossa, qualia multa erant in regione Palaestinae, ut quae esset ὑπόστερος. Apud Matthaeum est alia comparatio a monumentis sumta, idem significans. Fieri potest, ut modo hanc, modo illam Christus usurpaverit.

45. Τις τῶν νομικῶν) *Legis interpres quidam.* Νομικοὶ traditiones aut prorsus respuebant, aut saltem non magni faciebant; (*Karaei* etiam appellari solent) in multis tamen Pharisaeos sequebantur. Ταῦτα — ὑβρίζεις) *His dictis etiam nobis iniuriam facis;* per consequentiam.

46.

46. Καὶ ὑμῖν — φορτίοις) *Vos etiam legis interpretes miseri eritis, qui gravissima hominibus impo natis onera, ipsi ne uno quidem digito levatis.* Cf. Matth. XXIII, 4. Sed ea, quae Matthaeus tradit, alia occasione et alio tempore dicta sunt; nam v. 1. ait, Iesum haec dixisse τοῖς ὄχλοις καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. Προσψαύειν, *attingere*, construitur cum dativo, vi praepositionis. Sensus est: ne minimum quidem horum praeceptorum et legum severissimarum, quibus alios adstringitis, observatis.

47. 48. Μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε τ. ἔργ. τ. πατ ὑμ.) *Testificamini, et declaratis consensum vestrum, approbantem opera patrum vestrorum*, quum illi interfectores sint prophetarum, vos monumenta eorundem aedificetis. Explicandus est hic locus ex parallelo Matth. XXIII, 29 — 31. Sensus est: Vos struitis quidem prophetis monumenta sepulcralia, sed imitando probatis facta eorum qui eos interfecerunt. Scelera maiorum vestrorum, a piis posteris abolenda potius, quam memoriae tradenda, tanquam egregie facta, monumentis prophetarum exornandis, ab oblivione vindicanda esse censetis.

49. Ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ) *Sapientia Dei.* Nonnulli volunt, Iesum se ipsum intellexisse; alii putant, librum quendam, iam deperditum inscriptum fuisse חָכְמַת יְהוָה, e quo Iesus haec hauserit. Ceterum cf. Matth. XXIII, 34. sqq.

51. τοῦ οἴκου) Sicut ναὸς interdum est tota structura templi, interdum pars illa, in qua erant sacerdotes, הֵיכָל, ita οἶκος alibi pro toto, hic pro eadem illa parte sumitur.

52. Ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως) *Sustulistis clavem cognitionis.* Methaphorice: occlusam tenetis et inaccessam facultatem cognitionis, ablata quasi clave ad fores illius aperiendas. Aditu ad meliorem religionis cognitionem prohibetis. Αὐτοὶ — ἐκωλύσατε) *Ipsi non accedit is, et alios accessuros prohibetis.* Introduxerant nempe falsum Dei cultum, quem omnem ponebant in cerimoniis et minutiis diligenter observandis eosque, qui Christi doctrinam sequi mallent, quovis modo ab eo abalienare studebant.

53. Δεινῶς ἐνέχειν) Ἐνέχειν exponere liceat *succensere, indignari, urgere*, vindictae studio. Hesychius: ἐνέχει μνησικακεῖ, ἔγκειται. δεινῶς, *vehementer.* ἀποστοματίζειν (nam haec est vera lectio, non ἀποστομίζειν) αὐτὸν περὶ πλειόνων) *ex ore ipsius elicere plura*, nimirum crebritate interrogandi, quod aliquid insidiando carpere, et excipere cuperent ad crimen ipsi inferendum. *Hesychius* ἀποστοματίζειν exponit ἀπὸ μνήμης ἀξιοῦν λέγειν; i. e. *exigere, ut alter quippiam memoriter dicat, quasi quicquid in buccam venerit. Suidas*: κελεύειν τὸν παῖδα λέγειν ἄττα ἀπὸ στόματος, *iubere, ut puer quaedam recitet.* Ad loquendum proliciebant et provocabant eum, quo facilius ex aliqua (ut sperabant) minus cauta responsione eius, ei possent accusationem struere.

CAP. XII.

1. Ἐν οἷς — τοῦ ὄχλου) *Inter et dum multitudo innumerabilis acervatim congregatur.* Nam ἐν οἷς denotat

tat: *inter ea quae dum gererentur*; et de ingente numero Graeci usurpant eum, quibus decem millia indicantur, quae sunt μυρίαι, et copia ipsa μυριάς. Ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους, *ut se fere conculcarent*. Πρῶτον plerique vertunt *ante omnia*, et cum προσέχετε coniungunt; alii iungunt (v. 1.) verbis ἤρξατο λέγειν πρ. τ. μαθ. αὐτοῦ, et volunt, Iesum nunc *primum*, *zum erstenmal*, discipulis praecepisse, ut sibi caverent a falsa doctrina Pharisaeorum, Matth. XVI, 6 vero eadem repetisse. Sic habent nonnulli codd. et versiones. Ad sequentia vide annotata ad Matth. X, 26. sqq. Marc. III, 28. Matth. X, 19. Multa diversi temporis dicta in unum congessit *Lucas*, quorum cohaerentiam texere nihil necesse est. Sunt enim velut Aphorismi.

13. Διδάσκαλε) Credibile est, Iudaeos solitos ad fugienda litium sufflamina, arbitros sumere eos, quorum sapientia et aequitas erat perspecta, ac praesertim discipulos libenter stetisse arbitrio magistrorum. μερίσασθαι μετ' ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν) *bona haereditate relicta mecum aequa lege partiri*, ne plus iusta parte detineat.

14. Δικαστὴν ἢ μεριστὴν) *iudicem aut partitorem*. Non tantum negat, se iudicem esse, sed nec arbiter esse cupit. Arbitrum Graeci διαιτητὴν vocant, sed μεριστὴς recte dicitur, qui familiae herciscundae, aut communi dividundo, aut finibus regundis arbiter sumitur. Et quidem Iesum nullo iure obligatum fuisse, ut onus tale susciperet, satis est manifestum. Neque enim a Deo neque ab hominibus erat in id constitutus; et exiguum illi restabat vitae tempus, quod sane impendendum erat rebus melioribus et toti humano generi profuturis.

15.

15. Φυλάσσεσθε ἀπὸ τῆς πλεονεξίας) *Cavete a studio habendi* (Habsucht), pecuniae cupiditate. πλεονεξία hic et alibi dicitur, non ἡ ἀδικία, ut quibusdam placet, sed ipsum illud habendi studium, cuius species est cupiditas pecuniae. Nam in sequenti parabola non de avaritia, sed de nimia fiducia in opes terrenas sermo est. Homo in exemplum proponitur, qui laute vivere cupiebat. v. 19. Cohaerent haec cum antecedentibus, ut doceamur, veram litis inter fratres causam fuisse alterius desiderium plura habendi. ὅτι — αὐτοῦ) *Si quis opibus abundat, felicitas eius non pendet a* (sola) *multarum divitiarum possessione*, sed a legitimo earum usu. Οὐκ ἐστιν ἐκ etc. i. e. *non pendet ab* etc. Alias ἐν, ut 1 Macc. III, 18. Οὐκ ἐν πλήθει δυνάμεως νίκη πολέμου ἐστὶν. Ζωή h. l. ut saepe, est *felicitas, beatitudo.* Possunt etiam explicari haec verba: Vita non pendet a pecuniis, et quidem sic, ut quis iis abundare debeat. Quaedam habere ad vitam plerumque sufficit, et sufficere debet; parvo vivitur bene.

16. Ἀνθρώπου — ἡ χώρα) *Hominis cuiusdam divitis ager fructus uberes protulerat.* Εὐφορία, *frugum ubertas, ut contra* ἀφορία, *sterilitas.* Per χώραν *ager, rus* intelligitur. Ita apud Dionys. Halic. et Iosephum haud raro, ut Kypkius ad h. l. docet.

17. Οὐκ ἔχω ποῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου) *Non habeo quo fruges congeram.* Videtur ποῦ dictum pro ποῖ, *quo*, quod non est inusitatum scriptoribus optimis. Interim, ubi significatio *in loco* et *in locum* valet, utrumque poni potest, sicut apud Latinos *ubi* et *quo.*

18. Καθελῶ — οἰκοδομήσω) *Destructis promtuariis, maiora aedificabo.* Ἀποθήκαι sunt *cavernae sub-*

ter-

terraneae. Vid. Matth. III, 12. πάντα τὰ γεννήματά μου, καὶ τὰ ἀγαθά μου) *Omnes proventus agrorum meorum, et fruges.* Nam γέννημα est καρπὸς, inquit *Phrynichus*, et ἀγαθὰ similiter h. l. sunt varii generis fruges.

19. Ἐρῶ τῇ ψυχῇ μου) *Dicam mihi ipsi*, per prosopopoiam. Tunc, inquit, fruar partis, quum promtuaria auxero: at id facere iam licebat. ἔχεις — πολλὰ. *Habes multas fruges repositas in multos annos.* Ἀγαθὰ in genere sunt *opes*, *facultates*; in specie vero, ut hic *fruges*, *fructus*, quos terra profert. Κείμενα, pro ἀποκείμενα. Εἰς ἔτη πολλὰ est idem, quod Seneca epist. 99. vocat, *opes late disponere.* Idem epist. 20. *Non corpus putre sortiti nihilominus aeterna proponimus, et in quantum potest aetas humana protendi, tantum spe occupamus.* ἀναπαύου) *Quiesce, otiare.* Sentit ex ipso sollicitudinum cruciatu, quam dulcis sit quies, quam praestare sibi non potest. εὐφραίνου) *Animo sis laeto atque hilari.* Haec vox hoc quidem loco ad alias omnes voluptates referenda videtur, quae sunt extra esum potumque.

20. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ θεὸς) non revelando, sed decernendo, et efficiendo. Decretum autem per apostrophen significanter admodum enuntiatur. ἀπαιτοῦσι) Personale pro impersonali, aut activum pro passivo: *reposcetur anima tua.* Translatio est a rebus mutuum datis, vel commodatis sumta. Integra formula est: ἀπαιτεῖν τὸ τῆς ψυχῆς χρέος, (Sapient. XV, 8.) *animae vitaeque depositum tanquam debitum ab aliquo repetere.* Spectatur enim vita tanquam bonum ad aliquod tempus nobis concessum; quod partim substantivum χρέος, partim verbum ἀπαιτεῖν, *reposcere id quod com-*

commodatum erat, docet. Unde *reddere debitum naturae*. *Ἃ δὲ ἡτοίμασας, τίνι ἔσται;) quae vero parasti, cuiusnam erunt?* Opes congestae quem dominum sortientur? Certe tuae non erunt; haeredi relinquas oportet, aut si quis alius occupet.

21. Οὕτως — *καὶ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν*) Οὕτως. supple, *ἔσται*. *Ita erit*, i. e. ita fiet, aut continget illi. *Θησαυρίζειν ἑαυτῷ, opes congerere in sui ipsius commodum*, ad cupiditates suas satiandas. Ἑαυτῷ, Dat. commodi. Πλουτεῖν autem h. l. videtur idem esse, quod *θησαυρίζειν*, ac proinde *εἰς θεὸν* idem, quod *παρὰ* s. *ἐν θεῷ*. *Sic illis evenit, qui sibi opes accumulant, ac non laborant, ut apud Deum opes repositas habeant*, opera scilicet misericordiae, quae *θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ* alibi vocat Christus Matth. VI, 20. *Locuples respectu Dei* est, qui cogitat, divina potius et aeternum duratura bona colligenda esse, quam humana et caduca. Similis locutio est 1 Cor. XV, 58. *περισσεύειν ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ κυρίου*. Ad seqq. comm. vid. not. ad Matth. VI, 25. seqq.

24. Τοὺς *κόρακας*) Quum volucres in genere nominaverit *Matthaeus*, c. VI, 26. non frustra est, quod Lucas *corvos* specialiter expressit. Nam circa corvorum pullos specialis Dei cura etiam Iob. XXXVIII, 41. et Ps. CXLVII. praedicatur. *Aristoteles* non uno loco notat, pullos corvorum a suis parentibus nido expelli; et *Plinius* in naturali historia dicit, corvos oblivios esse, et plerumque minime ad nidos suos reverti.

29. Μὴ *μετεωρίζεσθε*) *Ne pendete animi, ne distrahimini cogitationibus*, ut vertit Syrus, *ne suspenso et anxio animo sitis*. Μετεωρίζεσθαι pertinet ad eorum verborum numerum, quae simul plane contrarias ha-

habent notiones. Ut igitur apud Philonem p. 941. A. μετεωρίζων et φυσῶν ἑαυτὸν dicitur is, qui nimium sibi confidit et magnos spiritus ducit, ita etiam e contrario dicitur de eo, qui parum sibi confidit, animum abiicit, et iusto tristior est ob conditionem suam humilem. Hoc loco μετεωρίζεσθαι dicuntur, qui animo ob curam futuri victus anxio, divinaeque providentiae diffiso, inter spem et metum fluctuant, neque spe in divinam providentiam collocata firmati sunt: metaphora haud dubie petita a navibus, quae μετεωρίζεσθαι, i. e. *in alto maris aestu hinc illic agitari* dicuntur. Hoc sensu μετέωρος haud raro occurrit apud *Iosephum*, e. g. Antiquitt. L. VIII, c. 8. §. 2. de populo anxie expectante, quid responsi ab Roboamo laturi sint: μετεώρου τοῦ λαοῦ παντὸς ὄντος, universo populo expectatione suspenso. Cf. *Loesner. Krebs. Kühn.* ad h. l.

32. Μὴ φοβοῦ, *ne aestues et trepides, ne anxius sis animi*, idem valet quod μὴ μεριμνᾶν, μὴ μετεωρίζεσθαι, τὸ μικρὸν ποίμνιον) Omnes eos affatur, qui metu pulso, spem firmarunt, et βασιλείαν τοῦ θεοῦ ζητοῦντες, nec parcentes τοῖς ὑπαρχοῦσι, bona coelestia sibi comparaverunt. Hos *gregem* vocat, ut Deum peculiari modo suum esse pastorem meminerint. Ps. XXIII, 1. Quia vero eiusmodi sectatorum copia exigua erat, appellat eam Iesus μικρὸν ποίμνιον. Ita optime haec consolatio cum sermone priori cohaeret. εὐδόκησεν — βασιλείαν) *Visum est patri vestro, dare vobis regnum illud*: sc. aeternum illud regnum. *Regnum* autem ponitur pro bonis, quae parata sunt civibus regni Messiani s. Christianis, in hac et in futura vita, nempe cognitio Dei rerumque divinarum, animi tranquillitas, spes laeta, et ipsa post mortem corporis felicitas aeterna.

na. Εὐδόκησε, quum Infinitivo iungitur, nihil aliud est, quam: *visum est illi.* Benevolentiae significatio ex rei natura, non ex vi vocis locum hic habet. Quum haereditatem aeternam (inquit) destinaverit vobis, quanto magis brevis aevi istius subsidiis vos instruet?

33. 34. Πώλησατε — ἐλεημοσύνην) Quae nunc sequuntur v. 33—40. non sunt praecepta omnibus Christianis omnium temporum, sed tantum illis praesentibus data, quos Iesus v. 32. τὸ μικρὸν ποίμνιον appellaverat. Plerique horum, sive omnes promulgando Evangelio operam dare, eoque consilio varias et longinquas orbis terrarum regiones peragrare debebant. Quapropter non poterant opibus congerendis operam dare. Suadet igitur Iesus, ut divendant potius bona, et distribuant egenis, quam ut ob curam futuri victus angantur. Cohaeret haec admonitio cum v. 32. ubi Iesus dispulis *regnum illud*, maiora omnibus opibus terrenis bona promiserat. Unde patet, hoc praeceptum comparate, non ad verbum et literas esse intelligendum. Ponitur exemplum: *vendere bona et aliis dare.* Hoc in aliis linguis est spernere divitias et res terrenas. Spernit autem divitias, qui iis non nimium est deditus, sed iis carere adeo potest propter alienam utilitatem. Ergo hortatur Christus discipulos, ut bona illa meliora longe praeferant opibus terrenis et caducis. Hanc esse Christi mentem discimus etiam e v. 34. Ποιήσατε — οὐρανοῖς) *Parate vobis marsupia* (per metonymiam *opes*), *quae non veterascunt; thesaurum reponite in coelis, qui nunquam deficiat.* Idem significant βαλάντια quod θησαυροί, nisi quod θησαυροὶ sint maioris quantitatis aut pretii, βαλάντια minoris.

35. Ἔστωσαν — καιόμενοι) *Lumbi vestri cincti sint*

sint, atque lucernae accensae, i. e. ut infra com. 40. γίνεσθε ἕτοιμοι. Qui enim prompti paratique sunt, habent lumbos praecinctos. Pertinent haec verba ad eam similitudinem, quae in sequenti commate explicatur. Nam qui dominum expectant, et ad ministerium obeundum alte cincti esse debent, et, si nox est, lumina habere parata, ne quid in mora sit, quum dominus advenerit. Non tantum militum et iter facientium, sed et ministrantium est περιζῶσθαι τὰς ὀσφύας, ut v. 37. Io. XII, 4. *Horatius*: *Puer alte cinctus. Praecincti recti pueri comtique ministrent.*

36. Πότε ἀναλύσει ἐκ τῶν γάμων) *Dum recipiat se ex convivio nuptiarum.* Sed interdum οἱ γάμοι sunt epulae in genere, quodvis convivium. Recte et usui loquendi optimorum scriptorum convenienter Lucas τὸ ἀναλύειν *de discessu ex convivio* usurpavit. Sic *Aelianus* Var. Hist. Lib. IV, c. 23. ἐκ συμποσίου ἀνέλυσαν. Et *Ioseph.* Antiqq. Lib. VI, c. 4. §. 1. item Lib. XI, c. 3. §. 2.

37. Περιζώσεται) *Praecinget se*, seu *succingetur*, quod fit ab iis, qui ad ministrandum sese parant. Graeci interdum utuntur futuris mediae flexionis in significatione passiva; sed potest hic etiam elliptice intelligi, ut *tum prora avertit.* ἀνακλινεῖ αὐτοὺς) *discumbere faciet eos*; pro ἀνακλίνειν ποιήσει αὐτούς. Honorem illis habebit novum atque insolitum. Neque ultra premendae partes comparationis. Sensus est: summa felicitate a me ornabimini, si quandocunque venturus, vos paratos, i. e. constantes sectatores reperiam. παρελθών) *accedens propius.*

38. Καὶ ἐὰν — ἔλθῃ) *Vigilia secunda* terminabatur hora noctis sexta, hoc est media nocte, ideoque voca-

vocatur etiam μεσονύκτιον, *tertiam vigiliam* galli cantus finiebat, et dicitur etiam ἀλεκτοροφωνία. Καὶ εὗρῃ οὕτω) sc. ποιοῦντας, vigilantes nempe. Sic infra XXII, 26. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως.

40. Ὅτι — ἔρχεται) *Nam potest Messias venire tempore, quo non putatis* eum venturum. Sermo est de iudicio extremo. Plerique vero intelligunt adventum ad iudicium in Iudaeos, tempus quo Palaestina et Hierosolyma vastata sunt. Matth. XXIV. et Marc. XIII. Eo tempore poterat inopinato aliquid evenire, per quod vita discipulorum finiri poterat. Hortatur igitur eos, ut sint ἕτοιμοι, officiis in promulganda Evangelii doctrina intenti.

41. Πρὸς — πάντας) *Utrum ad nos* (tantum) *hanc parabolam pertinere vis, an ad omnes* (auditores)? Clarum inde est et perspicuum, Iesum saepe seorsim cum Apostolis collocutum, praecipuas illis doctrinae suae et muneris partes exposuisse, et mandata dedisse.

42. Τίς ἄρα ἐστὶν κ. τ. λ.) Iesus non directe respondet ad quaestionem a Petro propositam. Sed ex sequenti parabola patet, sermonem esse de Apostolis tantummodo, qui comparantur cum *Oeconomis*. Hi autem non erant servi quivis, sed aliis praepositi, *Oberknechte*, singulis mensibus demensum cibum distribuentes famulitio. Τίς ἄρα ἐστὶν κ. τ. λ. vel est ὑποθετικόν, quasi dicat: Si quis Oeconomus constituatur etc. vel verti potest: *quanti aestimandus est?* Futurum καταστήσει est vice Aoristi κατέστησε. Θεραπεία, *famulitium*. τοῦ — τὸ σιτομέτριον) *Demensum*, singulis mensibus destinatam mensuram frumenti. Ἐν καιρῷ, in tem-

tempore debito, *opportuno*. Cf. notata ad Matth. XXIV, 45. sqq.

46. Καὶ διχοτομήσει αὐτόν) i. e. *male eum perdet*. Διχοτομεῖν proprie est *in duas partes secare*, et adhibetur inprimis ad designandum crudelissimum illud supplicii genus, Hebraeis, Aegyptiis, Graecis et Romanis receptum, quo reorum aut captivorum corpora media dissecabantur. 2 Sam. XII, 31. *Herodot.* III, 13. *Diodor. Sic.* I, 2. *Sueton.* Calig. c. 27. Hinc factum est, ut in universum significaret *morte crudeli interficere et gravissime punire*. Cf. Matth. XXIV, 51.

47. 48. Ἐκεῖνος δὲ ὁ δοῦλος ὁ γνοὺς τὸ θέλημα) Plectentur Idiotae et praepositi ecclesiarum, ni officium suum fecerint: sed hi plectentur gravius, ut quibus communiter maior atque exactior data sit scientia eorum, quae ad salutem pertinent. μὴ ἑτοιμάσας) Supple πρὸς τὸ ποιεῖν. δαρήσεται [κατὰ] πολλὰς) *caedetur multis* (plagis). Sic *Aristophanes* Nubibus: τυπτόμενος πολλάς. Et *Demosthenes* de falsa legatione: ξαίνει κατὰ τοῦ νώτου πολλάς. Μὴ γνούς) Tarditate ingenii, aut doctorum negligentia, aut alia gravi de causa, modo ne studio quaesita sit ignorantia. ᾧ παρέθεντο πολύ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν.) Personale pro impersonali. Sensus est: Cui accurata doctrinae meae cognitio contigit, ut ipse hoc bono recte utatur aliosque edoceat, qui tamen male perfungitur officiis a me sibi traditis, is gravius punietur, quam alius, qui minus accuratam nactus est religionis scientiam.

49. Πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη) *Adveni ut ignem immittam terris, et, o quam velim, ut iam accensus sit?* Τί, hebr. מָה

sae-

saepissime est *quam*, *quantopore*, ut Ps. VIII, 1. Quod ad sensum huius loci attinet cf. Matth. X, 34. sqq. *Incendium immittere in terram* h. l. est excitare magnam dissensionem, ut patet ex v. 51. sqq. Praedicit Iesus eventum quem doctrina eius in tanta Iudaeorum pertinacia atque contumacia sit habitura. Dum ea enim propagabatur, turbae multae sunt excitatae. Interfecti sunt sectatores Christi; accusavit alter alterum; domo opibusque alter alterum eiecit etc. Igitur referenda haec sunt ad bella et dissidia tunc orta in Palaestina et orbe Romano propter doctrinam Christi, quam Iudaei et Ethnici opprimere conabantur. Addit Iesus: *Quam velim ut iam accensus esset* hic ignis! ut iam initium factum esset istorum motuum et propagationis doctrinae meae!

50. Βάπτισμα — τελεσθῇ) Sensus est: *Sed debeo antea gravissimis calamitatibus immergi, et o quam sollicitus sum usque dum finitae fuerint!* Βάπτισμα est *immersio*. *Immergi* autem tropice est *calamitatibus immergi, magno calamitatum onere premi.* Vid. Matth. XX, 22. πῶς συνέχομαι) *quantopere angor animi!* quam sollicitus sum! Praesens vim habet futuri et posit. est pro μέλλω συνέχεσθαι. ἕως οὗ τελεσθῇ) *usque dum finitae fuerint istae calamitates.* Ad sqq. vid. Matth. X, 34 – 36.

52. Ἔσονται — τρισὶ) *Reperientur enim ab hoc tempore quinque in una domo dissidentes, tres adversus duos* etc. Διαμερίζεσθαι, *in partes dividi*, deinde *animo disiungi, dissidere, in partes ac studia contraria distrahi*, ut v. 51. διαμερισμὸς, *dissidium.* Ἐπὶ h. l. significat, *contra, in alicuius incommodum,*

quo

quo sensu nunc cum dativo, nunc cum accusativo adhibetur. Ad seqq. cf. dicta ad Matth. XVI, 1. sqq.

57. 58. Τί — δίκαιον;) *Cur autem et per vos ipsos non diiudicatis, quid iustum et aequum sit?* δίκαιον h. l. est, *quod fieri convenit*, quod rationi est consentaneum, ut Philip. I, 7. et hebr. מִשְׁפָּט. Optimam vero huius et seq. comm. explicationem *Castellio* proposuisse videtur: Cur non vos ipsos imitamini, et quam in humanis rebus adhibetis prudentiam, eadem in divinis utimini? Soletis coeli faciem explorare, ut ad tempestatem componatis res vestras; soletis cum adversario potius componere, quam ad iudicem venire, qui severius sit iudicaturus. Quum igitur videre possitis ex his quae fiunt, instare Dei iudicium, cur non reditis ad frugem, dum licet? Nam ad iudicium quum ventum erit, sera erit poenitentia. Quod autem dicit Iesus v. 58: *Da operam*: non praecipit, quomodo sit in litibus agendum: nam ea in re satis sapiunt homines. Sed docet Christus, quod fit in litibus, id faciendum esse in regni coelestis negotio: id vero per imperativum brevius docet. In alio nexu idem Salvatoris effatum occurrit Matth. V, 25. 26. quem locum confer. ἀπαλλάττεσθαι ἀπό τινος est, *ab aliquo, a quo periculum imminet, liberari.* Sic *Ioseph.* Antiquitt. L. V, c. 2. §. 8. πραγμάτων ἀπηλλάχθαι, *rebus difficilibus, s. periculo liberari.* Μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτὴν) *Ne te ad iudicem detrahat.* Κατασύρειν, *fortschleppen, detrahere* in iudicium *Cic.* pro Cluent. 64. *ut hunc — aliud agentem, et nihil eiusmodi cogitantem ad hanc accusationem detraheret.* τῷ πράκτορι) πράκτωρ *minister magistratus* dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀναπράξαι δίκας vel τιμορίαν, quae formae dicendi

apud

apud Philonem aliquoties occurrunt, πράκτορες αἵματος, *ultores caedis*; *exactores poenae ob caedem factam* dixit Aeschylus in Eumen. v. 30.

CAP. XIII.

1. Ἀπαγγέλλοντες) Ut rem novam, quae tum forte acciderat. περὶ τῶν Γαλιλαίων) Quae hic de Galilaeis narrantur, non in Galilaea, sed Hierosolymis acta sunt, quo Galilaei sacrificandi causa veniebant, paschate praesertim. ὧν τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν) *Quos Pilatus occidi iussit sacrificandum.* Sic Philo de Spec. Legg rationem redditurus cur Deus homicidam, qui ad aram confugisset, ad supplicium dari, nec ibi statim interfici voluerit, ait: αἵματι γὰρ ἀνδροφόνων αἷμα θυσιῶν ἀναμιαθήσεται, *sic enim victimarum sanguis misceretur cum homicidarum sanguine.* E quo loco intelligitur μετὰ τῶν θυσιῶν dictum esse pro μετὰ τοῦ αἵματος τῶν θυσιῶν, fere ut apud Horatium L. I. Od. I, 23. *lituo tubae permistus sonitus*, i. e. sono litui. *Iosephus* quidem Galilaeorum in templo a Pilato caesorum non meminit; at ea habet, quae huic narrationi fidem faciunt, dum docet, Galilaeos prae ceteris homines fuisse seditiosos, praesertim inde a tempore *Iudae Gaulonitae*, in filiis *Iacobo* et *Simone*, aeque factiosis quasi redivivi, (*Ioseph. Archaeol.* Lib. XX, c. 6. coll. Lib. XVII, c 2. §. 4. de *Bello Iud.* II, 17, 5. IV, 3, 12.) et Iudaeis solenne fuisse occasione festorum tumultuari, idque in ipso templo. Ideo Herodes arcem Antoniam exstruxit, et praesidio militari munivit. Antiquitt. XV. c. 11 §. 4. XVII, 9, 3.

2.

2. Δοκεῖτε — πεπόνθασιν;) *Putatisne hos Galilaeos ceteris Galilaeis flagitiosiores fuisse, quod talia passi sint?* Ἁμαρτωλοὶ παρὰ est periphrasis comparativi, ut Gen. III, 1. עָרוּם מִכֹּל, quod LXX. reddunt φρονιμώτερος πάντων, Symmachus πανουργότερος. Reprehendit Iesus vulgarem Iudaeorum opinionem et iudicandi temeritatem, qui illos homines flagitiosiores ceteris esse putabant, quibuscum peius ageretur. Et profecto ipsa sana ratio docet, rerum externarum commoda et incommoda, quae habent causas varias et diversas praeter recte et perperam facta, et saepe eveniunt, ne praegressis quidem bene et male factis, (Io. IX, 1. 2.) nec debere nec posse facile dici praemia et poenas, nisi Deus ipse declaraverit secutura esse haec commoda et incommoda nominatim ideo, quia praecesserunt bene et male facta. Levit. XXVI. Deut. XXVIII.

3. Ἀλλ' ἐὰν — ἀπολεῖσθε) *Imo vero, vos omnes, nisi animum turbulentum et factiosum mutaveritis, aeque ac illi peribitis.* Hoc factum est in ultima paschate, Iudaeis funestissimo, auctore *Iosepho* de B. Iud. VI, 9, 3. 4. Lib. VI, c. 5. §. 6. Videtur igitur in his verbis esse vaticinium pariter ac admonitio. Fieri potest, inquit Christus, ut vos simili modo pereatis. Nonnisi mentis emendatione tales casus effugere poteritis. Sic etiam v. 5.

4. Ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωὰμ) *Turris iuxta Siloam.* Est autem *Siloam* nomen fontis Hierosolymis ad radicem montis Sion et ad portam probaticam, extra urbem, Nehem. III, 15. Ex Io. IX, 7. patet aquas huius piscinae fuisse salubres. Iugem aquam fuisse, negat *Hieronymus* in Ies. VIII, 6. Sed constat huiusmodi

aquas vim suam haud raro tractu temporis amittere. Turris, i. e. aedificium altius aedificatum, exstructa fuisse videtur eorum causa, qui his aquis utebantur. ὀφειλέται — Ἱερουσαλήμ) *Scelestiores fuisse omnibus Hierosolymitanis?* Verba ὀφείλημα et ὀφειλέτης ad peccata et scelera hominum transferri solent. Matth. VI, 12.

6. Ἔλεγε — παραβολήν) *Subiecit vero hoc exemplum*, ut nempe doceret, quam periculosum sit, lenitate Dei abuti ad peccandi licentiam.

7. Τρία ἔτη) Nam ficus, quae frugiferae sunt, fructum longius non differunt. Qui haec ad tres annos, quibus Christus docuerit, referunt, parum attendere videntur, quod sequitur de anno expectando. Neque enim Deus post Christi triennium poenas Iudaeorum in unum, sed in quadraginta annos distulit. τὴν γῆν καταργεῖ) *otiosa occupat solum*, vel efficit sterile solum sua in parte. Nam καταργεῖν frequenter notat *inutile* et *otiosum* aliquid reddere vel relinquere.

8. Κύριε — ἔτος) *Domine, parce illi per hunc saltem annum.* Ἀφιέναι h. l. *superstitem relinquere, parcere.* ἕως ὅτου σκάψω περὶ αὐτὴν) *donec fodiam circa illam*, i. e. *eam ablaqueavero.* Philo de Charit. coniungit γυροῦν τε καὶ περισκάπτειν, quod proprium est verbum in ablaqueatione arborum. Fit autem, ne quid subolescat, quod arboris incremento noceat.

9. Κἂν μὲν ποιήσῃ καρπὸν) Supple: καλῶς ἔχει. *Siquidem fructum tulerit*, bene erit; remanebit scilicet, et conservabitur. Est oratio elliptica, qua forma Attici varie sunt usi, ut Thucydides L. III. καὶ εἰ μὲν συμ-

βῇ

βῇ ἡ πεῖρα, *ac siquidem successerit conatus.* Deest: ita scilicet res fuerit confecta. Non omnes huius parabolae partes sunt applicandae, nec quaerendum, quis sit dominus, ficus quid significet etc. Docetur hoc: Deum pro longanimitate sua ferre homines, nec illico eos punire, sed exspectare, an fortasse ad meliorem mentem redeant. Iis vero, qui non emendent vitam, eo graviores imminere poenas. Interim non quemlibet casum adversum habendum esse pro poena.

10. 11. Πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας) Sensus est: *quae morbo laborabat*, qui, qualis fuerit, statim describitur. Hebraei, Talmudistae nominatim et Rabbini, cuique fere rei, v. c. aquae, igni, aëri, bello, pesti, sanitati, morti etc. certos genios et spiritus, ceu totidem praesides, praefecerunt, quos רוחות appellant, quod ostendit *Wagenseilius* ad Sota. Morbos nominatim a *daemonibus* immitti, *Iosephus* et interpretes Iudaei ad Ps. XLI, 6. observant. Est igitur πνεῦμα ἀσθενείας nihil aliud nisi morbus, infirmitas. Quum infra aperte dicatur, a Satana immissum hoc malum, ita debet intelligi, quomodo πνεῦμα ἄλαλον dixit Marcus IX, 17. daemonium, quod loquendi facultatem impediret. ἦν συγκύπτουσα) Subintellige πρόσωπον vel ἑαυτήν. *Corpore erat incurvata*, ita ut *cernua* appareret, corpore ad pectus inclinato. καὶ μὴ — παντελές) Sensus est, aegrotam hanc quodammodo quidem, sed *non in totum, non penitus* caput et corpus erigere potuisse. Ἀνακύπτειν, *se erigere, caput et corpus attollere.* Εἰς τὸ παντελές) *prorsus, omnino, in totum.* Hoc malum saepe eos infestat, qui diu lumborum doloribus vexati sunt; unde fit ut musculorum fibrae illic contrahantur et rigidae fiant. Verisimile est, ab hac ipsa causa diuturnum

hunc mulieris morbum, non alia quam divina ope sanabilem, provenisse. Vid. *Mead medica sacra*, c. XII.

12. Ἰδὼν — ἀσθενείας σου) *Quam quidem Iesus arcessitam a morbo liberam esse iussit.* Προσεφώνησε, *ad se vocavit.* Ἀπολύειν, *liberare.* Morbis, ut morti, vincula tribuebantur, quibus constringerent homines. *Liberari his vinculis* dicuntur, qui liberantur morbo.

16. Ταύτην — σαββάτου;) *Hanc autem, quae genus ab Abrahamo ducit, non oportebat sabbati die liberari a vinculis, quibus eam malus genius per octodecim annos constrinxerat?* Adhibentur quidem verba *Ligandi* et *Solvendi*, ubi de *contractione* sermo est, etiam a profanis; *ligari* enim medicis membrum dicitur, quod *contrahitur; solvi* vero, quod a *contractione* liberatur. Sed h. l. eleganter opponuntur *solutio*, i. e. liberatio hominis a morbo, solutioni pecudis comm. 15. Nec contentus Iesus hominem pecudi opponere quod satis fuerat, adiicit filiam *Abrahami*, quod nomen apud illos in maximo fuit pretio.

18 — 21. Vid. Marc. IV, 31. sqq. et Matth. XIII, 31. sqq.

22. Καὶ διεπορεύετο — Ἱερουσαλήμ) *Peragravit singula oppida et vicos, iter Hierosolyma faciens.* Κατὰ πόλεις καὶ κώμας, *oppidatim et vicatim.* πορείαν ποιεῖσθαι etiam apud profanos idem est quod πορεύεσθαι. Par est credere, Iesum in iis locis docuisse.

23. Εἶπε — οἱ σωζόμενοι) *Interrogavit eum aliquis, num pauci felicitatem sint consecuturi?* Εἰ

i. e.

i. e. πότερον, *an? num?* Σώζεσθαι, *a malis liberari, felicitatem consequi*, h. l. ut saepe est *consequi felicitatem in regno Messiae.* De sola aeterna salute non cogitasse videtur interrogans, sed, ut tum omnes Iudaei, potissimum de felicitate in regno Messiae in his terris consequenda.

24. Ὁ δὲ εἶπε — θύρας) *Ille vero respondet illis: Summo studio regnum illud ingredi conamini per angustum aditum.* Solet Christus curiosas quaestiones sine responso directo reiicere, ut hic et Act I, 7. Cuique, inquit, summo studio enitendum esse, ut hanc felicitatem consequatur, non curiose quaerendum, utrum pauci vel multi sint consecuturi? Αὐτοῖς Iesus respondit, fortassis quia unus aliorum nomine, saltem aliis praesentibus, interrogaverat. Διὰ τῆς στενῆς θύρας, *per angustum aditum.* Cf. Matth. VII, 13. Pro πύλης, quod editiones habent, legendum est θύρας, quam lectionem exhibent codd. nonnulli et *Origenes.* Accedit, quod etiam v. 25. legitur τὴν θύραν. Vox πύλης ex Matthaeo huc translata esse videtur. Innuit Christus nonnisi virtutis studiosis patere aditum in regnum Messiae, et felicitatem illam praecipue in altera vita esse exspectandam, ut sequentia verba docent. Cf. etiam Matth. VII, 21. Verbo ἀγωνίζεσθαι summum in aliqua re perficienda studium denotatur, et proprie de pugnantibus dicitur. ὅτι πολλοὶ — ἰσχύσουσιν) *Multi enim intromitti desiderabunt, nec tamen poterunt.* Illud ζητήσουσιν εἰσελθεῖν, non potest esse: *operam dabunt ut consequantur felicitatem illam*; qui enim serio operam dat saluti suae aeternae, is certo eam accipiet. Ex illustratione huius propositionis (comm. 25. s.) facile intelligitur, eos qui ζητήσουσιν εἰσελθεῖν esse ho-

homines, qui in hac vita fuerunt flagitiosi, et nihilominus illo die extremi iudicii ad coelestia gaudia admitti postulabunt. Hi non poterunt intromitti, quia Dominus flagitiosos admittere nolet.

25. Ἀφ' οὗ — πόθεν ἐστέ) *Nam a quo tempore pater familias fores clauserit, vobis, si foris stantes pulsetis fores, easque vobis aperiri velitis, respondebit: non novi unde sitis.* Ἐγερθῇ redundat. Ἀποκλείειν τὴν θύραν est *occludere fores, addere pessulos.* Parabolice docet Iesus, multos in illo die exclusum iri a felicitate illa aeterna, quia in hac vita neglexerint ea, quae ad illam felicitatem ducunt. Tota parabola mores Orientalium spirat. Fingitur paterfamilias, hospitalitatis ita studiosus, ut etiam noctu, antequam cubitum eat, ex ostio prospiciat, an forte hospites sint adventuri, qui vero, ostio semel clauso, neminem amplius intromittat. Huic comparatur Christus. Ἄρξησθε est pleonasmus. Quemadmodum paterfamilias a convivio excludit hospites, nisi in tempore advenerint, ita Christus eos, qui virtutis studium in hac vita neglexerint, in illo die excludet a coelestis gaudii participatione.

26. Ἐφάγομεν ἐνώπιόν σου, καὶ ἐπίομεν) i. e. admodum familiariter tecum viximus; nam φαγεῖν ἐνώπιον τινὸς dicuntur, qui una cum eo cibum sumunt, ut infra c. XXIV, 43. Popularis loquendi modus. Qui enim evanidam et intermortuam vident sui memoriam, antiquae familiaritatis nota aliqua eam suscitare experiuntur. Praecipue autem labenti aliorum memoriae quasi fulcrum supponi solet unius eiusdemque mensae communionis commemoratio. Καὶ ἐν — ἐδίδαξας) Πλατείαι omnino sunt loca publica, in quibus multitudo solebat institui. Pro-

prior

prior est in his verbis ad Messiam respectus, aeque ac XIV, 23.

28. — 30. Vid. Matth. VIII, 11. XX, 16.

31. Προσῆλθόν τινες Φαρισαῖοι) Qui in Galilaea aut Peraea vivebant; nam eo pertinet, quod dicunt ἐντεῦθεν, neque etiam extra eas regiones ius ullum erat Herodi. ὅτι Ἡρῴδης θέλει σε ἀποκτεῖναι) Ex responso Christi datur intelligi, non sponte venisse hos Pharisaeos, neque proprio consilio, sed instinctu Herodis Antipae, qui metuens, ne populos ob interemtum Ioannem ipsi iratus, res novas moliretur, Pharisaeis, Iesu inimicis, usus est; ideo Herodi responsum nuntiari iubet Christus. Videtur autem pro vafritie sua hoc fecisse Herodes, ut quem interimere metuebat, ne populum denuo offenderet, eundem tamen iniecto metu arceret finibus suis.

32. Τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, *homini illi astuto.* Proverbii figura sic vocat *fraudulentum insidiatorem*, sicut dicitur homo homini lupus, et similia. Accurate ingenium Herodis depingitur: Hic enim, ut plerique eius temporis principes et praesides, mores ad exemplum Tiberii imperatoris, qui nullam ex virtutibus suis magis quam dissimulationem diligebat, composuit. Tunc autem erat annosa vulpes, quum iam XXX annos principatum gessisset, et diversissimas personas egisset; personam servi apud Tiberium, domini apud Galilaeos, amici Seiano, Artabano, fratribus suis Archelao, Philippo, Herodi alteri, quorum studia erant diversissima et inter se et a studiis Herodis ipsius. ἐκβάλλω δαιμόνια —αὔριον) Nihil ago, quod in crimen vocari debeat; noceo nemini; regionem ipsius morbis et daemoniis purgo;

purgo; quid ergo est, quod mortem mihi minatur? Σήμερον καὶ αὔριον, i. e. *breve tempus*. καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι) *Et paullo post finiam*. Τῇ τρίτῃ, sc. ἡμέρᾳ, per σχέσιν Atticam, *paullo post*, ut Hos. VI, 2. Τελειοῦμαι nonnullis est futurum medium contractum, quod vim futuri passivi habeat, ut sermo sit de fine vitae, quo sensu apud Graecos Patres est pro: martyrio consummari; et Hesychio τελείος· ἡμέρα est ἡ ὑστάτη, καὶ τὸν βίον τελειῶσα. Sed τελειοῦμαι h. l. significatione media est; *Finiam*, sc. negotia mea in Herodis terra.

33. Πλὴν δεῖ = πορεύεσθαι) *Veruntamen hodie, et cras, et perendie me hinc salvum proficisci oportet*. Post αὔριον addunt ἐργάζεσθαι versio Syr. Arab. et Pers. Tunc sensus erit: *Oportet me breve tempus operari, et paullo post abire*, i. e. migrare e vita. Hoc sensu voc. πορεύομαι occurrit c. XXII, 22. et הָלַךְ Ps. XXXIX, 14. Alii retinent vulgarem significationem voc. πορεύομαι: *ambulare*, *proficisci*, interpretantur eam ex Hebraismo: *negotia sua gerere* (ut Lev. XXVI, 23. Ier. XXXII, 23.) et vertunt: *Attamen per breve hoc tempus* (σήμερον, αὔριον, τῇ ἐχομένῃ) *negotia mea* securus in hac regione *geram*, me non interficiet Herodes. At vero, quum Pharisaei dixissent: πορεύου, Iesus autem v. 32. sqq. illis responsum redderet; nihil impedire videtur, quominus πορεύεσθαι sine Hebraismo interpretemur: *discedere*, *abire*; ut adeo Christus simpliciter dicat: Veruntamen me oportet discedere (πορεύεσθαι ἐντεῦθεν, cf. v. 31.), nec vero Herodis timore perterritus, sed quia fieri non solet, ut propheta extra Hierosolyma trucidetur. Τῇ ἐχομένῃ, sc. ἡμέρᾳ, *perendie*. Sic 2 Macc. 1. pro τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ absolute τῇ ἐχομένῃ scriptum est. Chris-

tus,

tus, quum haec loqueretur, in Peraea, fuisse videtur, Matth. XIX, 1. et Marc. X, 1. οὐκ ἐνδέχεται) *Non licet, non convenit, fieri non potest*, non usu venit, vel contingit. Subintelligitur χρῆμα, ut sit, χρῆμα ἐνδέχεται, res vel usus admittit, capit. Nihil poterat acrius dici in Hierosolymitanum synedrium. Sanctum illud tribunal thronus est omnis iniustitiae; venerandi illi iudices insontem damnant, non secus ac si officium facerent, atque ad id essent constituti.

34. Vid. Matth. XXIII, 37. sqq. Sed ea, quae Lucas hic refert, alio tempore et loco dicta sunt, non in templo Hierosolymitano, ut patet ex v. 35.

35. Ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν) *Respublica vestra evertetur.* Hic non intelligi potest templum; Iesus enim in itinere erat constitutus, quum haec diceret. Est igitur *domus* h. l. *commoratio.* Vestra commoratio, inquit Christus, deseretur et vacua stabit. Intelligitur autem *respublica Iudaica.* Ἔρημος deest in optimis codd. et versionibus nonnullis. οὐ μή με ἴδητε — κυρίου) *Non me videbitis usque ad illud tempus, quo dicatis: celebrandus est, iussu Dei veniens.* Intelligit tempus, quo solemni modo Hierosolyma ingressus est. Erat tum tempus Paschale, quo omnes Iudaei Hierosolyma proficiscebantur. Ergo rursus videbant Iesum, et acclamabant ei, ingressuro in urbem: *Hosianna* etc.

CAP. XIV.

1. Καὶ ἐγένετο — ἄρτον) *Quum aliquando in domum cuiusdam assessoris Synedrii, e Pharisaeorum numero venisset Sabbati die epulaturus.* Nonnulli ἄρχοντα τῶν Φαρισαίων interpretantur *Pharisaeorum principem*, i. e. primarium, qui potius πρῶτος Φαρισαίων diceretur, quam ἄρχων. Formula ἄρτον φαγεῖν ex hebraea formula אכול לחם efficta, non significat *panem comedere.*

dere, sed *coenare*, *cibum*, esculenta et potulenta *capere*. Gen. XXIV, 54. 1. Sam. XXX, 16. XI, 13. et aliis locis. Solebant autem Iudaei dies festos et sabbata hilariter peragere, atque conviviis institutis celebrare. *Plutarch.* Sympos. L. IV. quaest. 5 inter Iudaeorum et Bacchi festa comparationem instituit. Cf. Nehem. VIII, 10. Tob. II, 1. *Wetstenius* et *Lightfootus* in hor. Hebr. ad h l. καὶ αὐτοὶ ἦσαν παρατηροῦμενοι αὐτὸν) *et illi* (qui eidem convivio intererant, Pharisaei et legisperiti) *observabant eum*. Observabant autem, num quid facturus esset alienum a ritibus ad sabbatum pertinentibus, quos magistrorum auctoritas et usus introduxerat.

2. Ὑδρωπικὸς) *Hydrope laborans*, i. e. humoris crudi abundante et sese effundente copia, quam aquam intercutem Latini vocant, Graeci ὕδρωπα et ὕδερον, et hoc morbo laborantes ὑδρωπιῶντας et ὑδερῶντας. Verisimile est, hominem hydropicum invitatum fuisse ab ipso assessore Synedrii, idque ab eo factum eo consilio, ut Iesu insidias strueret, experturo an Iesus die Sabbati hominem sanaturus esset.

3. Εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν;) Iuris controversi quaestionem proponit, sicut inter ipsos fieri consueverat. Receptior sententia erat, non licere sabbato facere medicinam, nisi mortis periculum ex dilatione immineret.

4. Οἱ δὲ ἡσύχασαν) *quievere*, i. e. *siluerunt*, vel ex malitia, vel quia facile praevidebant, se in disputatione cum tali doctore inferiores discessuros esse. ἐπιλαβόμενος) *attrectans* eum. Ἀπέλυσε *dimisit*. Ita ἀπολύειν legitur Matth. XV, 23.

5. Καὶ οὐκ — σαββάτου;) i. e. καὶπερ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου. Facit procul dubio, inquit, posthabito Sabbati respectu. Cf. Matth. XII, 11. ubi extat vocabulum βόθυνος, et utroque significatur *cisterna*, fovea, quae aquis recipiendis inservit. Si bestiis adeo festinam curam impendere permissum, quanto minus periclitantibus hominibus est subtrahenda?

7. Ἔλεγε — παραβολήν) *Praeposuit convivis hanc sententiam.* Παραβολήν appellat sequentem admonitionem, quia exemplo rei convivalis ostendit, quid in omni vita, neque coram hominibus tantum, sed et coram Deo nobis sit faciendum. Maluit Dominus oblique in convivio admonere convivas, quam coenam aperta obiurgatione insuavem reddere. Ἐπέχων — ἐξελέγοντο) *Animadvertens eos sibi primas sedes eligere.* Ἐπέχειν sc. τὸν νοῦν, *animadvertere*, vel τοὺς ὀφθαλμούς, *videre;* utrumque enim vocabulum cum verbo ἐπέχειν coniungi solet. Vid. Wetsten. ad h. l.

8. 9. Ὅταν — κατέχειν) *A quoquam invitatus ad convivium, noli accumbere in prima sede, ne si forte ab hospite invitatus fuerit te nobilior, is, qui te et illum invitavit, iubeat te huic cedere locum, atque tum non sine pudore ultimum obtineas locum.* Γάμοι h. l. generatim *convivium solenne* indicat, ut Matth. XXII, 2. ἄρξῃ redundat. Τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν, *ultimum locum occupare.* Μετ' αἰσχύνης dixit, respiciens ingenia quamplurimorum hominum, qui non minimam suam putant in ea re existimationem agi, quum reipsa tamen illius subsit detrimentum nullum. Vana autem istis temporibus inter Iudaeos obtinuisse circa loci praerogativam studia, praeter alia probant loca Matth XX, 21. XXIII, 6.

11. Vid. notata ad Matth. XXIII, 12.

12 Ὅταν ποιῇς — πλουσίους) Ἄριστον et δεῖπνον hic discernuntur Illud est *prandium*, cui pauperes etiam intersunt; hoc autem est *coena*, cuius cibi sunt lautiores. Vox πλουσίους referenda est ad omnia ea, quae praecesserunt, φίλους, ἀδελφοὺς, συγγενεῖς, γείτονας. Μὴ φώνει κ. τ. λ. *non potissimum invita* etc. Intelligendus est enim hic locus, ut alii multi, per comparationem, ut Matth. IX, 13. 1. Sam. XV, 22. Hos. VI, 6. Non igitur prohibet *Christus* mutua inter divites amicitiae testimonia; sed opera misericordiae multo praefert, ut quae sine spe humanae vicis Dei causa praestantur. μήποτε) i. e. ne, si hoc facere contenti sitis, merces vestra hic vobis sit persoluta.

13. Κάλει πτωχοὺς, ἀναπήρους) Πτωχοὺς ad sequentia omnia referendum est, sive illi mutili sive claudi, sive coeci, a quibus, ut mali ominis hominibus, multi abhorrent. Ἀνάπηροι, *mutili*, *manci*, qui aliqua corporis parte laesi, vel proprio membrorum quorundam usu destituti sunt, e. g. claudi, coeci, surdi etc. Sensus v. 12. 13. est: *Non solum invita amicos divites, consanguinitatis, familiaritatis, societatis vinculis tibi coniunctos, qui par pari referre possunt, et referent*: (qui enim hoc facit, is magis suum quam aliorum commodum, magis suam quam alienam voluptatem quaerit; nihil facit laude dignum;) *sed etiam, et multo magis egenos* etc. Sic enim re ipsa ostendes animum benevolum, liberalem. Ceterum haec Iesu exhortatio nihil habebit offensionis, si cogitemus sermonem esse de epulis *religiosis* apud Iudaeos valde usitatis, multum diversis a nostris convi viis. Lege enim Mosaica praeceptum erat, ut divites certis temporibus et occasionibus egenos ad epulas invitarent. Deut. XXVI, 12. 13. XII, 5 — 12. Vid.

Mi-

Michaelis Mosaisches Recht, Tom. IV, §. 195. p. 119. 128. 129. Ergo hoc Iesu praeceptum sensu stricto non pertinet ad omnes Christianos. Hoc unum spectandum est: *Praestat benefacere egenis, quam convivari cum amicis, a quibus paria expectes.*

14. Ἀνταποδοθήσεται — τῶν δικαίων) *Praemia consecuturus es tempore reditus proborum in vitam.* Non tempus tantum, sed et modus retributionis significatur. Ἀνάστασις δικαίων est ἀνάστασις ζωῆς Io. V, 24. cui opponitur ἀνάστασις κρίσεως.

15. Μακάριος ὃς φάγεται — τοῦ θεοῦ) *Beatus, qui divini regni epulis interierit*; quod alibi sic exprimitur: cum Abrahamo, Isaaco et Iacobo mensae accumbere. Sententia crebra apud Rabbinos, ab *Esdrae*, ut credibile est, temporibus veniens. Iudaei feliciora illa tempora regni Messiani, et omnino felicitatem summam convivii imagine depingere solebant. Convivia autem ille utique de regno Messiae terreno cogitabat. Iesus igitur hanc Iudaeorum loquendi consuetudinem retinens, ab his verbis occasionem arripit, reprehendendi Iudaeorum morositatem et stultitiam, qui invitati ad felicitatem cultoribus Dei et Messiae veris promissam, terrestria coelestibus praeferebant, et beneficia oblata respuebant. Simul docet Iesus, hanc felicitatem non tantum Iudaeis, sed omnibus aliis nationibus esse paratam atque destinatam.

16. 17. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ) Consilium huius parabolae cui similis extat Matth. XXII, 1. sqq. patet ex comm. praecedenti 15. Ἄνθρωπός τις ποιεῖ δεῖπνον πολλούς). *Quidam instruens lautas epulas, invitaverat multos.* Δεῖπνον, *convivium*, *epulum*, et quidem μέγα, *lautius atque solennius.* Sic vocatur et propter invitatorum multitudinem,

dinem, et propter ciborum copiam atque praestantiam. Formula ποιεῖν δεῖπνον respondet Hebroeorum עֲשׂוֹת מִשְׁתֶּה Gen. XXIX, 22. ubi Alexandrini vertunt ποιεῖν γάμον. — 17. τῇ ὥρᾳ κ. τ. λ. Vocati iterum appellabantur sub ipsam horam coenae. Cf. *das alte und neue Morgenl.*, B. 5. p. 192.

18. Ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι) *Et omnes coeperunt uno ore*, (vel animo) *se excusare*. Ἀπὸ μιᾶς sc. φωνῆς, vel γνώμης, sive ἀπὸ μιᾶς παραιτήσεως, pariter coeperunt se excusare. Παραιτεῖσθαι notat vel *recusare* sc. δεῖπνων, vel *sese excusare*, *veniam petere*. Variis quidem modis excusarunt se, in eo tamen omnes quasi de compacto convenere, ut se excusatum irent. ἀγρὸν ἠγόρασα) *Agrum emi*, sed sub conditione, si talem reperero, qualis esse dicitur. Sed alii, et fortasse rectius, vertunt: *Emere volo*. Nam verba saepius simpliciter ab Hebraeis, Graecis et Latinis ita ponuntur, ut omissum sit *velle*. Matth. XXVI, 25. Deinde vero etiam aoristus saepe habet vim futuri. Cf. *Glassius*, Philol. S. pag. 305. sqq. edit. *Dath.* ἀγρὸς, *ager*, vel *praedium*, *villa*, ut c. XV, ἀνάγκην ἔχω i. e. ἀναγκαῖον ἐστι, *necesse est*. ἔχε με παρητημένον) *Habe me excusatum*, s. *habe me eum*, *qui invitationem ad coenam deprecatus est*. Latinismus.

19. 20. Ζεύγη — πέντε) *Quinque iuga boum emturus sum*. ζεῦγος, *iugum*, *par*. Cf. Luc. II, 24. Γυναῖκα ἔγημα) *uxorem ducere mihi proposui* Οὐ δύναμαι ἐλθεῖν) Idem dicit, quod alii, sed rusticius. Ita eorum, qui sermonem salutis respuunt, alii videri volunt aliis comiores.

21.

21. Εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας) *In latiores et angustiores vias* (urbis). Mam πλατεῖα sc. ὁδὸς est *platea, via latior*, hebr. רְחוֹב, cui opponitur ῥύμη, *angiportus, via angustior.* Ἀναπήρους, *mutilos.* Cf. supra v. 13. Pharisaei et scribae et alii honoratioris conditionis homines contemnebant invitationem ad felicitatem, quam Deus per Messiam offerebat. Invitati sunt igitur contemtae sortis, piscatores, publicani, imo et feminae vitae antea impurioris. Intelligendum autem ἐπὶ τὸ πολύ, non quod omnes Iudaeorum, qui in Christum crediderunt, tales fuerint, sed plerique, aut ob rude ingenium, aut ob vitam priorem despecti.

23. Εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμούς) *ad vias et sepes*, sc. extra urbem, (ad populos extraneos.) Ὁδοί, *viae publicae.* Φραγμός, *sepes, sepimentum*, quo ager, hortus, vinea cingitur. ἀνάγκασον εἰσελθεῖν) Ἀναγκάζειν ex usu optimi cuiusque scriptoris, saepe est, *verbis alicui aliquid persuadere, rationibus aliquem permovere.* Sic *Ioseph.* Antiquitt. L. VI, c. 54. §. 3. de Saulo, apud mulierem illam ventril quam commorante, μόλις ἑαυτοῦ γενάμενον, συνηνάγκασεν ἡ γυνὴ γεύσασθαι. *Quum aegre ad se rediisset, mulier multis verbis eum permovit, ut cibum sumeret.* Sic paulo post in eadem re est ἐβιάσατο, quod quomodo una cum τῷ συναναγκάζειν intelligendum sit, ipse Iosephus docet, quum, explicandi causa, addidit συνέπεισεν.

24. Λέγω — δείπνου) Haec non esse videntur *patrisfamilias*, sed *Christi* verba. Nam paterfamilias in hac omni parabola alloquitur servum; quodsi igitur haec eius verba essent, dixisset: λέγω σοι. Ergo ὑμῖν referendum est ad Pharisaeos et reliquos, quibus Iesus

hanc

hanc parabolam proposuerat. Sensus: Nemo qui ita animatus est, ut erant illi primum invitati, meis epulis intererit, i. e. felicitatis in regno meo particeps erit.

25. Ὄχλοι πολλοί) Mali bonis permixti, ut in grandi turba fieri solet, quod occasionem sequenti sermoni praebuit. Vide notata ad Matth. X, 37.

26. Εἴ τις ἔρχεται πρός με) Discendi causa: *Si quis voluerit me sectari.* Iudaei proselytis proponebant incommoda, quae legem comitantur: Christus se sectantibus multo maiora. καὶ οὐ μισεῖ) μισεῖν, ut Hebraeorum שָׂנֵא h. l. est ἀμελεῖν, *minoris aestimare, minus amare, postponere*; nam in Matthaeo est: ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμέ, c. X. 37. Et res ipsa docet, ita esse intelligendum: nam parentes odisse impium est; semetipsum, impossibile. Ad comma 27. cf. Matth. X, 38.

28. Τίς γὰρ — οἰκοδομῆσαι) *Quis vestrum palatium exstructurus.* Πύργος, *turris*; *quodvis aedificium magnificum.* In hac comparatione, e quotidiano vitae usu depromta, ut in multis aliis, non sunt resecandae partes singulae, quae ad comparationis ὑποτύπωσιν ornatumque pertinent; sed id spectandum, quo tendat comparatio. Sensus vero huius loci est hic: Qui me profiteri et in numero discipulorum meorum esse cupit, ei bene expendenda sunt incommoda et pericula, quae me meosque comitantur. ψηφίζει — ἀπαρτισμόν;) *Rationes init sumtuum, an habeat quae ad perficiendum* opus *satis sint.* ψηφίζει, *rationes subducit sumtuum*; quod λογίζεσθαι dixere: ψηφίζειν autem, quod olim calculis seu lapillis rationes explicarentur; unde et de summae definitione verbo θέσθαι et *ponere* sunt

sunt usi. τὰ εἰς ἀπαρτισμόν) Subaudi ἀναγκαῖα, ἀνήκοντα, aut quid simile. Est autem ἀπαρτισμὸς, *omnium partium iusta absolutio, nihil ut desit. Complementum, quum numeri omnes iuste complentur.*

31. Ἢ τις — ἐπ' αὐτὸν) *Aut quisnam rex alii regi bellum illaturus, non prius deliberat, utrum cum decem millibus occurrere possit hosti, cum viginti millibus hominum ipsum adorienti?* Πορευόμενος συμβαλεῖν ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον, *Proficiscens, ut committat proelium adversus alium regem.* Quum saepissime apud profanos occurrat συμβαλεῖν εἰς μάχην, non dubitandum est, recte etiam dici συμβαλεῖν εἰς πόλεμον, praesertim quum πόλεμος saepe idem sit, quod μάχη. Et ubi συμβαλεῖν nude pro *profligere* positum occurrit, ubique εἰς μάχην, vel πόλεμον subaudiendum videtur. οὐχὶ — βουλεύεται) Καθίζειν, dicitur de eo, qui vel secum, vel cum aliis consultat. Βουλεύομαι, *cogito, consulto.* ἐρχομένῳ ἐπ' αὐτόν) *Illum invadere volenti, expeditionem contra illum facienti.* Ἐπὶ, *contra.*

33. Οὕτως — μαθητής) *Ita, qui non renuncia-verit omnibus quae ipsius sunt, non potest esse meus discipulus*, i. e. non potest implere officium discipuli. Vox πᾶσι h. l. neutraliter accipienda est, ita tamen ut emphasis non in voce ὑπάρχουσιν, quae pro οὖσι posita est, sed in verbis: τοῖς ἑαυτοῦ lateat, et *ea quae ipsius sunt*, tam de cognatis et amicis, quam reliquis bonis et vitae commodis, imo ipsa hominis vita accipiantur. Verbum ἀποτάσσεσθαι occurrit apud Iosephum, Philonem, et alios castigatae dictionis scriptores, sicut συντάξασθαι, *valedicere*, apud Charit. II, 1. συντεταξάμενος ἀπῆλθεν εἰς ἀγρόν. Sensu translato, ut *valedicere*

Latinorum i. e. *negligere*, *contemnere*, *renuntiare*, *abdicare*, *pro derelictis habere*, saepius utitur Philo; e. g. Lib. II. Alleg. τί δὲ αἰσθήσει μὲν ἀποτάξασθαι, λόγῳ δὲ ὑποστεῖλαι τὸ γεγονός; *quid proderat sensui renuntiare, et rationi sese submittere?* Non actus hic designatur, sed affectus animi, isthaec omnia infra Christum ducentis, et parati ea amittere, si salva pietate retineri nequeant. Cf. 1 Cor. VII, 29. 30. Ergo hoc vult Christus docere parabolis v. 28 — 32. probatis: Quemadmodum is, qui inchoat aedificium, sumtus antea computat, an possit absolvere illud; quemadmodum rex, qui bellum parat adversus alium regem, numerat exercitum etc.; sic etiam is, qui vult me sectari, deliberet ante, possitne deserere familiam et opes; sitne animo tam bene composito, ut religionem ceteris omnibus praeferat etc.

34. Καλὸν τὸ ἅλας) Adagium hoc saepiuscule Christus usurpavit, ut et alia huius seculi. Cf. Matth. V, 13. Sensus est: Sal, dum salis naturam retinet, optimum est; idem si naturam suam exuat, peius gleba et fimo. Ita Christi disciplinam sectanti et profitenti nihil excellentius, si vita respondeat; nihil peius, nihil nocentius, si nomini vis absit, quod accidere necesse est aliud agentibus.

35. Οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν) i. e. neque per se fructus profert, neque alteri ad fructum prodest, adfert potius sterilitatem. Tales sunt omnes mendosae vitae, qui tamen Christi discipuli volunt appellari, et sibi et aliis inutiles.

CAP. XV.

1. Ἦσαν — ἀκούειν αὐτοῦ) *Accesserunt autem ad eum omnes portitores, facinorosi homines, eius doctri-*

trinae audiendae causa. Ἦσαν ἐγγίζοντες, pro ἤγγισαν. De portitoribus vid. Matth. V, 46. Cf. Fischeri Proluss. p. 22. In qua urbe id, quod hic narratur, acciderit, ignoramus.

2. Διεγόγγυζον) *Obmurmurabant*, eumque reprehendebant. Nam dedecori ducebant doctori, assidere homine plebeio vel famoso in convivio, et cum eo familiariter vivere. Cf. *Schoettgenii* hor. heb. T. I. p. 93. 251. Οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται) *Hic flagitiosi hominibus delectatur; gaudet consuetudine flagitiosorum.* Sic Maleach. I, 8. εἰ προσδέξεταί σε; *num te probabit?* Vide etiam Ies. XLII, 1. coll. Matth. XII, 13. Hesychius: προσδέχεται, προσποιεῖται, *Suos reddit.*

3. Τὴν παραβολὴν ταύτην) Est eadem fabella Matth. XVIII, 11. sqq. sed fine paulo diverso proposita; ibi, ne in cursu ad pietatem offendamus eos, quos Deus tantopere vult servatos: hic, ne eos crudeliter aversemur, quorum Deus miseretur.

4. Τίς ἄνθρωπος — εὕρῃ αὐτό;) *Si quis vestrum centum habet oves, et unam earum perdidit, nonne* etc. Τίς pro ἐάν τις, ut Matth. VII, 9, Ἄνθρωπος redundat. Ἔρημος, vid. Matth. III, 1. Τό ἀπολωλὸς, i. e. τὸ πλανώμενον. Non enim ovem penitus amissam intelligi, ex eo patet, quod sequitur: ἕως εὕρῃ αὐτό. Τὸ ἐπὶ hic notat causam, quam finalem dialectici vocant.

7. Ἢ ἐπὶ ἐννενηκονταεννέα δικαίοις) Ante ἢ ἐπὶ subintelligitur vocula μᾶλλον. Δίκαιοι h l. sunt *homines emendati, flagitiis abstinentes.* Hoc igitur dicitur: Gaudium existere in coelo ob unius peccatoris conversionem, magis quam ob XCIX illos iustos, quibus scilicet non est opus de toto vitae genere migrare. Δικαίους Deo placere non negatur, dicitur autem maius gaudium

fore de eo, qui ad meliorem frugem se recepit, ἀνθρωποπαθῶς, quia insperata, ut prope desperata magis nos afficiunt. Est in his implicata argumentatiuncula a maiore: Si in coelis datur occasio gaudii, convertente se peccatore, quo magis in terris id fieri par est, atque decet?

11. Alio exemplo e vita humana ducto probat Christus, recte facere eos, qui homines improbos, ad frugem redeuntes, benevole excipiunt, adeoque cum illis comedunt. Inprimis autem insignem clementiam Dei, maximis peccatoribus condonantis laudat et commendat.

12. Δός — οὐσίας) *Da mihi ratam partem patrimonii.* ἐπιβάλλον μέρος, *quod mihi continget*, cf. Deut. XXI, 16. *Michaelis Mos. Recht*, §. 79. *Herodot.* IV, 115. ἀπολαχόντες τῶν κτημάτων τὸ ἐπιβάλλον *suam quisque partem de bonis sortitus.* οὐσία, Latinis *bona*, res familiaris et facultates, quae mox etiam βίου nomine indicantur. διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον) Ratione inita partitionem fecit patrimonii, ita tamen, ut reservaret sibi fundos, agros, domum, servos; cf. v. 19. 29. 31. Maior filius partem suam non separans, mansit in familia paterna de paterno vivens, v. 31.

13. Συναγαγὼν ἅπαντα) *Quum omnia collegisset*, sc. vino, frumento, pecudibus, reliquisque quae a patre suo acceperat, in pecuniam versis. ἀπεδήμησεν — μακρὰν) *Peregre profectus est in regionem longinquam.* Μακρὰν hic non ponitur adverbialiter, ut nonnulli putant; nam adiectivum μακρὸς iam per se est *dissitus, longe remotus.* In re significata ἀποδημεῖν εἰς χώραν μακρὰν est longe a Dei cultu et virtutis via recedere. ζῶν ἀσώτως) *Perdite vivens* est, qui sua culpa in perniciem ruit,

ruit, ita tamen, ut ἄσωτος ille κατ' ἐξοχήν vocetur, qui incontinenter vivit et prodigialiter.

14. Δαπανήσαντος — ὑστερεῖσθαι) *Quum autem omnia consumsisset, orta est per illam regionem magna fames, et ipse coepit inopia laborare.* Δαπανᾶν *sumtus facere*, et sensu malo i. q. διασκορπίζειν: *dilapidare, abligurire bona.* Ἰσχυρὸς, *validus*, h. l. *vehemens, magnus.* Quae hic dicuntur de fame, de domino, porcis, siliquis, omnia eo pertinent, ut nobis describant miseriam eorum, qui vitiis serviunt.

15. Ἐκολλήθη) *Adhaesit, applicuit se*, ut solent nempe, quibus nullum vitae subsidium relictum. Ἀγροὶ, h. l. *villa, quae est in agris, praedium rusticanum.*

16. Ἀπὸ τῶν κερατίων) De *siliquis*; nam κεράτιον est siliqua, i. e. fructus arboris, quem Hebraei חָרוּב, Iudaei hodierni *Bockshorn*, nos *Iohannis-Brod* vocamus, egenorum victus, eorumque quibus vel vilissima quaeque non suppetunt. Auctores, significationem huius vocis illustrantes, citat *Moldenhauerus* in additamentis ad hunc locum. Cf. *Wolfii* curas ad h. l., *Pauli* Comment. et *das alte und neue Morgenl.* P. V. p. 198. sq. Καὶ οὐδεὶς ἐδίδου) Nihil quidem vetat, ἐδίδου absolute sumi, ut sensus sit: *neque enim quisquam ei dederat* (victum.) In Colloquiis graecis: ἤτησα, καὶ οὐδεὶς μοι δέδωκεν. *Siliquas* ipse sibi sumere poterat; sed frustum panis quod ederet, nemo ei dederat. Sed magis convenire videtur, ἐδίδου referri ad τῶν κερατίων. Nam praecedit: ἐπεθύμει γεμίσαι, et sequitur v. 17· λιμῷ ἀπόλλυμαι, ut igitur appareat, subulcum de siliquis, porcorum victu, tam parum accepisse, ut non posset

γεμί-

γεμίζειν τὴν κοιλίαν, i. e. *se satiare*; sed ut fame torqueretur. Quum enim tota provincia acriter egeret, multi homines ad famem depellendam siliquis utebantur, ut adeo huius quoque parvi existimati cibi copia admodum minueretur. Verbis igitur οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ subaudiendum est: τοσοῦτον τῶν κερατίων, ut posset γεμίζειν τ. κοιλ.

17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθών) *Ad se redire* etiam Latinis dicitur, qui ad bonam mentem redit. Phrases huius generis de iis proprie adhibentur, qui animi deliquium passi ad se redeunt et rerum extra se denuo fiunt conscii; transferuntur autem ad animum. Qui nempe ad actiones suas parum attendens in diem vivit, *extra se* esse dicitur; contra *apud se* esse, qui accuratius res in animo perpendit, qui agit, ut hominem sanae mentis, et qui res rite perpendit, decet. Vide *Kypke* ad h. l.

18. Ἐρῶ αὐτῷ· πάτερ, ἥμαρτον) Non in aetatem, non in malos consultores culpam reiicit, sed nudam parat sine excusatione confessionem. εἰς τὸν οὐρανὸν) *in Deum*; nam ex oppositione subiuncta in verbis: καὶ ἐνώπιόν σου satis intelligitur, nomine τοῦ οὐρανοῦ *Deum* hic indigitari. Ortum suum phrasis ista habet a Chaldaeo idiomate, ceu patet ex Dan. IV. 23. דִּי שַׁלִּיטִין שְׁמַיָּא. Est autem in hac voce sic usurpata metonymia, vel subiecti, vel continentis pro contento, ut *coelum* significet *eam potestatem, quae in coelo maxime relucet*, aut quae *coelos habitat*. καὶ ἐνώπιόν σου) *Et adversus te*, vel *te iudice*. Videtur et haec phrasis formata iuxta Hebraeam illam: חָטָא לִפְנֵי פְלוֹנִי *peccare coram aliquo*: pro quo Graeci alias dicere solent: ἁμαρτάνειν εἴς τινα, περί τινα, πρός τινα.

19.

19. Ποίησον — μισθίων σου) *Tracta me, ut unum mercenariorum tuorum.* Nam ποιεῖν non tantum cum dativo, sed et cum accusativo significat *tractare.* Sensus est, se nihil eximium aut praeclarum a patre vel petere vel exspectare, sed contemtum fore, si eadem illum cum mercenario sorte esse iuberet. Recte qui bona adhuc iuvenis dilapidaverat, mercenarii nomen adsciscit.

20. Εἶδεν — ἐσπλαγχνίσθη) i. e. *agnovit eum pater et misericordia motus est.* Verbum εἶδεν non actum tantum videndi, sed et agnoscendi celeritatem exprimit. Quintilianus in Declamationibus: *Parentum affectus nunquam in tantum vincuntur odio, ut non ad naturam suam revertantur.* δραμών) Festinatio patris, in amplexus filii ruentis, opponitur tarditati et cunctationi maioris filii. Inter omnes Christi parabolas haec sane eximia est, plena affectuum, et pulcherrimis picta coloribus. ἐπέπεσεν — τράχηλον) ut Gen. XLV, 14. Tob. XI, 9.

22. Τὴν στολὴν τὴν πρώτην) *Stolam illam praecipuam;* nam ad excellentiam, non ad tempus trahenda est vox πρώτη, quomodo et Syrus accepit. Erat autem toga vestimenti genus ingenuis proprium, non servis. Vid. *Octav. Ferrarium de re vestiaria* Lib. III, c. 24. unde et servi manumissi *stola et toga* donabantur, ut apud *Quintilianum* Declamat. 347. δακτύλιον) apud Orientis populos dignitatis eximiae signum, Gen. XLI. 22. aut etiam opulentiae, Iac. II, 2. Intelligendus autem hic annulus *aureus*; talis enim erat ingenuorum, teste *Appiano* de Bello Punico, quum vicissim servi *ferreo* uterentur, auctore *Apuleio* Metamorph. X.

Καὶ

Καὶ ὑποδήματα εἰς τοὺς πόδας) Calceis carebant servi, teste *Servio* ad Virgil. Aeneid. I. 286. Omnia eo spectant, ut significetur, *filio, qui se abiecerat ad sortem mercenariorum, pristinam filii dignitatem a patre esse restitutam.* Applicatio est facilis. Deus nimirum peccatorem ad frugem redeuntem, ita in gratiam recipit, ut eum filii loco habeat. Neque sunt premendae singulae similitudinis partes, ut quaeratur quid significent *toga, annulus, calcei.*

23. Καὶ ἐνέγκαντες — θύσατε) *Et vitulum illum saginatum mactate.* Θύειν h. l. non est *sacrificare*, ut nonnulli volunt, sed *mactare.* Nam ex contextu patet, omnem illam mactationem eo spectasse, ut pater cum domesticis hilarem sumeret diem. Hinc ipse cum θύσατε statim coniungit: καὶ φάγοντες εὐφρανθῶμεν, *edamus et genio indulgeamus*, laetitia fruamur, vel potius: *ut laeti epulemur.* Nam verbum εὐφραίνεσθαι ad imitationem hebraici שָׂמַח significat etiam *epulari*, e. g. Deut. XIV, 26. XXVII, 5. ubi LXX. habent εὐφραίνεσθαι. Vulg. *epulari.* Grammatici etiam veteres et glossographi verbum εὐωχεῖσθαι verbo εὐφραίνεσθαι interpretati sunt. Vid. *Fischeri* Proluss. p. 579. sqq.

24. Οὗτος — εὑρέθη) *Hic filius meus mortuus erat, sed revixit; perierat, sed inventus est.* τέθνηκεν vel νεκρὸς ἦν apud profanos saepius est: *mortuus credebatur*, ut apud Achill. Tatium L. VII. μὴ γὰρ οὐ πολλάκις τέθνηκεν; μὴ γὰρ οὐ πολλάκις ἀνεβίω; *nonne saepius illam mortuam esse putasti? nonne saepius iterum eam vivere comperisti?* Sed h. l. νεκρὸς ἦν et ἀνέζητε sine dubio inproprie dicitur de eo, qui *perdite vixerat, idque facere desiit.* 1 Tim. V, 6. ἀπολω-

λωλὼς autem de improbis legimus infra XIX, 10. Matth. X, 6.

25. Ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν) *audivit concentum et choros. Servius* in Aen. I. 499. *Chori* saltantium et cantantium dicuntur. Erat autem apud Orientes populos non inhonesta saltatio; nec hodie apud illos ulla hilaritas festa facile sine concentu et saltatione celebrari solet. Vid. *Beobacht. über den Orient*, Tom. II. p. 89. Ceterum filius natu maior, indigne ferens bonitatem patris in fratrem iuniorem, est imago Iudaeorum, inprimis Pharisaeorum, aegre ferentium, quod Deus per Messiam portitoribus et profanis salutem offerret, eosque ad frugem redeuntes in gratiam reciperet.

27. Ὅτι — ἀπέλαβεν) Verbum ὑγιαίνειν hic non tantum corporis sed et mentis sanitatem significat. Suadet hoc nexus quod sc. *ad se redierit* v. 17. quod, quum mortuus fuisset, *revixerit*. Inprimis ὑγιαίνοντες vocantur illi, *qui sobrie et continenter vivunt*, ita ut ὑγιαίνειν opponatur voluptatibus, intemperantiae, luxui, impudicitiae, et idem sit quod σωφρονεῖν.

29. Τοσαῦτα ἔτη δουλεύω σοι) Qui se probatos volunt et officia sua, a diuturnitate temporis solent argumentum sumere. Vide Gen. XXXI, 38. 41. Δουλεύω σοι, i. e. non filii tantum reverentia te colui, sed et servi timore. καὶ οὐδέποτε — παρῆλθον) *Nullum imperium tuum omisi.* Nam παρελθεῖν h. l. est *omittere*, *negligere*, *transgredi*, quae notio supra quoque XI, 42. occurrit.

30. Ὁ υἱός σου οὗτος) *Filius tuus iste.* Sic loquitur per contemtum; οὗτος, *iste*, *nequam*, quem ne quidem pro filio agnoscere deberes.

31.

31. Τέκνον — σά ἐστιν) Q. d. Non haec in tuam contumeliam facio, sed in illius honorem. Tu heres meus, ergo κύριος πάντων. Ubi tanta, quanta inter nos communio intercedit, nil donis opus. Σά ἐστιν, intellige proprietate, non pleno dominio. Ostendit Christus, iis qui pii semper fuerunt, hinc non dari iustam quaerendi materiam, quod poenitentes recipiantur in gratiam. Praeterea est συγχώρησις. Neque enim Pharisaei et Legisperiti vixerant ad praescriptum divinae legis; sed quum tales videri vellent, Christus, hoc velut illis largiens, ostendit, ne sic quidem esse, cur veniam invideant poenitentibus quum per eam nihil ipsis decedat.

32. ἔδει) *oportuit*, sc. me patrem. Cohaerent haec cum v. 2. sqq.

CAP. XVI.

1. Ἔλεγε δὲ καὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ) Particulae δὲ καὶ indicant huius capitis nexum cum praecedente. Iesus nempe, refutatis Pharisaeis et Scribis, familiaritatem eius cum portitoribus et profanis iniquiore animo ferentibus, ad eos ipsos portitores, qui ipsum adierant, se convertit, novosque hos discipulos de officio maximi momenti serio admonet. Commendat enim hac parabola rectum divitiarum usum, ita eas collocandas esse docens, ut beneficentiae nostrae fructus in futuro seculo simus percepturi. Qui hic vocantur μαθηταί, non sunt duodecim Apostoli; hi enim non erant divites; sed novi illi discipuli ex portitoribus, de quibus cap. praecedente. Videntur inter hos homines opulenti fuisse. Οἰκονό-

οικονόμον) *Administratorem rei familiares*, quae est οἰκονομία; nam et οἶκος inter alia rem et bona, facultatesque notat, quae sunt οὐσία, ὑπάρχοντα, κτῆσις. οὗτος διεβλήθη αὐτῷ, *Hic* (qui non erat δοῦλος cf. Mth. XVIII, 24.) *apud eum delatus est;* neque falsam fuisse istam delationem, sequentia docent. Vox διαβάλλειν est ex earum numero, quae veteribus Grammaticis *ancipites* dicebantur; nam non solum *calumniari*, seu *falso accusare*, sed universum *denuntiare* aliquid denotat, sive verum illud sit, sive falsum. Sic apud Iosephum Antiqq. L. VI. c. 10. §. 2. Sauli filia, amore Davidis capta, eumque amoris affectum non celans, dicitur διαβληθῆναι πρὸς τὸν πατέρα *apud patrem delata esse.* Ut dispensator bonis domini sui, ita multi divites opibus providentia divina sibi concessis pessime abutuntur.

2. Τί—σοῦ) i. e. *Qualia et quanta sunt, quae de te audio?* Nam τί τοῦτο ἀκούω; concise dictum est, pro: τί ἐστι τοῦτο ὅ ἀκούω; et vox τοῦτο in contextu auget rei invidiam. ἀπόδος τὸν λόγον) δοῦναι λόγον, referre, seu reddere rationes, quod de rebus negotiisque gestis fieri solet. Huic interpellationi respondent in re significata morbi, et si quid aliud nos mortalitatis admonet.

3. Εἶπε—ποιήσω;) *Secum cogitabat: quid agam? Donatus* in *Terentii Adelphis: Moris est secum loqui vel senes, vel maxime aliquid ex animo agentes.* Τί ποιήσω; Ita loqui solent, qui inopia consilii vel pecuniae laborant. σκάπτειν — αἰσχύνομαι) *Fodere nequeo, mendicare me pudet.* Σκάπτειν, *terram fodere.* Qui ad summam redacti erant inopiam, hoc

la-

labore, in fundis aliorum mercenarie suscepto, vitam tolerabant, haecque servilis erat opera, quae durissima esse putabatur et ignominiosa. Alii putant specie pro genere posita indicari: *agriculturam exercere, agrestia opera facere.* Οὐκ ἰσχύω, *non valeo*; vires mihi desunt. Describitur vel tamquam senex, vel ignavus et mollis. Bene Euripides: Καιαὶ γεωργεῖν χεῖρες εὖ τεθραμμέναι. Addit: *Mendicare erubesco:* id enim flagitiosum nimis. Sirac. XL, 29.

4. Ἔγνων — οἴκους αὐτῶν) *In mentem venit, quidnam mihi faciendum sit, ut, quum amotus fuero a munere, sint, qui me in domos recipiant.* Δέξωνταί με, scil. δεξάμενοι, *ut sint qui me domo et hospitio excipiant.* Est autem antecedens pro consequente: *qui mihi victum praebeant; qui mihi de cultu victuque prospiciant.* Io. XIX, 27. Hoc est quod infra com. 8. oeconomus iste dicitur φρονίμως πεποιηκέναι, non quod laudetur iniquitas eius, sed quod in statu adhuc meliore positus, providus secuturae iam sortis difficultatibus occurreret.

5. Si rationes scriptae fuissent (annot. *Vaterus* ad h. l.), vix, quae sequuntur, fieri potuissent. Sed cum consignanda essent debitorum nomina, dominoque tradenda: illius dilapidationis et in opibus alterius abiiciendis quasi liberalitatis ultimum facinus erat, ut de debito singulis remitteret. Caeterum haec faciunt ad parabolae ornatum.

6. Ἑκατὸν βάτους ἐλαίου) ὁ βάτος, Hebraica mensura, nomen habens ab Hebraeo בַּת, quod alii interpretati sunt βάτον, alii βάδον. Ὁ δὲ βάδος, ait Iosephus Antiqq. L. VIII, c. 2. §. 9. δύναται χωρῆται ξεστὰς ἑβδομήκοντα καὶ δύο, *Badus, mensura liquidorum est*

est circiter 72. sextatorios continens. τὸ γράμμα) Versio Vulgata: *Cautionem*, i. e. Chirographum, Syngrapham.

7. Ἑκατὸν κόρους σίτου) *Centum coros tritici.* Est etiam ὁ κόρος Hebraicae mensurae species, et iuxta Iosephum *tantum valet, quantum decem medimni Attici*; δύναται μεδίμνους ἀττικοὺς δέκα. Ant. L. XV. c. 12.

8. Καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος) i. e. *dominus oeconomi* in parabola, (ut comm. 3.) oeconomum suum laudavit, ubi postea modum audivisset, quo oeconomus, ut sibi prospiceret, usus erat. τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας) i. e. τὸν ἄδικον, ut recte interpretatur Syrus ex Hebraismo. Negligenterne an sapienter egerit dives ille vir, in hac parabola non quaeritur. Quamvis autem in facto iniquo, non potuit dominus non probare sollertiam dispensatoris; atque in hac sollertia sita est vis similitudinis, non in facti improbitate. Sed a minori argumentum ducitur. Si laudatur sollers improbitas, quanto magis prudentia cum virtute coniuncta? ὅτι οἱ υἱοὶ— τὴν ἑαυτῶν) *Nam profani homines prudentiores sunt inter se iis qui religionem colunt.* Haec non sunt verba heri, sed ipsius Christi. *Filii huius seculi* sunt, qui nihil aliud curant, quam vitae huius commoda, de futuro seculo nihil solliciti. Nam ὁ αἰὼν, sive vertatur *tempus*, sive *mundus*, indicat res, quae sunt huius temporis. Ergo οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου (עוֹלָם הַזֶּה) sunt homines suis terrenarum rerum cupiditatibus dediti. *Filii lucis* sunt studiosi melioris cognitionis, sapientiae et virtuti dediti. Nam τὸ φῶς hic accipitur amplissima significatione, ut meliorem cognitionem et virtutem indicet. Igitur nec *filii huius seculi* sunt flagitiosissimi, nec *filii lucis* sunt sanctissimi, sed utri-

utrique describuntur a sensu et studiis suis. Sunt autem rerum terrenarum studiosi prudentiores studiosis melioris cognitionis et virtutis εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν, *erga suam aetatem*, erga homines suae aetatis, in usu familiari et consuetudine cum coaetaneis. Γενεὰ, דּוֹר, *homines eiusdem aetatis.* Verba : εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν itaque verti possunt: *Inter se; unus erga alterum.* Alii aliter; e. c. Grotius: *in rebus suis agendis*, per Hebraismum illum, quo *generationes* idem sunt, quod actiones, Gen. VI, 9. Beza: *in suo genere*; ut εἰς pro ἐν positum, et per metonymiam ἡ γενεὰ sint homines suae aetatis s. seculi, non secus ac illud Gen. VI, 9. Noah vir iustus fuit בְּדֹרֹתָיו *in generationibus suis*, i. e. collatus ad impiam hominum colluviem, qui illa aetate vixerunt.

9. Ποιήσατε — μαμωνᾷ τῆς ἀδικίας) Μαμωνᾶς est priscum Chaldaeorum et Syrorum vocabulum מַמוֹנָא, *opes, divitiae*, de cuius etymo variae sunt variorum sententiae, quas recensuit *Buxtorfius* in Lex. Chald. Talm. p. 1217. In Codice Nazaraeo (T. I. p. 34. 48. ed. Norberg.) pro eo est מְנוּנָא, a מְנָן i. q. מָנָה, *numeravit.* Ἐκ τοῦ Μαμωνᾶ, *ope divitiarum. Comparate vobis amicos ex divitiis vel opibus fallacibus, et mendacibus*, quae possessoribus non praestant, quod pollicentur; ut ἄδικος idem sit quod δόλιος, *dolosus*, *vanus*, tum quod δίκαιος (צַדִּיק) in S. Scriptura saepe idem valeat, quod ἀληθής, et LXX. hebraicum שֶׁקֶר saepe reddere soleant ἄδικος vel ἀδίκως, e. g. Exod XXIII, 7. Levit. XIX, 12. et aliis locis, tum quod ἄδικον v. 11. opponatur τῷ ἀληθινῷ, et v. 10. iterum

de

de homine dicitur, qui πιστὸς non est, cum ibi vana illa τὸ ἐλάχιστον vocentur. Potest tamen μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας etiam explicari de *divitiis, aut opibus male partis* genitivo *acquirendi modum* denotante. Sic quadrat *applicatio parabolae cum parabola*: Iste oeconomus compavarit sibi amicos ex opibus male partis, ita et vos nunc certe (re sumta, qualis est) comparate vobis amicos ex opibus vestris male partis. Tales opes corraserant non modo portitores, sed Pharisaei quoque, quos coetui eorum, qui hanc parabolam audiebant, interfuisse, satis apparet ex v. 14. Ceterum non favet haec explicatio eorum impiae superstitioni, qui licitum sibi esse opinantur per fraudes et quovis iniusto modo corradere opes, dummodo liberales sint in egenos, et partem bonorum in pios usus convertant. Nam ad opum legitimum usum hoc etiam requiritur, ut quod aliis violenter et per fraudem ereptum est, illis, quantum fieri potest, restituatur. Exod. XXII, 3. Commendat Iesus rectum usum divitiarum, sive illae legitimo sive illegitimo modo sint acquisitae. In hac parabolae explicatione fortasse ipse numerus pluralis φίλους, δέξωνται, ita ponitur, ut haec verba imagini ad antecedentia relatae conveniant. ἵνα ὅταν — σκηνὰς) *Ut quum defeceritis*, i. e. quum mors a bonorum huius vitae procuratione vos abstraxerit, *(quum defuncti fueritis) in aeterna illa habitacula recipiamini.* Ἐκλείπειν de *morte* recte explicatur. Nam subintelligi debet τὸν βίον vel τὸ ζῆν, vel simile quid. Sic interpretantur LXX. in Gen. XXV, 8. Ier. XLII, 17. 22. *Lucian.* Macrob. Ἄτταλος δύο καὶ ὀγδοήκοντα ἐτῶν ἐξέλιπε τὸν βίον, *Attalus anno vitae* 82. *mortuus est. Polyb.* II, c. 41. τὸ ζῆν ἐξέλιπον, *vivere desierunt. Aelian.* Var. Hist. XIII, 20.

τὴν

τὴν ψυχὴν ἀπέλιπεν, *vitam amisit.* Aliis ἐκλειπεῖν h. l. est *deficere, decrescere. Grotius* ex praecedentibus subaudiri vult τοῦ μαμωνᾶ, ut plena locutio sit: ὅταν ἐκλίπητε τοῦ μαμωνᾶ, *quum divitiis illis destituemini*: quod eodem recidit; nam cum morte omnes opes terrenas amittimus. Δέξωνται ὑμᾶς verte: *recipiamini*, ex Hebraismo illo, quo tertiae personae verborum impersonaliter sumuntur, ut supra c. XII, 20. Deus est is, qui nos recipit in aeternam illam commorationem. Nec enim definite declaratur, esse pauperibus, quos nobis amicos fecimus, ius vel potestatem recipiendi in ipsorum consortium; nam quod pro nobis orant, hoc non valet: recipiunt nos in coelum. Deum nobis facimus amicum, quando bonis huius vitae sic utimur, uti Deus vult. Εἰς τὰς αἰωνίους σκηνὰς, in domos non προσκαίρους, ut dispensator ille, sed in mansiones aeternas, Io. XIV, 2. 2 Cor. V, 1. Sic etiam profani, e. g *Cic.* Tusc. I. 49. in aeternam et plane in nostram domum remigremus. Varias recentiorum huius loci explicationes *Nitzschii*, *Henkii*, *Moelleri*, *Zeunii*, *Winterbergii*, aliorumque recensuit, et diiudicavit D. *Enke* in Diss. ad h. l. Lips. 1799. repetita et passim amplificata in *Sylloge Commentatt. theol.* ed. a *Pottio* Vol. III. p. 163. Ipse vertit: *Ego vero vobis hoc concilium do: Comparate vobis incertorum ope amicos, ut, quum defeceritis opibus omnibus, illi vestram in aeterna domicilia receptionem adiuvent.* Addi potest *Schreiteri historico-crit. explicationum de improbo oeconomo descriptio* ed. Lips. 1803. et *Conzii* commentatio in *Henkii* novo promtuario, Tom. I. Part. I. pag. 184. sq. *Keilius* in *Analekten* etc herausgeg. v. *Keil* u. *Tzschirner* Lips. 1814. Vol. II. P. 2. p. 152.

Dav.

Dav. Sculzius: *über die Parabel vom Verwalter* Vratislav. 1821. Nihil habet offensionis haec parabola dummodo consilium eius spectetur, quod non aliud videtur esse quam hoc: religionis cultores imitari debere *prudentiam* oeconomi, qui rebus suis ita prospexerit, ut sibi conciliaverit amicos, qui eum, ab oeconomi munere remotum, sustentare possent et vellent ad dies vitae (v. 4. et 9.), non autem eo modo quo ille fecit, utpote unus ἐκ τῶν υἱῶν τοῦ αἰῶνος τούτου, sed potius ita ut decet τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς, qui sibi prospicere debent de felicitate non terrena et caduca, sed aeterna. Ab improbis etiam hominibus discere licet; a male facto Iesus exemplum repetiit, quo ad recte agendum impelleret, ut XVIII, 6.

10. Ὁ πιστὸς — πιστός ἐστι) *Qui in rebus minoris momenti et pretii fidelis est, is etiam in maioribus fidelem se praestabit.* ἐστιν, *esse solet* vel ἔσται. Indefinite haec sunt accipienda, non de eo quod semper fit, sed de eo quod plerumque accidere solet. Ἐν ἐλαχίστῳ, i. e. *in rebus et negotiis minoris momenti et pretii.* Ἐν πολλῷ Vulgatus recte vertit *in maiori*; nam τὰ πολὺ h. l. respondet hebraico רב, quod interdum de amplitudine et praestantia usurpatur. 1 Reg. IV, 29 Sed apud *Thucydidem* etiam, *Homerum*, aliosque πολὺ habet hanc vim, ut *Budaeus* docet in *Commentariis linguae graecae* Sensus igitur est: Servo qui minora negotia sibi demandata fideliter curat, plerumque maiora tuto credi possunt. Solent heri famulorum suorum fidem in re non magni pretii explorare, atque inde de maioribus coniecturam facere. Ita Deus iis, qui huius vitae bonis recte utuntur, maiora olim committet. Ratio oppositi per se patet.

11. Εἰ οὖν — πιστεύσει;) *Si igitur in administrandis caducis huius vitae bonis fideles non estis, maiora et vera bona quomodo vobis credi possint?* *Iniustus Mamonas* h. l. per metonymiam consequentis dicitur pro *minimo* ac vili, quia propter vilitatem non tantum fidis, sed etiam perfidis hominibus tribuitur. Vide supra ad comma 9. notata. Confirmatur haec expositio eo, quod τῷ ἀδίκῳ μαμωνᾷ opponitur τὸ ἀληθινὸν. Nam *verum* est h. l. *quod natura et revera est id quod dicitur*, non fictitium, quod speciem tantum habet. Vel etiam τὸ ἀληθινόν est *certum, firmum, perpetuum*, quo sensu occurrit apud *Philonem* de Temul. p. 270. Huius generis sunt bona illa coelestia probis parata.

12. Καὶ εἰ — δώσει;) *Et si in administrandis alienis* bonis *fideles non estis, quis vobis crederet bona, quae a vobis ut propria considerari possent*, i. e. meliora, excellentiora caducis huius vitae bonis, in aeternum duratura? Ἀλλότριον est, quod Deus nobis ad usuram, ad breve tempus concessit, quo pertinent omnia bona *externa*, et tandem peritura. Vocantur *aliena*, quia ab arbitrio nostro non pendent. His opponitur τὸ ἡμέτερον, *nostrum*; bona illa aeterna, in coelo exspectanda, ut sensus sit: *Si in administrandis huius vitae bonis fideles non fueritis, non poterunt vobis credi maiora, excellentiora bona in altera vita.* Haec, quae v. 11. et 12. dicuntur, sunt superiorum explicatio, et cum iis cohaerere debent. Ad v. 13. vid. Matth. VI, 24.

14. Καὶ οἱ Φαρισαῖοι) Ut qui se turbae audientium iungere solerent, captaturi calumniae occasionem. ἐξεμυκτήριζον) *Deridebant.* Denotat autem ἐκμυκτηρίζειν, in-

insignem derisionem, adhibito quodam gestu narium: *die Nase rümpfen.* Figurate Graecis μυκτήρ est *insignis irrisor.* Et Martialis non nasutum, sed *nasum* quendam vocat. Hinc Latini, *naso suspendere*, et *suspendere naso adunco* dixerunt. Sannis exceperunt avari isti consilia Christi ad beneficentiam ducentia, utpote ab eorum ingenio prorsus aliena.

15. Οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς) *Qui vobis ipsis laudem virtutis tribuitis*, ut supra c. X, 29. Faciebant autem hoc Pharisaei magno molimine cerimoniarum, quas admirabatur populus. ὁ δὲ θεὸς γινώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν) Deus scit, in animis vestris nihil esse verae sanctimoniae. ὅτι — τοῦ θεοῦ ἐστι). *Quod enim hominibus magnum videtur, apud Deum* (saepe) *habetur abominandum.* Βδέλυγμα, abstracto posito pro concreto, idem est ac βδελυκτόν. Sensus est: multa, quae hominibus videantur eximia atque in excelso posita, Deo maxime displicere, quia absit vera animi probitas 1 Sam. XVI, 7. Intelligendum est hoc dictum de iis, qui per simulationem hominum laudem captant, non de omnibus qui inter homines sunt admirationi.

16. Ὁ νόμος — Ἰωάννου) Sc. προεφήτευσαν, quod extat in loco parallelo. Matth. XI, 13. Sensus est: *Institutio in religione, qua Moses et prophetae usi sunt, duravit ad tempora usque Ioannis.* Ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται significat universam V. T. doctrinam. Haec, inquit Iesus, nunc cum mea praestantiore et perfectiore est coniungenda et commutanda. Quomodo haec et quae sequuntur cum praecedentibus cohaereant, non satis perspicuum est. Leguntur tamquam alio tempore propositae, et nexu arctiori Matth. XI, 12. 13. V, 18. 31. 32., ubi not. cf. Nonnulli hac ratione h. l. con-

nectunt, quasi Iesus diceret: ne miremini, si maiora dilectionis opera nunc, quam olim aperte exigantur. Id enim postulat temporum ratio. Nunquam tanta in vos Deus beneficia contulit, quanta nunc confert; quid mirum est, si, qui plus contulit, de collato plus exigit? καὶ — βιάζεται) *Et unusquisque in illud* (regnum) *vi irrumpit*, et quasi compellitur. Omnibus patet aditus in illud regnum; magna vi traditur doctrina de eo; non tamen adeundum, nisi improbo labore.

17. Εὐκοπώτερον δέ ἐστι) Cf. Matth. V, 18. Ceterum optime cohaeret cum praecedentibus. Nam Christus, ne, quae dixit, ideo dixisse putaretur, quo legis Hebraeae reverentiam animis hominum eximeret, contra ostendit, nihil legis periturum; suis enim praeceptis non aboleri morum praecepta V. T., sed consummari. Sic omnino res se habet. Nam vaticina in libris Mosis et Phrophetarum comprobavit eventus. Summa legis et Prophetarum, unum esse Deum, eumque prae ceteris omnibus amandum esse, homines omnes a nobis esse amandos etc. semper vera fuit, et in aeternum vera erit. Neque eo, quod Oeconomia ista cessaverit, doctrina ipsa facta est falsa; praedictum enim est, eam esse cessaturam.

18. Πᾶς ὁ ἀπολύων) Matth. V, 18. sqq. Quod dixerat Christus, insigni exemplo illustrat. Optabat Moses, omnia non necessaria divortia tolli, sed hoc obtinere non poterat sine maioris mali periculo. Christi lex, maioribus auxiliis populum meliorem colligens, palam et aperte vetat, quod Moses improbans tolerabat.

19. Ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος) Hic Christus ad argumentum, unde sermonem inceperat, regreditur, de usu

usu divitiarum. Certant veteres novique interpretes id quod hic sequitur, historiane sit, an fabula. Alii Sadducaeum, alii Pharisaeum, alii Caipham, sacerdotum principem, Hannae generum, alii Herodem Antipam indigitari opinantur. Sed multo probabilius est, omnem hanc narrationem ad parabolas esse referendam. Nam Λάζαρος לא עֵזֶר, *auxilio destitutus*, vel אֱלִיעֵזֶר, *Deus auxilium praestet*, est nomen fictum, quo omnino homo inops et pauper significatur. Deinde etiam plura in hac narratione occurrunt, quae parabolam enarrari aperte demonstrant, e. g. comitatus angelorum, colloquium inter Abrahamum et divitem institutum, coena, et huius generis alia. Denique similis parabolae vestigia reperiuntur in Gemara Codicis Berachoth, c. 5. ut *Wolfius* observat in curis ad h. l. Cf. *Kuinoelii* Pericopas Evangel. Vol. II. pag. 1. s. Depingitur itaque homo dives quilibet, ita animatus, ut homo ille dives animatus erat, quem Iesus hic descripsit. Docet Iesus in magno esse errore eos, qui externa bona pro singularibus divini favoris documentis habeant, eos autem, qui necessariarum rerum inopia premuntur, tanquam impios et Deo invisos esse putent. Simulque docetur, malis malam, bonis bonam sortem paratam esse post hanc vitam, nullo plane respectu ad externam conditionem hominum in hac vita habito. Ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον) *Induere solebat purpuram et byssum.* Purpureas vestes inprimis fuisse constat pretiosas. Utebantur iis principes, primores populi, aiique homines opulenti, unde et regum amici haud raro vocantur *purpurati.* Hebraei autem, sicut et Aegyptii et alii illis in locis populi, *lineis vestibus* plurimum usi fuere. *Byssum* subtilissimum linum Achaicum

cum esse, scripsit *Plinius*, pretio aequale auro. Videtur esse hebraicum בּוּץ, cuius origo ex *Io. Reinholdi Forsteri* sententia (in libello peculiari, Londini 1776. edito) quaerenda est in lingua Aegyptia, quod Hebraei usurpare coeperunt post aetatem Salomonis regis, quum antea nomine שֵׁשׁ usi fuissent, et significatur eo genus lini, quod in India et Arabia et Aegypto quum ex arboribus, tum e plantis collectum fuit. Dicitur igitur hoc: istum divitem admodum pretiose ac splendide fuisse vestitum. Cf. *Kuinoel.* ad h. l. *εὐφραινόμενος — λαμπρῶς*) Bene Vulgatus: *et epulabatur quotidie splendide.* Εὐωχεῖτο etiam apud Hesychium exponitur *εὐφραίνεσθαι*. Cf. notata ad Matth. XV, 23.

20. Ὀνόματι Λάζαρος) *Drusius* putat, Hebraice scribendum אֶלְעָזָר, adeo ut *Lazarus* et *Eleazarus* idem valeant. Quod non de nihilo. Nam לְעָזָר, *Lazar*, ab Hierosolymitanis tempore Christi, contracta pronuntiatione ursurpatum pro אֶלְעָזָר, pluribus exemplis ad Io. XI, 1. ostendit *Io. Lightfootus Hor. Hebr.* Ἐβέβλητο — ἡλκώμενος) *Iacebat ad vestibulum eius ulceribus plenus*, ut iterum hic optime Vulgatus. Solent eius fortunae homines sordibus atque illuvie ulcera contrahere.

21. Ἐπιθυμῶν — πλουσίου) *Cupiens satiari e micis decidentibus de mensa divitis*, vel, ut *Elsnerus* mavult: *contentus erat, magni aestimabat*, satiari micis de mensa cadentibus. Ita LXX Hebraeorum הַרְצֵץ Ies. LVIII, 2. reddunt per *ἐπιθυμεῖν*. Nam *micas* etiam negatas fuisse pauperi, non est verisimile, et tum intelligi non posset, cur epulonis aedes frequentaverit. Sed ex legis praescripto, Deut. XV, 7. 8. Ies. LVIII,

7.

7. dives hospitium pauperi, cultum et victum suppeditare, eumque sanandum curare debebat. Ἀλλὰ καὶ — ἕλκη αὐτοῦ) Quia Lazarus quotidie ad portam aulae interioris ante aedes divitis iacebat, ideo canibus huius domisticis ita innotuit, ut ad eum accederent, dolorem quam attulerunt ulcera, lingendo mitigaturi. Pertinent haec tamen ad ornatum fabulae, propterea addita, ut hominis illius divitis inhumanitas, et Lazari miseria vividis coloribus depingerentur.

22. Ἀπενεχθῆναι — Ἀβραάμ) *Ut ab angelis duceretur in sinum Abrahami.* Sensus est: *ut summi gaudii in Paradiso cum Abrahamo fieret particeps.* Αὐτὸν i. e. *animum eius.* Ita passim Graeci quoque et Latini poetae *animos* corporibus solutos *hominum* nominibus appellant, ut Grotius notat. Dicit autem ὑπὸ τῶν ἀγγέλων, quia vetus Iudaeorum erat traditio, piorum animas ab angelis deduci εἰς παράδεισον. Meminit Paraphrastes Chaldaeus ad Cant. IV, 12. aliique, quos Wetstenius laudat. Graeci et Romani *Mercurium* ducem animarum ad inferos fingebant. *Horat.* Od. I, 10, 17. de Mercurio: *tu pias laetis animas reponis sedibus.* Quae hic Christus de *sinu Abrahami* dicit, non debent simpliciter, sed ex consuetudine istorum temporum, quam secutus est, et ex usitato tum de rebus disserendi modo intelligi. Nempe gaudia post hanc vitam tunc temporis sub convivii specie haud raro describi solebant. In conviviis autem solebant dilectissimi in sinu eius recumbere, qui convivii princeps esset. Io XIII, 23. Indicatur ergo hic summus *Lazari* honos, ut qui in illa beata sede proximus haereret Abrahamo, cuius eximiam fidem, et in malis perferendis constantiam esset imitatus. Unde patet, homines statim a morte

te corporis frui sorte sua. Fecit Iesus, quod facere solent et debent doctores populares, qui erudiendi causa verba ad populum facientes ad seculi sui mores, hominumque audientium opiniones descendunt. Hoc etiam de iis, quae in hac narratione sequuntur, valet. Ἀπέθανε — ἐτάφη) Sine dubio pompa funeris erat magnifica, et illatus est monumento maiorum suorum. Sed de tantis divitiis hic honor illi postremus contigit.

23. Καὶ ἐν — κόλποις αὐτοῦ) *In orco autem, quum cruciaretur, oculis sublatis, Abrahamum e longinquo vidit, et Lazarum in sinu eius recumbentem.* Vox Graeca ᾅδης, cui respondet Hebraea שְׁאוֹל, et Latina *orcus*, denotat *illum locum communem, in quem recipiuntur omnes hominum vita functorum animae.* Nunquam vero significat aut sepulcrum aut coelum. Nam qui coelum petunt, ascendere, qui vero ad inferos abeunt, descendere dicuntur: et illi etiam apud inferos esse leguntur, qui neque sepulturae honore neque coelesti gaudio fruuntur. Ita fuit dives quidem ἐν ᾅδῃ, sed fuit etiam Lazarus, disterminatis ᾅδου regionibus. Nam et Paradisus et Gehenna, sive, ut loquebantur Graeci, Elysium et Tartara sunt ἐν ᾅδῃ, hoc tantum discrimine, quod locus beatorum sit in superioribus, locus damnatorum vero in inferioribus regionibus τοῦ ᾅδου, quarum infima et tristissima est Tartarus. *Anthol.* I, 37. 19. πάντας ὅμως θνητοὺς εἰς ἄιδης δέχεται. *Silius Ital.* XIII, 625. Domus omnibus una. *Midras Ecclesiast.* VII, 14. *Rabbini dicunt, paradisus et gehenna ita posita sunt, ut ex uno loco in alterum prospiciant.* Locum τοῦ ᾅδου nunc sub terra, nunc in aëre, nunc trans oceanum esse volunt Veteres; sed illa loquendi genera nihil aliud quam τὸ ἀόρατον, nobis-

bisque inaccessum designant. Cf. *Herderi Geist der Ebr. Poesie.* P. I. p. 218. sqq. *Conz über die Lehre der Unsterblichkeit bey den Hebraeern*, in *Paulus Memorabilien*, St. III, p. 141. sqq. *Ammon über das Todenreich der Hebraeer von den frühesten Zeiten an bis auf David.* Ibid. St. IV, p. 187. sq. Verba ὑπάρχων ἐν βασάνοις referenda sunt ad vocem ἐν τῇ ᾅδῃ. ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ) Iterum sequitur Iesus consuetudinem istorum temporum de statu post mortem disserendi. Veteres enim, non tantum Graeci, sed etiam Hebraei in ea erant opinione, umbras, s. animas a corporibus separatas per omnia similes esse corpori crassiori, hoc tamen discrimine, quod sint multo subtiliores.

24. Καὶ φωνήσας εἶπεν) *Loqui* etiam umbras, putaverunt Veteres; sed voce graciliori. Vid. *Dieterici Tiedemanni Geist der speculativen Philosophie* etc. p. 2. s. Beyträge zum vern. D. in d. Relig. Heft 2. p. 93. sqq. Sic apud Iesaiam c. XIV, 9. umbrae regum defunctorum regi Babylonio venienti obviam procedunt, insultant ei et illudunt, et ex eius calamitate suae sortis solatia quaerunt. Similiter apud Homerum, *Agamemnonis*, *Achillis*, *Herculis* aliorumque heroum umbrae cum *Ulysse*, et apud Virgilium cum *Aenea* de rebus a se in terra fortiter gestis colloquuntur. Odyss. λ. v. 403. sqq. 472. sqq. 620. sqq. *Virgil.* Aen. VI, v. 477. sqq. Iesus igitur, exemplar sapientissimi doctoris, se hic etiam accommodavit ad captum hominum sua aetate viventium, quia eum capere non potuissent, si ad ἀκριβειαν philosophicam de natura animi cum iis disputasset. Caput rei est, animas humanas post mortem corporis esse superstites, esse sibi sui conscias, aut male

aut

aut bene iis esse etc., quae omnia a Iesu in hac parabola confirmantur. *πέμψον Λάζαρον)* Hoc ideo, quia credibile est, impiorum cogitationibus semper illos obversari, quos a se male tractatos memimerunt. *ἵνα βάψῃ — ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ)* *ut summo suo digito in aquam intincto linguam meam refrigeret, adeo discrucior in hac flamma.* Cruciatus damnatorum saepe cum doloribus, quibus afficiuntur, qui igni uruntur, comparari, satis notum est. Hinc iam cetera finguntur consequenter; nam hi, qui uruntur, maxime sitim in lingua sentiunt; sitis solet levari aquis; minimum aquae est, quantum digito adhaerescit. In *Elysio* contra et *sedibus beatis* profani etiam fingunt esse amoenos campos, coelum serenum, *rivos* et ripas gramineas etc. Homer. Odyss. ζ, 42. sqq. Vid. Cel. *Heyne* ad Virgil. Aeneid. Lib. VI, 637. sqq. Sensus est: Divitem, qui olim Lazarum contemserat, nunc libenter illi supplicaturum, si aliquod vel minimum tantorum cruciatuum levamentum possit adipisci.

25. *Ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου)* Ἀγαθὰ sunt hic, quae vulgo pro bonis habentur. Ἀπέλαβες autem ut Matth. VI, 3. *ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.* Illa, inquit, bona quae tu vera, immo summa duxisti, ea iam plene accepisti. *νῦν δὲ ὅδε παρακαλεῖται)* *Nunc vero ille solatio fruitur,* felix est. Illud *νῦν δὲ* ostendit miram vicissitudinem. Παρακαλεῖν in genere notat *consolari aliquem* vel oratione et consiliis, vel auxilio, unde quoque significat *recreare, felicem reddere.*

26. *Ἐπὶ πᾶσι τούτοις)* *Praeter haec omnia,* iam dicta nempe; vel etiam, *quod praecipuum est, quod caput rei est.* *μεταξὺ — ἐστήρικται)* *Vastum intervallum inter*

inter nos est constitutum. Apud profanos χάσματα ἐν τῷ ᾅδῃ sunt profundae voragines et cavernae, quas apud inferos fingunt. Frequenter igitur sicubi profundae erant cavernae, inprimis tetros et pestiferos halitus emittentes, has χάσματα Πλουτωνος, *hiatus Plutonis* vocabant, per illos viam ad inferos patere putantes. Tale χάσμα erat Plutonium apud Hierapolin, et Charonium, spelunca in Caria. Strab. L. XIII. et XIV. Sed Iudaei etiam *hiatum* quendam, per quem iter sit ad inferos, dari asserunt. Vide Eisenmengerum Tom. II, c. 6. Ἑστήρικται, i. e. ἔστι, κεῖται, *stat.* ὅπως — διαπερῶσιν) *Ut adeo illi, qui velint hinc* (ex loco beatorum) *transire ad vos, non possint, nec illi, qui illinc, ad nos pervenire queant.* Διαπερᾶν, *flumen* vel *mare traiicere*; deinde simpliciter *transire*; et h. l. permutatur cum διαβαίνειν. Significat Christus his verbis, sic esse a Deo constitutum, ut beatorum et damnatorum sors in perpetuum maneat diversa.

27. Ἵνα πέμψῃς αὐτὸν) Nempe ipsum corpori suo redditum, ne quis hic de animorum apparitionibus agi suspicetur. Cf. v. 31. ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ. εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου) *ad patris mei familiam;* nam sequitur: ἔχω π. ἀδ.

28. Ὅπως διαμαρτύρηται αὐτοῖς) *Ut significet iis,* (*quae hic gerantur.*) *Nam* διαμαρτύρεσθαι, significatione τοῦ הוֹרִיעַ pro δηλοῦν, vel γνωρίζειν, accipiendum, res ipsa et usus docet. LXX. hebr. הוֹרִיעַ interdum vertunt διαμαρτύρεσθαι, e. c. Ezech. XVI, 2. XX, 4. εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου) In hanc infimam τοῦ ᾅδου regionem, tristissimam, quam εἱργμὸν vocat *Iosephus. Plato* eandem dixit δεσμωτήριον.

29. Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας) Metonymice: *Scripta Mosis et Prophetarum.* ἀκουσάτωσαν αὐτῶν) Illorum monitis pareant; id enim est cum fructu audire.

30. Οὐχί) Supple: οὐκ ἀκούσουσιν αὐτῶν, vel, ut alii malunt, οὐκ ἀπόχρη, non sufficit. De se illorum ingenium noverat. Μετανοήσουσιν, *ad meliorem frugem redibunt.*

31. Εἰ Μωσέως — πεισθήσονται) Fatebantur enim ipsi Iudaei, legem sibi a Deo esse traditam, atque confirmatam insignibus miraculis, quarum famam continua successione a maioribus traditam acceperant; et tamen contra apertissima legis verba vitam agebant. Nihil igitur illis obstabat, nisi perversus animus, nolens ea ut verba amplecti, quae falsi arguere non poterant. Nec miraculis moveri homines praeiudiciis et cupiditatibus suis occoecatus, ostendit res ipsa. Lazarum Bethaniensem vitae reddidit Christus. Iesus ipse a morte rediit; nec tamen Pharisaei monitis eius obtemperarunt.

CAP. XVII.

1. Ἀνένδεκτόν ἐστι μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα) *Fieri* vel *contingere non potest, ut non veniant scandala, perpetrentur malae actiones, quibus alii offendantur.* Nam per τὰ σκάνδαλα stilo scripturae intelliguntur quaevis malae actiones, quibus alii ita turbantur, ut iudicando errent agendove peccent; et ἐνδέχεσθαι de iis dicitur, *quae possunt et solent evenire.* Quae autem hic dicuntur de necessitate scandalorum, intel-

intelligenda sunt de necessitate non *physica*, non *absoluta*, sed *conditionis et consequentiae*, posita sc. hominum malitia. Cf. Matth. XVIII. 6. sq. v. 15. 21.

5. Πρόσθες ἡμῖν πίστιν) Occasio narratur Matth. XVII, 19. sqq. Quum nempe discipuli Christum interrogassent, cur daemoniacum ipsis adductum sanitati restituere non potuerint, ille respondebat: quia non habetis fidem. Saepius eos ob ὀλιγοπιστίαν reprehenderat. Discipuli igitur dicebant: *πρόσθες ἡμῖν πίστιν*, *auge nobis fidem*, qua nempe opus est ad talia miracula efficienda.

6. Εἰ εἴχετε — ἂν ὑμῖν) *Si tantum habueritis fidei, quantum est granum sinapis, dixeritisque huic arbori sycamino: eradicator et transplantator in mare; vobis obediet.* De *Sycamino* multa *Wetstenius* habet. Oportet *moro* admodum similem esse arborem, quia non Latinus tantum, sed et Syrus et Arabs *morum* vertunt. Vide *Pauli* Commentar. T. II, 647. sq Est autem, quod de Sycamino hic dicitur, proverbiale, de re naturaliter impossibili. Sensus est: *Si modo initia fidei illius habueritis, poteritis talia efficere.* Opus est tantum animo hilari et impavido. Cf. Matth. XVII, 20.

7. Τίς δὲ — ἀνάπεσαι;) *Quis autem vestrum est, qui servum suum, arantem aut pascentem* (aratorem aut bubulcum) *statim reversum ab agro iubeat accumbere et edere?* ἀροτριῶντα ἢ ποιμαίνοντα) participia more Hebraeo posita pro Verbalibus. Quid magni facit, ad arandum positus, si arat, ad pascendum, si pascit? Ἀνάπεσαι) *Bengelius* legendum esse putat: ἀνάπεσε. Nam aoristum utrumque huius verbi in acti-

vo,

vo, non in medio usitatum esse, ait. Sed non sine exemplo esse, ostendit *Abreschius* in annotatt. in N. T. Quo spectet haec parabola, docebitur infra ad v. 10.

8. Περιζωσάμενος) *Praecinctus.* Qui mos ministrantium in regionibus, in quibus demissiores vestes gerebantur. μετὰ ταῦτα) Ut mos erat servorum, aut etiam eorum, quorum conducta erat opera.

10. Οὕτω καὶ ὑμεῖς) *Pari modo et vos Apostoli.* Hos enim haec parabola proxime spectabat. Cf. v. 5. ὅταν—ἐσμεν) *Quum omnia feceritis, fatemini vilitatem vestram.* Nam ἀχρεῖος h. l. videtur esse שָׁפָל *humilis, abiectus,* ταπεινὸς, ut 2 Sam. VI, 22. Non igitur *inutiles*, cum interpretibus, sed *servi humiles;* hoc est: nihil aliud quam servi, et abiecti quidem, sumus. Ὅτι — πεποιήκαμεν) *Quod enim debuimus facere, illud fecimus,* neque ultra. *Non est,* (inquit *Seneca* Controv. II, 13.) *beneficium, sed officium, facere quod debes.* Praecipit Christus discipulis suis et aliis omnibus, demisse de se ipsis sapere, sine ulla ostentatione curare quae agenda sint: ita non tantum sedulitatis, sed et humilitatis nomine se Domino acceptos fore et gratos. Igitur spectandum est adiunctum horum verborum: parum pretii nobis tribuimus; nam fecimus tantum, quantum debuimus. Voluit Iesus monere discipulos, ne fastu pleni, in officiis servandis praemia quaedam singularia a Deo postulent. Fortasse augmentum fidei eam ob causam a Christo petierant discipuli, ut miracula efficiendo haberent, quo gloriarentur. Christus igitur eorum errorem corrigit, dicens: nolite postulare dona nova; facite tantum quod vestrum est. Hoc spectatur etiam in parabola. Servus nempe ab agro domum re-

ver-

versus, non statim singulare quid postulare potest; sed oportet eum officia sua colere ante, quam epuletur. *Kuinoelio* probabile est, Iesum hanc parabolam proposuisse, cum eum Petrus interrogasset: quodnam nos, qui primi te, relictis omnibus, sectati sumus, praemium habebimus? Matth. XIX, 27. Sensus non mutatur.

11. Διήρχετο — Γαλιλαίας.) Voces *διὰ μέσου* h. l. suam vim obtinent. Nam *διέρχεσθαι, παρέρχεσθαι, παριέναι διὰ τόπου τινὸς*, saepe Graecis non *per locum aliquem transire*, sed *locum aliquem praeterire* denotat. Sed h. l. adiectae voces *διὰ μέσου* indicant, haec verba esse intelligenda ita, ut *Christum per medios fines Samariae et Galilaeae* transiisse dicamus. *Wetstenius* ad h. l. haec notavit: Non via recta et brevissima a septentrione versus meridiem per Samariticam regionem iter fecit, sed, quum ad confinia Samariae et Galilaeae venisset, ab itinere deflexit versus orientem, ita ut Samariam ad dextram, Galilaeam ad sinistram haberet; et Iordanem Scythopoli, ubi pons erat, videtur transiisse, et iuxta ripam Iordanis in Peraea descendisse, donec e regione Ierichuntis iterum traiiceret. Hoc factum est, tum ut ne occasio praeberetur Samaritanis iterum in ipsum delinquendi, tum ut eo plures Iudaeorum beneficii sui participes redderet. *Paulus* vero ad h. l monuit, Iesum non a septentrione venisse, sed versus septentrionem profectum esse; eum nimirum, relicta Bethania, contulisse se in locum deserto proximum, in urbem, sitam in finibus Iudaeae, nomine Ephraim (Io. XI, 54.), inde eum, non via brevissima Hierosolyma petiisse, sed cum festum Paschatos non proxime instaret, partem Samariae, et fines Galilaeae permeasse, tum demum Scythopoli Iordanem transiisse; verba

verba igitur *διὰ μέσου κ. τ. λ.* exprimenda esse: *per Sam. et Gal. transiit.*

12. *Εἰσερχομένου αὐτοῦ*) *Quum vicum quendam intrare vellet.* Praesens pro Futuro, ut recte animadvertit Syrus: nam extra oppida se tenebant, qui illa scabie erant polluti. Levit. XIII, 46. *ἔστησαν πόῤῥωθεν*) Procul enim ab aliis abstare iubebantur, et proclamare: טָמֵא טָמֵא.

14. *Ἐπιδείξατε — ἱερεῦσι*) i. e. *τίνι τῶν ἱερέων.* Usus est plurali numero, quoniam inter leprosos Samaritanus erat, qui sacerdotem Samaritanum adire debebat. Hoc dicto Iesus tacite pollicebatur sanitatem in itinere obventuram; neque enim ostendebantur leprosi sacerdoti, nisi ut aut de morbo cognosceret, de quo hic satis constabat, aut ut restitutam valetudinem pronuntiaret. Iubet autem Christus, ut Iudaei Hierosolyma peterent, Samaritanus montem Garizim. Licet enim non probaret cultum Samaritanorum Io. IV, 22. non potuit tamen, quin circa quaestionem non de cultu Dei, sed ad medicinam et politicam pertinentem, singulos ad suos iudices remitteret. *ἐν — αὐτούς*) Quod verbis Christi parebant, id signum est, ab omnibus conceptam recuperandae valetudinis fiduciam.

18. 19. *Οὐχ εὑρέθησαν — οὗτος;*) *An non sunt reversi ad laudem Deo tribuendam praeter hunc alienigenam?* Recte hoc comma interrogative accipitur. *Οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες, non sunt reversi.* Nam *εὑρίσκεσθαι*, ut apud Hebraeos נִמְצָא saepe poni pro *esse*, notum est. Sed et profanos scriptores utriusque linguae *inveniri* et *εὑρίσκεσθαι* pro verbis *esse* vel

ap-

apparere posuisse *Schwarzius* in Notis ad Olearium p. 84. s. luculentis exemplis ostendit. Δοῦναι (pro τοῦ δοῦναι, vel εἰς τὸ δοῦναι) τῷ Θεῷ δόξαν, *laudare Deum* (נָתַן כָּבוֹד), grato animo fateri, eum esse auctorem beneficiorum, quibus nos affectos esse sentimus. 19. Ἡ πίστις σου σέσωκέ σε) *Fiducia tua sanavit te*, i. e. propter fiduciam, quam in me collocasti, sanavi te.

20. Ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ) Per *regnum Dei* hic sensu Iudaico intelligitur apparitio et manifestatio regis Messiae, quam illi cum magna pompa et insignibus victoriis expectabant. Igitur quaerebant Pharisaei, quando splendidum illud regnum Messiae habiturum sit initium, ut iugo Romano liberati laetiorem vitam agere possent. μετὰ παρατηρήσεως) *ita ut observari possit*, i. e. cum regio splendore, triumpho, et aliis qualia expectabant Pharisaei, et nunc quoque Iudaei expectant. Nam externa pompa et maiestas, sive aliae similes res observationi aliorum patent.

21. Οὐδὲ ἐροῦσιν) *Non erit, quod dicatur.* Ita interpretandum, ne pugnet cum eo, quod sequitur comm. 23. ἰδοὺ ὧδε, ἢ, ἰδοὺ ἐκεῖ) „In illo monte aut in illo deserto, in Cyrene, in urbe Bitter [Bither, ביתר s. ביתתר, oppido Samariae, Ben-Cozbae, pseudo-Messiae clade, sub Hadriano nobilitato. Vid. *Cellarii* Notit orb. ant. T. II. L. III. Cap. 13. §. 102.] ut dicebant οἱ ψευδόχριστοι." *Grotius.* ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν) *Iam inter vos est*, hebr. בְּקִרְבְּכֶם, ἐν μέσῳ ὑμῶν. Sic etiam apud *Xenophontem* Cyropaed. L. I. ἐντὸς αὐτῶν esse dicuntur, quae aliqui intus in castris habebant. Sensus igitur est: *Regnum Dei iam inter vos versatur, et ad vos adventat.* Cf. Io. I. 26. Ortum autem erat regnum Dei

per ipsam doctrinam Iesu et Apostolorum et miracula perpetrata, quemadmodum Ioannes testabatur, *regnum coelorum adesse*, et Christus ipse dicebat, *venisse iam Eliam*, quem ut prodromum expectabant Iudaei. Potest etiam sensus esse: *Regnum Dei est in animis vestris*, i. e. doctrina de regno Dei et beneficiis, quae Deus promisit civibus huius regni, est in animis vestris. Hunc sensum verba omnino admittunt; nam particula ἐντὸς significare potest id, quod est *intra hominem*, i. e. in eius animo, cuius significatus exemplum extat Matth. XXIII, 26. ubi dicitur τὸ ἐντὸς τοῦ ποτηρίου. Sed contextus hunc sensum vix admittit. Nam Iesus hic alloquitur Pharisaeos, qui animis a regno Dei erant alienissimi. Potest tamen haec interpretatio admitti, si vertas: *regnum Dei*, sensus quem gignit doctrina de regno Dei et felicitas inde orta *debet esse in animis vestris*. Rom. XIV, 17. vel *est in quorumdam vestrum animis*. Cf. Io. XII, 42. Act. VI, 7. Ceterum vid. de voc. βασιλεία Lexx. *Wahlii* et *Bretschneideri*. Verba βασιλεία τοῦ θεοῦ h. l. intelligenda esse de *bonis piisque cultorum Dei sensibus*, monuit D. *Car. Godofr. Bauer* in Diss. *de causis, quibus nititur rectum super notione regni divini in N. T. passim obvia iudicium*. Ut hancce ingeniosam dissertationem facilius conferre possis, repetita illa est in *Commentatt. Theol.* a *Rosenmuellero*, *Fuldnero* et *Maurero* edd. Tom. I. Part. II. p. 107. sqq.

22. Ἐλεύσονται — ἴδητε) *Veniet tempus, quo optabitis me Messiam vel unum diem videre, sed non videbitis.* De appellatione filii hominis vide ad Matth. VIII, 20. *Dies Messiae* h. l. sunt dies vitae eius; dies quas in his terris vixit. οὐκ ὄψεσθε fere i. q. *non restituentur*. Sin iam de παρουσίᾳ Χριστοῦ sermo est, suppl.

suppl.: non statim, non omnes ἔψεσθε. Tempus fore dicit, quo discipuli ipsum absentem magna eum animi tristitia frustra requirant. Innuit tempus calamitatum publicarum, quo impostores omnem daturi sint operam, ut non tantum malos et seditiosos, sed et probos in suas pertrahant partes. Cf. Matth. XXIV, 24.

23. Καὶ ἐροῦσιν — διώξητε) *Et si vobis dixerint, eum* (Messiam) *vel hic vel illic adesse, nolite adire eumque sectari.* Διώκειν h. l. est *sequi, adhaerere, sectari*, quo sensu est apud Iosephum Lib. I. de B. I. c. 16. §. 7. et Latinorum quoque *persequi* interdum sensu bono usurpatur, e. g. apud Horat. Serm. I, 9. v. 16. Matth. XXIV, 23.

24. Ὥσπερ — λάμπει) *Sicut enim fulgur ex una coeli regione ad alteram celerrime fulget.* Ἡ ἀστρ. ἡ ἀστραπτ. *fulgur dum fulget.* Ἐκ τῆς, sc. χώρας, ab ortu ad occasum, ut dicitur in Matthaei Evang. οὕτως — αὐτοῦ) i. e. *talis etiam die suo erit Messias*, improviso aderit, nempe ad puniendos malos, ut patet ex Matth. XXIV, et Marc. XIII. *Dies Messiae* h. l. est tempus quo insigne opus patrat, quale erat interitus civitatis Iudaicae. Dicit igitur Iesus, se ex improviso adfore iudicem. Hic autem adventus simul laetus fuit sectatoribus Messiae; nam everso templo, et sublato cultu Levitico, magnum religionis christianae impedimentum erat remotum.

26. Καὶ καθὼς — ἀνθρώπου) *Sed quemadmodum Noachi temporibus accidit; sic accidet temporibus* (in adventu) *Messiae.* Sicut nempe aetate Noae post longam divinae bonitatis testationem secutum est iudicium conspicuum in contumaces: ita nunc post Evan-

gelii promulgationem animadvertet Deus in Iudaeos, gratiae suae pertinaces contemtores. Sed et moribus similes erunt Iudaei hominibus illis, qui ante diluvium vixerunt com. 27. sqq. Securius vivent, nec sibi aliquid metuendum putabunt. Ad sequentia vid. Matth XXIV, 38.

29. Πῦρ καὶ θεῖον) *Sulphuris* nomine hic ipsum *fulmen* intelligitur. Nam et Graeci interdum ita loquuntur, quia fulmen odorem ac vim habet sulphuream, quia ipsa vox θεῖον, si originem spectemus, ad fulmen primitus pertinuisse videri potest. Apud veteres loca etiam a fulmine tacta dicebantur θεῖα, hominumque usibus erant exemta.

30. Κατὰ ταῦτα — ἀποκαλύπτεται) *Eadem erit rerum facies, quum subito maiestatem suam manifestabit Messias.* Κατὰ ταῦτα, idem quod ὁμοίως. v. 28. Ἀποκαλύπτεται, praesens pro futuro ἀποκαλύψεται. Nimirum ad exercenda sua iudicia in contemtores regni sui. Ad v. 31. cf. Matth. XXIV, 16 — 19.

32. Μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ) *Mementote quid acciderit auxori Loti*, quae quum redire vellet in urbem, misere periit. Gen. XIX, 26.

33. Ὃς ἐὰν — ζωογονήσει αὐτήν) *Quicunque vitam suam conservare studuerit, eam amittet; qui autem eam amiserit, conservabit eam.* Sensus: Multi tamen, etsi magna cum diligentia vitam suam servare studeant, eam amittent; alii contra, de quibus iam actum esse videtur, qui in mortis periculo versantur, vitam servabunt. Nam ἀπόλλυμι significat non tantum *pereo, perdo,* sed etiam *morti addictus sum, in mortis periculo versor.*

34.

34. Ταύτῃ τῇ νυκτὶ) i. e. *In illo malo tempore*: Suidas: τὰς συμφορὰς πολλάκις νύκτας ἡ γραφή καλεῖ. Imo et Homerus eodem ipso teste, τὰ φοβερὰ νυκτὶ ὁμοῖοι. παραληφθήσεται) *E periculo educetur*, velut apprehensa manu ἀφεθήσεται) *Relinquetur* sc. communi exitio. Potest etiam sensus esse: *Unus assumetur*, nempe ab hostibus, et abducetur; *alter autem relinquetur*; i. e. hostes eum aufugere patientur. Cf. Matth. XXIV, 40.

37. Ποῦ, κύριε) *Ubinam, domine*, sc. bellicae eiusmodi calamitates erunt? Alii ποῦ interpretantur: *ubinam? quomodo? qua ratione haec evenient?* ut ποῦ idem sit q. πῶς et respondeat Hebr. אַיֵּה. ὅπου τὸ σῶμα) Vide dicta ad Matth. XXIV, 28. Aliquot MSS. habent πτῶμα, ut est apud *Matthaeum*; quo tamen opus non est; nam promiscue dicitur πτῶμα et σῶμα non solum apud Alexandrinos Interpretes, ut docet *Keuchenius* ad Matthaeum p. 96. sqq. sed etiam alios scriptores Sic etiam *corpus* pro *cadavere* apud Latinos. Ubi est praeda, inquit Christus, ibi erunt etiam qui praedam facient. In tota Palaestina ubi occasio erit praedandi, ibi erunt etiam qui utantur hac occasione.

CAP. XVIII.

1. Ἔλεγε — αὐτοῖς) Particula καὶ non obscure indicat, sequentem parabolam prioribus sermonibus Christi arctissime coniunctam, eodemque tempore pronuntiatam fuisse. Scopus huius fabulae erat, ut discipuli

exci-

excitarentur ad studium precum constanter continuandum, et exspectandum Dei auxilium. Ea vero cohortatione opus erat ideo inprimis, ut intelligerent, qua ratione calamitates, ante excidium Hierosolymitanum ipsis imminentes, levare et superare tandem debeant. Πρὸς — προσεύχεσθαι) *Eo pertinentem, quod assidue preces faciendae sint.* Vocula πρὸς cum verbis loquendi iuncta, saepe notat *de*, et *obiectum* sermonis *reale* indicat. Πάντοτε, *constanter*, h. l. non opponitur *intervallis*, quibus preces per alia negotia interrumpendas esse, res ipsa docet, sed intermissioni ex taedio et desperatione, ut ex sequenti antithesi apparet: καὶ μὴ ἐκκακεῖν. Ἐκκακεῖν autem est *animum despondere, segnem esse*, ut Gal. VI, 9.

2. Τὸν θεὸν — μὴ ἐντρεπόμενος) *Nec Deum timens, nec hominem ullum curans.* Neque Deum neque homines timere proverbiale est ad consummatissimam improbitatem denotandam. Sic *Dio Cassius* de Vitellio: οὔτε τῶν ἀνθρώπων οὔτε τῶν θεῶν ἐφρόντιζεν.

3. Ἤρχετο) *Ventitabat.* Nam Graeci frequentativa non habent. ἐκδίκησόν με) *vindica, defende me.* Ἐκδικεῖν, aut ποιεῖν ἐκδίκησιν, sicut Latinum *vindicare*, alias est *ultionem sumere*, alias *quovis modo arcere iniuriam*, qui sensus huic loco convenit.

4. Ἐπὶ χρόνον) *ad tempus, aliquantisper diu.* Nam interdum χρόνος *multum tempus* denotat, voce πολὺς subaudita.

5. Ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με) *Ne perpetuo veniens obtundet me.* Εἰς τέλος sive cum verbo ἐρχομένη sive cum ὑπωπιάζειν construas, perinde est. Male vertunt nonnulli: *tandem.* Rectius ii, qui exponunt

ponunt per *semper* vel *assidue*, h. e. identidem et indesinenter veniendo, neque interpellando, pergat mihi esse molesta. *ὑπωπιάζειν* proprie usurpatur de *pugilibus*, qui pugnis et caestibus antagonistae faciem ita tundunt et caedunt, ut livida reddatur. Hic autem translate notat: *affigere, excruciare indesinenter, vexare.*

7. Ὁ δὲ θεὸς — νυκτὸς) Post ὁ δὲ θεὸς supple ὁ δίκαιος κριτὴς, ut opponatur τῷ κριτῇ τῆς ἀδικίας. Omnia verba habent emphasin. Deus ille iustus, ille misericors, annon arcebit iniuriam ab iis quos non contemnit, sed quos diligit? ab iis, qui non molestiam ipsi exhibent sed quorum preces magni aestimat? De voce ἐκλεκτῶν vid. Matth. XX, 16. τῶν βοώντων — νυκτὸς) *Qui die noctuque* (i. e. assidue) *auxilium eius implorant.* Vid. Ps. XXII, 3. καὶ μακροθυμεῖ ἐπ' αὐτοῖς) i. e. καίπερ ἀναμένει μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς (Receptior lectio est μακροθυμῶν) *Quantumvis tardus in ulciscendis earum videatur iniuriis.* Καὶ pro καίπερ, ut Hebraeorum ו, interdum est *quantumvis.* Possumus etiam vertere: *Quanquam aliquamdiu auxilium differt.* Nam μακροθυμεῖν per se est *exspectare*, ut Iac. V, 7. Hebr. VI, 15. Deus μακροθυμεῖ ἐπ' αὐτοῖς, sc. ἐκλεκτοῖς, i. e. exspectat ratione dilectorum sibi, non illico fert opem, differt aliquamdiu auxilium. *Vater* in N. T. verba καὶ — αὐτοῖς vertit: *imo vero* (in perpetuum) *parcet?* vel: *quantumvis longanimus*, ut ad ipsam interrogationem non pertineat. Utrobique (dicit) ἐπ' αὐτοῖς ad oppressores pertinet, ut Sir. XXXII, 18. ad quem loc. respici videtur.

8. Λέγω ὑμῖν — ἐν τάχει) *Assevero vobis, vindicaturum esse eos cito*, inopinato. Non patietur Deus

Deus suos affligi impune, sed aut malis hominibus potestatem nocendi adimet, aut suos ab omnibus malis creptos in requiem aeternam transferet. Disputant docti, an haec verba ad proxima, aut interposita longa dissertatione, ad verba prioris capitis de iudicio extremo et adventu Iesu Christi respiciant. Sed non opus est longa disputatione, quum parabola modo prolata cohaereat cum praecedentibus sermonibus de adventu Christi ad iudicium in Iudaeos. Πλὴν — ἐπὶ τῆς γῆς;) *Verumtamen, quum Messias veniet, an reperturus est fidem in terra?* Num quis credet prius, eum venturum esse ultum Iudaeos, quam venerit? Putatisne, Messiam, ubi maiestatem suam manifestaturus veniet, reperturum esse multos qui ipsum exspectent, et tale quid imminere credant? πίστις h. l. non est *fides christiana*, s. salvifica, sed persuasio, venturum esse Messiam. Interrogatio non habet vim *negantem*, sed *minuentem*, non secus ac Hebraeorum interrogationes, e. c. 1. Sam. II, 15. XII, 23. Ies. LIII, 1. Sensus igitur est: *Paucos in Palaestina credituros esse eius adventum prius, quam apparuerit.* Nam ἡ γῆ sumitur strictiori sensu de terra Iudaica, ut οἰκουμένη alibi. Aliis πίστις h. l. denotare videtur *fideles*, fidem suam in Deo collocantes, abstracto posito pro concreto, aut *fiduciam* quam probi in Deo collocent, ut sensus sit: *paucissimos fore vere credentes.* Eo nempe tempore, quo Christus venit ad puniendos Iudaeos et ad propagandam latius ecclesiam suam, omnes Apostoli, si Ioannem excipias, mortui erant, Christiani autem valde affligebantur, vitam et opes amittebant. Hoc multos in dubitationem coniiciebat, num Messias doctrinam suam propagaturus esset? Qui adventum illum de adventu Christi *extremo*

ad

ad iudicium universale, atque adeo fidem de *salvifica* in Dominum, ut redemtorem, inter homines tum deficiente, interpretantur, ii vix habebunt, quo causam suam tueantur, si contextum consulant. De controversia inter theologos nostrae ecclesiae de sensu huius loci olim agitata, nominatim inter *Aug. Pfeiferum* et *Philip. Iac. Spenerum* vid. *Wolfium* in curis ad h. l.

9. Εἶπε δὲ — παροβολὴν ταύτην) *Enarravit autem etiam nonnullorum causa, quibus persuasum erat, se esse probos, aliosque contemnebant, hanc parabolam.* Πρὸς hic sumitur ut supra v. 1. Agitur hic de ea fiducia, quam multi plus aequo sibi placentes, in virtutibus saepe falso creditis, ponunt; qua re impediuntur, ne dimisso animo ad divinam misericordiam fugiant. Ostendit nempe Christus, plerumque turpiter falli eiusmodi homines. ὅτι εἰσὶ δίκαιοι) i. e. *quasi probi essent*, aut, *eo quod probi sint*, sua scilicet existimatione. Utramque enim interpretationem verba recipiunt, et sensus in idem recidit καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς ἄλλους) Consequens enim est, ut aliena deprimat, qui sua miratur.

10. Εἰς τὸ ἱερὸν) Quod is locus ad preces fundendas acceptissimus Deo crederetur. ὁ εἷς τελώνης) Pharisaeo, tanquam exemplo hominis nimium sibi placentis opponitur portitor, ut opposita iuxta se posita magis elucescant.

11. Σταθεὶς — προσηύχετο) *Sic apud se orabat*, sic tacitus preces fundebat. Verba πρὸς ἑαυτὸν coniungenda sunt cum προσηύχετο, sicut alias eaedem voces iungi solent verbis διελογίζοντο, συνελογίζοντο, εἶπον πρὸς ἑαυτούς, ut Luc. XII, 17. III, 15. Marc. XI, 31. XII, 7.

X,

X, 28. XVI, 3. Alii πρὸς ἑαυτὸν iungunt participio σταθεῖς, ut sensus sit: *seorsim stabat.* Sed πρὸς ἑαυτὸν pro *seorsim*, vel *solus* nunquam occurrit. Ergo nec locum habet eorum sententia, qui verbis σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν, indicari volunt, Pharisaeum eo etiam prodidisse animum arrogantem, quod in loco remotiori, seorsim a reliqua turba precantium stetisset, vel quod in atrio Israelitarum stans, cum contemtu oculos coniecisset in portitorem in atrio gentilium preces fundentem. Accedit quod mos id ferebat, ut publicani plerique in atrio Gentilium, Pharisaei in atrio Israelitarum starent; nihil igitur in eo erat insolitum, aut Pharisaeo imputandum. σταθεῖς autem est merus idiotismus, ut infra c. XIX, 8. et aliis locis. ἅρπαγες, qui per vim, ἄδικοι, qui specie iuris, et fraude aliis iniuriam faciunt. — Egregium praeconium sane: quasi vera bonitas sit, pessimis meliorem esse. Seneca praefat. Lib I. Natur. quaest.: *Quid est cur suspiciamus nosmet ipsos, quia dissimiles deterrimis sumus?*

12. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου) σάββατον hic et alibi *totam septimanam* significat, quae ita vocatur a *praecipuo* die. Sermo est de ieiuniis non publicis sed privatis. Δὶς, diebus secundo et quinto; die *Iovis* ieiunasse dicuntur Pharisaei in memoriam Mosis, montem, ad petendas inde legis tabulas eo die ascendentis, die *lunae* vero in recordationem eiusdem, eo die de monte, cum venia fusi vituli aurei a Deo impetrata, descendentis. Ceterum Christus non simpliciter damnat ieiunia, sed hypocrisin damnat Pharisaeorum, qui toti in ritibus occupati negligebant potiora. Ἀποδεκατῶ πάντα ὅσα κτῶμαι) *Decimam solvo omnium quae possideo.* Pharisaei legem de solvendis decimis Num. XVIII, 21 sqq.

sqq. extendebant satius ad ea quoque quae controversi sunt iuris, sc. minora olera, ova, lac, caseum etc.

13. Μακρόθεν ἑστὼς) *Procul stans*, in atrio gentilium, si paganus fuit, aut si fuit Iudaeus, in atrio quidem Israelitarum, (nam multi portitores *Iudaei* fuisse videntur,) sed paulo procul a Pharisaeo. οὐκ ἤθελεν — ἐπᾶραι) Oculos in terram defigere et caput submittere solent *tristes*, et homines, qui malefactorum conscientia, pudore et poenitentia tanguntur. ἔτυπτεν εἰς τὸ στῆθος αὐτοῦ) *Pectus tundebat.* Qui gestus accusantium. τῷ ἁμαρτωλῷ) Articulus τῷ h. l. habet emphasin τῷ καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλῷ. Ps. LI. Esr. IX, 6. ὁ θεὸς attice, pro ὦ θεέ, ut v. 11.

14. Κατέβη — ἐκεῖνος) *Hic domum suam rediit absolutus a peccatis*, Deo probatus, *ille vero non.* Δικαιοῦσθαι ut hebr. הצדיק *absolvi, probari.* De huius verbi significatione vid. notata ad Rom. III, 20. Sensus est, (ut *Grotius* recte monet,) magis probatam fuisse Deo humilem portitoris, quamvis in peccata prolapsi, deprecationem, quam externam illam Pharisaei (alios ἐξουθενοῦντος, v. 9.) sanctimoniam, cum superba quadam confidentia coniunctam. Pro ἢ ἐκεῖνος nonnulli legunt ἤπερ ἐκεῖνος, al. ὑπὲρ ἐκεῖνον, al. μᾶλλον παρ' ἐκεῖνον τὸν Φαρισαῖον, alii denique ἢ γὰρ ἐκεῖνος. Sensus est: Pharisaeum non esse consecutum veniam peccatorum, vel Dei approbationem. Est enim ellipsis τοῦ μᾶλλον, et more hebraeo per comparationem exprimitur negatio. Quanquam nec Graeci abhorrent ab isto dicendi genere. Sic *Homerus*: βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἐμμέναι, ἢ ἀπολέσθαι, i. e. οὐκ ἀπολέσθαι. Ad sequentia vide Matth. XXIII, 12.

15. sqq. Quae huc pertinent vide ad Matth. XIX, 13. sqq.

34. Οὐδὲν τούτων συνῆκαν) Certa scilicet comprehensione. Verborum facilis erat intellectus; sed quomodo ea congruerent cum vaticiniis de Messia proditis, receptisque ea de re opinionibus, videre non poterant. Itaque credibile est, eos interdum in dubitationem esse adductos, annon ista allegorice dicerentur.

CAP. XIX.

1. Καὶ — Ἰεριχώ) *Deinde per urbem Hierichuntem transiit.* Participium εἰσελθὼν redundat.

2. Ἀρχιτελώνης) *Portitorum magister*, *Oberzollcinnehmer.* ἀρχιτελώναι a societatibus portitorum constituebantur ex suo corpore, ut curam haberent omnium rerum et rationum ad societatem pertinentium: et quasi praefecti societatis erant. Non erant *publicani.* Hi enim erant equites Romani, nobili genere oriundi, iique locupletissimi, qui totius provinciae vectigalia redimebant. Unusquisque horum publicanorum, societatis magister dictus, per provinciam, cuius vectigalia redemerat, alium mittebat *pro magistro* dictum, qui illius vicem curabat, libellos rationum reddendarum conficiebat, et totius provinciae vectigalia curabat. Vid. *Cicer.* contra Verrem Lib. II. c. 70 — 74. Talis *pro magistro* fuit *Zacchaeus.* Non paganum, sed Iudaeum eum fuisse, ex ipso nomine, quod Hebraeo זַכַּאי (a verbo זָכַךְ *purum esse*) respondet, colligit *Casaubonus* Exercitatt. Anti-Baron. p. 269. Administri eius, qui *pro magistro* dicebatur, erant portitores, qui in tabernis sedebant, et singula vectigalia exigebant. Vid. notata ad Matth. IX, 10.

3. Τίς ἐστι) *quis esset*? Fama notum vultu noscere cupiebat. ἀπὸ τοῦ ὄχλου) *prae turba*. Nam praepositio ἀπὸ h. l. Hebraeorum מ respondet. Sed et apud Philonem eo sensu occurrit. Vid. *Loesn.*

4. Προδραμὼν — συκομωρέαν) *Praecurrens conscendit sycomorum*. Συκομωραία, συκόμορος, συκάμινος, συκομορέα, eandem arborem significant, quae et μόρος et μορέα. Habet folia mori et fructus ficus. Depicta extat haec arbor in *Nordens Reise* Tom. II. Num. 38. δι' ἐκείνης) sc. ὁδοῦ. Quod illac transiturus esset, sc. urbem, v. 1.

5. Σήμερον ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι) *Divertam apud te hodie*; fortassis ob Sabbatum instans, quo iter persequi non licebat. Talem honorem Zacchaeus vix exspectaverat; neque ulli unquam condixit Christus non vocatus, nisi ei, qui prae verecundia vocare non audebat.

7. Καὶ ἰδόντες — καταλῦσαι) *Quo viso omnes indignabundi fremebant, quod apud hominem improbum devertisset*. Notum est paganos saepe κατ' ἐξοχὴν ἁμαρτωλοὺς nuncupatos esse. Hoc autem loco, ubi de Iudaeo sermo est, ἁμαρτωλὸς significat hominem sordida negotia tractantem, hominem, qui ingenio et moribus paganum refert.

8. Εἴ — ἐσυκοφάντησα) *Si quem defraudavi* Συκοφάντης est, qui praetextu legibus inserviendi, suis commodis velitatur. Notum συκοφάντας Athenis dictos, qui indicabant eos, qui *ficus* ex Attica deportassent. (Vetitum enim erat olim σῦκα ἐξάγειν ἐκ τῆς Ἀττικῆς, τοῦ Φυτοῦ κατ' ἀρχὰς θαυμαζομένου.) Usus deinde obtinuit, ut generatim quilibet συκοφαντεῖν diceretur, qui occasio-

occasione muneris sui ansam capiebat ad plus iusto extorquendum; quod et hodie haud raro facere solent, qui vectigalibus publicis exigendis praesunt. Ita optime ad usum Graeciae τὸ συκοφαντεῖν publicanis convenit, qui quod alterius, vel alienum erat, dolosis artibus suum facere, et per calumnias fraudulenter ad se rapere didicerant. Latius huius verbi usus patet c. III, 14. ἀποδίδωμι τὸ τετραπλοῦν) *Restituam ei quadruplum.* Lege Mosis debebat duplum aut quadruplum restituere, qui coram iudice furti convictus atque damnatus fuisset: qui vero ipse ultro peccatum suum agnovisset, simplum solvebat, quod abstulerat. Ex. XXII, 1. 9. *Zacchaeus* autem paratus erat non tantum iniuste acquisita restituere, sed et insuper poena triplici se damnabat. Ceterum hoc, quod is ultro faciebat, non habet rationem legis. Restituendum quidem est, quod quis per fraudem acquisivit, si fieri potest, sed *quadruplum* nemo reddere tenetur. *Paulus* in Comment. ad h. l. contendit, Zacchaeum fuisse hominem probum, et ab omni fraude alienum, qui quum invidiosorum hominum criminationem (v. 7.) audivisset, recta probitatis conscientia Iesum alloqueretur his verbis: „quoniam tanta mihi hodie laetitia contigit, dimidiam partem bonorum meorum pauperibus dabo, et si quid aliquem defraudavi, reddam quadruplum.“ Sed huic coniecturae ipsa verba Christi obstant: ἦλθε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός. τὸ ἀπολωλὸς *Paulus* vertit *das Vernachlässigte*; contra huius voc. in Christi sermonibus usum. Ἰδοὺ κ. τ. λ. non verba ἑαυτὸν δικαιοῦντος, sed inde ab hoc die id se facturum spondentis esse, atque haec τῇ Iesu διδαχῇ deberi videntur.

9. Πρὸς αὐτὸν) *De illo;* non illum alloquens, sed de illo loquens, vel ad discipulos, vel ad populum qui ad

ia-

ianuam stabat. Ὅτι σήμερον — ἐγένετο) *Hodie huic familiae salus contigit.* Excitatus nempe Zacchaeus conversatione et sermonibus tanti magistri, ad frugem redire atque cum suis aeternae suae saluti consulere coepit. Οἶκος, *familia,* ut saepe, h. l. autem inprimis *Paterfamilias*, ad quem revertitur oratio: καὶ αὐτὸς. καθότι — ἐστιν) Sensus esse videtur: Homo iste, quamvis antehac ob mores pravos indignus, qui Abrahami nepos diceretur, iam per poenitentiam ius dignitatis pristinae recuperavit, natalibus quasi redditus apud Deum, ac proinde non minus nepos Abrahami censendus in posterum, quam qui optimo iure. Erat enim Iudaeus quidem, sed hactenus fuerat ἁμαρτωλὸς, vivens ἀνόμως Si vero Zacchaeus fuit homo paganus, quales erant plerique portitores, quod tamen verisimile non est; tropice haec erunt capienda: tractatur a Deo ac si esset filius Abrahami. Cf. Io. VIII, 39. ubi Iesus docet, Abrahami nepotem esse τὸν τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ποιοῦντα.

10. Ἦλθε — ἀπολωλός) Cf. Matth. XVIII, 11. Hoc Iesus eo consilio hic addidit, ut ostenderet, non esse alienum a persona dignitateque Messiae, cum huiusmodi hominibus consuescere, et apud eos divertere.

11. Ἀκουόντων — παραβολὴν) *Quum haec illi* (αὐτῶν indefinite, ut saepe) *audirent, addidit hanc fabulam.* Ταῦτα sunt, quae Iesus in domo Zachariae dixerat. Προσθεὶς εἶπε, i. e. *porro dixit.* Διὰ τὸ — ἀναφαίνεσθαι) *Quod iam prope Hierosolyma esset, et illi existimarent, regnum divinum extemplo institutum iri.* Ἀναφαίνεσθαι, *in lucem edi, apparere, adspectabili modo adesse.* Qui Iesum tum audiebant, in ea erant opinione, eum confestim ostensurum esse se in maiestate sua et regio splendore, ut libertatis publicae vindicem

et

et assertorem. Dixerat nempe Iesus v. 10. se ideo venisse, ut miseros redderet felices. Hinc audientes haec (ταῦτα) concipiebant spem, fore, ut iis mox externo quodam modo opem ferret, eosque a iugo illo dominii Romani liberaret. Ipse autem hac parabola docet, se prius abiturum ex his terris, et plura demum post secula e coelo rediturum. Ceterum etsi haec parabola et in multis rebus ornatum spectantibus et in applicatione differt ob ea, quae Matth. XXV, 14. sqq. narratur: verba tamen sunt tam similia, ut vel diversae eiusdem sermonis sint expositiones; vel si diversorum, altera alterius respectu facta.

12. Ἄνθρωπός τις — ὑποστρέψαι) *Homo quidam nobilis profecturus erat in regionem longinquam, ut impetraret regnum.* Sistitur in parabola nobilis, qui proficiscebatur ad regem, ut ab eo impetraret facultatem imperandi iis, inter quos hactenus, ut inter concives versatus erat. Hoc consilio abiit, ut paulo post, ampliore dignitate auctus, reverteretur. εὐγενὴς LXX. ponunt pro נְגִיד, *princeps.* Repetenda esse videtur parabolae huius ratio ex moribus, post Herodis tempora in Iudaea receptis. Reges enim Iudaeorum non sine impetrato Romani Imperatoris consensu, imperium in suos capessere poterant, quemadmodum Herodes ipse Romam eo consilio abiit, ut impetraret eiusmodi potestatem. *Ioseph.* Antiqq. XIV, c. 14. Successores Herodis idem fecisse, constat ex eodem *Iosepho*, XVII, c. 5. Sic Christus peracto munere in his terris profectus est in coelum, ad summam gloriam et maiestatem evectus; rediturus est autem in fine huius mundi distributurus cuique sortem aeternam pro suis factis.

13.

13. Καλέσας — μνᾶς) *Advocatis autem decem servis suis* (ante profectionem) *dedit decem minas, iisque ait: Negotiamini dum venio.* Sic Christus ante abitum et discipulos ad munus docendi Evangelium instruxit, et nunc aliis dona varie distribuit. Numerus denarius in accommodatione parabolae est tantum multitudinis index. Μνᾶ, contracte μνᾶ, varii valoris fuit apud diversas gentes. Mina Attica continebat centum drachmas; (drachma autem respondebat pene denario Romano, et tribus circiter grossis nostris) ut adeo XIII. thal. exaequaret. Vid. *Eisenschmidt de ponderibus et mensuris.* p. 48. *Michaeli* ad h. l. minime probabile videtur, regiam gazam in decem partes distributam, adeo exiguam summam confecisse; hinc suspicatur, eum, qui primus hanc parabolam ex Hebraeo idiomate in linguam Graec. transtulisset, confudisse voc. מָנִים, *minae* et מָנוֹת, *portiones;* igitur sensum esse putat hunc: *rex gazam suam in decem partes divisam, decem servis dedit.* At vero in parabola ὁ εὐγενὴς nondum vocatur *rex*, sed regnum aditurus, neque narratur, eum *totam* gazam servis distribuisse; ipse potius v. 17. dicit: ὅτι ἐν ἐλαχίστῳ πιστὸς ἐγένου. Verbum πραγματεύεσθαι denotat *res et negotia gerere*, vel rebus et negotiis gerendis occupari. Hic autem est *negotiis quaestuosis* καὶ χρηματιστικοῖς *occupari*, *in aliqua re ad lucrum negotiari*, *pecuniam collocare*, ut ἐργάζεσθαι, Matth. XXV, 16. coll. v. 27. Omnibus modis illud agendum, ut quam quisque dotem habet, ea recte utatur, ad lucrum Domini. Quanquam enim Christus Dominus noster nullius rei est indigus, pro sua tamen erga genus humanum charitate sitit omnium

 salutem,

salutem, magnoque sese lucro auctum existimat, si homo per hominem resipiscat a vitiis, et ad verae pietatis studium convertatur, ut habeat quod in utroque remuneretur, et eo qui iuvat beneficio, et eo qui se iuvari passus est.

14. Οἱ δὲ — ἐφ' ἡμᾶς) Tale quid acciderat iis temporibus in ipsa Iudaea. *Archelaus* enim heres regni ab Herode constitutus, regia dignitate frui non poterat ante, quam potestas ipsi ab Imperatore Augusto fieret. Propterea Romam ad eum proficiscitur. Sed intercedebant consiliis eius *cives eius*, qui missis quinquaginta deputatis ab Augusto contendebant, ne Archelaus sibi praeficeretur. *Ioseph.* antiqq. L. XVII, c. XI. Accommodatio ad rem praesentem est facilis: Iudaei, qui inprimis Messiam omnibus modis colere, et in vindicando eius regno ei adesse debebant, non solum nullam opem addiderunt, verum etiam obstiterunt, quod is adversaretur ipsorum pravis cupiditatibus. Οἱ πολῖται (cives et concives) αὐτοῦ, *populares eius*. Illud de legatione additur ad dilatandam et ornandam narrationem.

15. seqq. Ad haec et sequentia cf. dicta ad Matth. XXV, 19. sqq.

17. Ἔπανω δέκα πόλεων) Praefectura hic non laboris, sed *honoris* habet significationem.

20. Ἰδοὺ — ἐν σουδαρίῳ) *En*, *minam tuam*, *quam sudario reconditam servavi*. Latini *sudarium* usurpant pro *linteo*, *quo sudor faciei detergitur et nares purgantur*. A Latinis vox ista transiit non modo ad Graecos, ut docet nos Pollux, sed et in *Syriacum* et *Iudaicum idioma*, sensu nonnihil producto extra originem, ut סוּדָר vel סוּדָרָא *linteum quodvis* significet.

21.

21. Αὐστηρὸς metaphor. ponitur de *homine moroso, acerbo;* eodem sensu, quo σκληρὸς Matth. XXV, 24. αἴρεις — ἔσπειρας) *Repetis, quae non deposuisti; metere vis, ubi semina non mandasti agris.* αἴρειν, *tollere*, h. l. *repetere.* Τιθέναι, *deponere aliquo loco, ut Wetstenius* ad h. l. et *Vorstius* de adagiis N. T. docuerunt. Quamvis hoc ut proverbialiter dictum, de qualibet iniusta ablatione rei alienae accipi possit, proprie tamen valet de eo, qui res ab aliis amissas, si invenerit, sibi vindicat. Aelian. V. H. IV, c. 1. *Vir Byblius, si in via in aliquid inciderit,* οὐδὲν ὧν μὴ κατέθετο ἀναιρεῖται, *nihil tollit, quod non deposuit.* Cf. Matth. XXV, 24.

22. Ἐκ τοῦ στόματός σου) Proverbiale. Matth. XII, 37. ἐκ τῶν λόγων σου καταδικασθήσῃ. Sensus est: *Arripio, quod dicis,* Cic. Vetr. 7. *Tua te oratione accuso. Tuo te gladio iugulas.*

23. Διατί — ἐπὶ τράπεζαν) *Quare non locasti pecuniam meam mensariis?* Nam τράπεζα saepe ponitur pro mensario. Matth. XXV, 27. βαλεῖν τοῖς τραπεζίταις. Καὶ ἐγὼ — αὐτό) *Ut reversus cum foenore exegissem?* Πράσσειν, *exigere*, quo sensu etiam apud profanos occurrit.

24. Τοῖς παρεστῶσιν) *Ministris suis.* Ad sequentia cf. Matth. XXV, 28. sqq.

28. Ἐπορεύετο ἔμπροσθεν) *Ducis in morem ante turbam gradiebatur.* Ita *Beza*, *Grotius*, aliique, ut sensus sit, Christum alacriter ad mortem pergentem timentibus discipulis praeivisse. Sed vide quae *Kypke* ad h. l contra monuit, qui vertit: *ulterius progrediebatur, iter suum continuabat.* Ad sequentem narrationem v. 29. sq. vid. notata ad Matth. XXI, sqq.

33. Οἱ κύριοι αὐτοῦ) Vel revera plures, vel indefinite, cum nesciretur, cuius ex adstantibus esset asinus. Potest vero etiam esse pluralis excellentiae. Exempla vid. Matth. II, 20.

37. Πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους) Ubi iam ante oculos erat urbs regia. πλῆθος τῶν μαθητῶν) Qui scilicet miraculis excitati e Galilaea Christum sequebantur. Voc. μαθηταὶ h. l. sensu latiori accipiendum est.

38. Εἰρήνη ἐν οὐρανῷ καὶ — ὑψίστοις) εἰρήνη, שָׁלוֹם, felicitas. Simplicissima explicatio esse videtur: Prosperitas regis Messiae regnique eius in coelo procuretur, a Deo, qui summis laudibus celebretur. Cf. II, 14. ἐν οὐρανῷ id. valet, quod ἐν ὑψίστοις.

39. Καὶ τινες — μαθηταί σου) *Nonnulli ex multitudine, Pharisaeis addicti, dicebant: Obiurga discipulos tuos*, i. e. Ne patiaris aures tuas titillari huiusmodi elogiis et acclamationibus. Pharisaei ex multitudine non sunt Rabbini, sed homines plebeii Pharisaeorum placitis addicti.

40. Ὅτι — οἱ λίθοι κεκράξονται) i. e. *Non potest fieri, ut doctrina et miracula mea non agnoscantur. Malignorum in ea re aestimatorum silentium vel a lapidibus redarguetur.* Proverbiale et hyperbolicum loquendi genus, quale et apud profanos haud raro occurrit. *Ovid.* Metam. II. 697. *Tutus eas; lapis iste prius tua furta loquetur. Virgil.* Ecl. V, 28. *Montesque feri silvaeque loquentur.* Ubi *Servius*: hyperbolice dictum, quum res eiusmodi est, ut nulla ratione celari, aut occulta manere possit. Hic igitur Iesus, morti proximus, publice et ingenue fatetur, se merito a populo

pulo applaudente pro Messia habitum esse. Hoc antea non fecerat.

41. Ἰδὼν — αὐτῇ) *Quum propius accessisset* (Hierosolyma) *intuitus urbem, deploravit eius sortem.*

42. Λέγων — ὀφθαλμῶν σου) *Dicens: si vel tu considerares hoc saltem tuo tempore, quae facerent ad salutem tuam,* (bene se haberet,) *sed ea non intelligis.* λέγων ὅτι) Illud ὅτι est αἰτιολογικὸν τοῦ σιωπομένου, ostendit enim, reddi a Christo causam fletus. εἰ ἔγνως) Τὸ εἰ plerique interpretes volunt esse optantis, et vertunt: *utinam. Pricaeo* videtur esse sermo defectivus, et supplendum: non tam secure dormires in peccatorum veterno; vel (ut Matth. XI, 21.) poenitentiam in cinere et cilicio ageres. *Donatus* in Terentii Eunuch. III, 3. *Conceditur secum loquentibus multa transcendere, quae tacite intelligunt.* καὶ σὺ) Vel tu, urbs illa supra omnes terrae urbes Deo dilecta, urbs Davidis, urbs regia, urbs sacris dicata, quae tot iam prophetas occidisti, et in me tam graviter peccasti. καὶγε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ) Si non hactenus, nunc saltem, *die tuo*, i. e. tempore *adhuc* tibi opportuno, laeto et fausto. Sic *Polybius* XVII, 18. βασιλεῦ, φεύγουσιν οἱ πολέμιοι, μὴ παρῇς τὸν καιρὸν, οὐ μένουσιν ἡμᾶς οἱ βάρβαροι, σὴ νῦν ἐστιν ἡμέρα, σὸς ὁ καιρὸς. *Seneca* Medea: *Meus dies est; tempore accepto utimur. Statius* Sylv. II, 7. 20. Vestra est ista dies, favete Musae. τὰ πρὸς εἰρήνην σου) Sc. ὄντα, s. ἀνήκοντα. *Quae ad salutem tuam pertinent;* quomodo possis effugere calamitatem tibi imminentem. νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου) i. e. *latent te,* ignorantia nimirum inexcusabili, quia lucem oblatam, imo ingestam, fastidiose respuis.

43.

43. Ὅτι ἥξουσιν — χάρακά σοι) *Veniet tempus, quo hostes tui circumiicient tibi vallum.* Καὶ h. l. per *quum*, sive relative *quo* vertendum est. Formula loquendi ἥξουσιν ἡμ. ἐ. σε exprimit improvisam mali adreptionem. Χάραξ *vallum* significat, quo et castra et urbes circumdari solebant; at saepe quoque synecdochice ponitur pro *castris*. Manifesto autem hic praedicitur obsidium Hierosolymorum per Romanos, qui prius aggere ex lapidibus arboribusque structo urbem cinxerunt. *Ioseph.* B. I. V. 6. 2. Iudaei vero per cuniculos ignem immittentes, comburebant aggeres; quapropter *muro totam urbem cingere coeperunt Romani*, quod hic dicitur καὶ περικυκλώσουσί σε, *et obsidione te cingent.* Cf. l. c. cap. 12. §. 1. καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν) *Te undique affligent, prement*, vel potius, *obsidione cingent;* nam propria huius verbi significatio esse videtur: undique *circumdare, cohibere, coërcere*; unde apud Iosephum συνοχή, *ambitus, quo aliquid undique circumdatur.* Verba sunt cumulata ad depingendam obsidionis gravitatem.

44. Ἐδαφιοῦσί σε) i. e. ἕως τοῦ ἐδάφους ἀροῦσί σε, *delebunt te funditus;* est enim ἔδαφος *solum et pavimentum*, et dicitur hoc de urbe. Vulgatus: *et ad terram prosternent te.* καὶ τὰ τέκνα σοῦ ἐν σοί) τέκνα Ἱερουσαλὴμ sunt *incolae;* et est in his verbis Syllepsis; nam paullo aliter τὸ ἐδαφίζεσθαι de *urbe* dicitur, quae *solo aequatur*; aliter de hominibus, qui *solo alliduntur*, Ps. CXXXVII, 9. aliisque locis. De strage ista legendus est *Iosephus.* καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ) *Neque lapidem super lapide relinquent.* Mos loquendi proverbialis et hyperbolicus, quo *summa vastatio* intelligitur. Ἀνθ' ὧν — ἐπισκοπῆς σου) *quoniam*

quoniam agnoscere noluisti tempus oblatae tibi salutis. Ἀνθ' ὧν, *propterea quod*, ut Luc. I, 20. Ἐπισκέπτεσθαι inter alia significat *opem ferre*, *beneficia tribuere.* Hinc ἐπισκοπὴ hoc quidem loco *salus*, *beneficiorum collatio*, et καιρ. τ. ἐπισκ. est illud ipsum tempus, quo Iesus in his terris versabatur, et Iudaeis salutem offerebat. Ad v. 45. 46. vid. dicta ad Matth. XXI, 12. sqq.

48. Ὁ λαὸς γὰρ ἅπας ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων) *Totus populus pendebat ab eo, eum audiens.* Post ἀκούων supplendum αὐτοῦ. Magna huius formae loquendi vis est, ut nimirum declaretur, populum, captum divina Christi non tantum docendi ratione, sed et dicendi suavitate, tanto studio et assiduitate audivisse eius sermones, ut ex eo pendere videretur. Latinis etiam *pendere* dicuntur, qui summa cum attentione audiunt. Virgilius: *Pendentque iterum narrantis ab ore.*

CAP. XX.

1. Ἐπέστησαν οἱ ἀρχιερεῖς) Ἐπιστῆναι τίνι etiam hanc habet vim, ut denotet, *praeter opinionem*, *improvisum advenire*, ut *Gronov.* ad Arrian. II, 3. observat. Hanc vim id verbum aliquoties habet etiam apud *Philonem* et *Iosephum*, ut patet ex locis a Krebsio et Loesnero allatis. σὺν τοῖς πρεσβυτέροις) *Una cum Synedrii assessoribus.* Hac descriptione indicatur, eos misisse legationem ad Christum. Ad sequentia vid. notata ad Matth. XXI, 23. sqq.

16. Explicatius haec leguntur in Matth. XXI, 41. 43. Quae ibi non adduntur: μὴ γένοιτο (in Vers. Alex. Hebr.

Hebr. חֲלִילָה), non resipiscentium ad Deumque cuncta referentium videntur esse, sed haec factum non iri et sperantium et contendentium; nam v. 17. 18. Iesus pergit comminari et exhortari.

19. Πρὸς αὐτούς) *de ipsis*, i. e. quod illa similitudine ipsos petiisset.

20. Παρατηρήσαντες — ἐγκαθέτους) *Igitur accurate observantes* (eum: sc. quid dicturus esset) *miserunt insidiatores.* Ponitur παρατηρεῖν hoc loco in vitio. ἐγκάθετος (ab ἐν et κάθημαι, *sedeo*) proprie: subsidens in loco occulto insidiarum faciendarum causa; deinde: *subornatus ad insidias faciendas*, *subornatus insidiator*, clam adrepens ad nocendum. Hebr. אֹרֵב, Iob. XXXI, 9. Suidas: ἐγκάθετος, δόλιος, κατάσκοπος. ὑποκρινομένους — εἶναι) *Qui se bonos simularent.* Δίκαιοι nempe sunt ἀγαθοὶ, χρηστοὶ, *sine dolo*, *pietatis studiosi.* Simulabant, se esse, ut dici solet, tenerae conscientiae, qui proinde de quaestionibus omnibus, ad conscientiam pertinentibus, plene cuperent edoceri. ἵνα — λόγου) *Ut carperent*, *s. reprehenderent eius sermonem.* Genitivus αὐτοῦ vel transpositus est, et ἐπιλάβωνται ad vocem λόγου pertinet, vel et personae et rei genitiv. ponitur, ut v. 26. τῇ ἀρχῇ καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος) Periphrastice: *praesidi et magistratui*, *penes quem erat summa potestas.* Quum de sacris controversiae ad opprimendos innocentes non sufficiunt, solent quaedam captari ad rempublicam pertinentia.

21. Ὀρθῶς λέγεις καὶ διδάσκεις) Quae in sacerdotes et scribas modo dixisti, vera et certa sunt; recte iu-

iudicasti; in tuam concedimus sententiam. *οὐ — πρόσωπον*) *nec personam respicis*; i. e. hominum potentiam, cf. Lev. XIX, 15. נָשָׂא פָנִים.

23. Τὴν *πανουργίαν*) *astutiam*, *calliditatem*. Interdum in bonam partem sumitur pro *solertia*, plerumque autem, ut hic, in malam.

25. Ἀπόδοτε — *θεῷ*) Num theocratiae conveniret, tributum dari ethnico imperatori quaestio erat. Declaratur, alterum altero non impediri; posse Iudaeos Caesari tributum solvere *pro capite* et *fundo* (*φόρον*) et tamen Iehovam dominum suum habere et si vellent revera colere.

26. Καὶ *οὐκ* — *λαοῦ*) *Non potuerunt sermonem eius calumniari coram populo.* Ἐπιλαμβάνεσθαι hic, ut v. 20. est *carpere*, *calumniari*.

27. Οἱ *ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι*) *Qui resurrectionem esse negabant. Thucyd.* L. III, 41. *ἀντέλεγε μὴ ἀποκτεῖναι*, *negavit occidendos esse.* Ex idiotismo linguae graecae, in qua post verba negandi et prohibendi *μὴ* et *οὐ* saepe vacant. Ad hoc et sequentia commata vid. Matth. XXII, 23. sqq.

34. Οἱ *υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου*) *Qui vitam hanc mortalem agunt;* qui in hoc seculo vitam agunt animalem, in quo vicissitudo nascentium et morientium perpetua est. Amplior h. l. est huius phraseos notio, quam Luc XVI, 8. Ibi enim ii tantum indicantur, qui res mundanas solum curant, coelestium incuriosi; hic vero omnes ii promiscue qui in his terris versantur, sive boni sint sive mali.

35. Οἱ δὲ καταξιωθέντες: — ἐκγαμίσκονται) *Sed quibus beatitudo in vita illa futura contigerit, ii neque uxores ducunt, neque nubunt.* Verbum τυχεῖν hic eleganter, sed pleonastice ponitur, ut exemplis probat *Lambertus Bos* in Exercitatt. p. 48. Ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν hic non ipsum actum resurrectionis, sed ea potius denotat, quae resurrectionem consequentur, atque adeo hic idem est, ac si inverso ordine legeretur: οἱ καταξιωθέντες τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν καὶ τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν.

36. Ἰσάγγελοι γάρ εἰσι) Vox ficta ad similitudinem ἰσοθέου. Bene autem dixit ἰσαγγέλους, quia angeli in sacris litteris filii Dei vocantur, ob divinae felicitatis et gloriae participationem. Cf. Matth. XXII, 30. καὶ υἱοὶ εἰσὶ (i. q. ἔσονται) τοῦ θεοῦ) *Atque adeo erunt Dei similes.* Hoc ita accipiendum esse e contextu apparet. Non morientur, neque igitur procreatione sobolis opus est; erunt enim Spirituum, angelorum, adeoque Dei similes. Ut Deus non habet corpus quod destrui potest, sic et hi non habebunt tale corpus. τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες) i. e. *quum tales sint, qui iam resurrexerunt*; quum resurrectionis et beatitudinis aeternae iam sint participes. Υἱοὶ τῆς ἀναστάσεως hic non alii sunt, quam ipsi οἱ ἀναστάντες, per Hebraismum.

37. Ἐπὶ τῆς βάτου) Brevis locutio, i. e. ubi illam de *rubo* narrat historiam. ὡς λέγει κύριον) Narrando scilicet, quod Deus dixerat.

38. Πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν) i. e. *Omnes toti ab ipso pendent.* Phrasis *Deo vivere*, multa continet, sc. pendere a Deo; ad voluntatem Dei vivere etc. Quia

omnes

omnes homines a Deo pendent, ergo potest etiam mortuos considerare ut vivos, eosque revocare in vitam. Cf Mtt. XXII, 31. sqq. Ad locum v. 41 — 44. cf. Mtt. XXII, 41. sq. ad v. 45—47. cf. Mtt. XXIII, 6. 14.

47. Προφάσει) i. e. εἰς πρόφασιν, ut praetextum aliquem habeant emungendi homines, longas preces concipiunt, atque id scilicet aliis imputant.

CAP. XXI.

1. Ἀναβλέψας — πλουσίους) *Suspiciens vidit divites dona immittere sacris cistis.* Consederat nempe Iesus e regione aerarii sacri. Ἀναβλέπειν, *aufsehen.* Τὰ δῶρα τοῦ θεοῦ vocat ipsum gazophylacium, in quod ea mittebantur, quae Deo donabantur. Ideo vocatur *Corban* i. e. *donum*, ex re contenta. Possis etiam vertere: ad reliqua dona, quae in fiscum templi, Deo dicati, mittebantur. Cf. Marc. XII, 41. sqq.

5. Ὅτι λίθοις — κεκόσμηται) *Quod egregiis lapidibus et donariis ornatum esset.* Ἐκ λίθων λευκῶντε καὶ πολυτελῶν καὶ ὡραιερῶν, ut Iosephus loquitur, in *Archaeolog.* Lib. XV, c. XI, 3. Ἀναθήματα sunt quaelibet *munera* s. *dona*, quae Diis, vel vero Deo dicabantur. De his donariis multa loca Veterum habet *Wetstenius.* Inter ἀναθήματα templi Hierosolymitani erat mensa, donata a *Ptolomaeo*; sed maxime eminebat vitis illa aurea, cuius et Tacitus meminit, ab *Herode M.* donata templo. Ad totum, qui sequitur, locum cf. Matth. XXIV, 1. sqq. et Marc. XIII, 1. sqq.

6. Ταῦτα ἃ θεωρεῖτε) i. e τούτων, ἃ θεωρεῖτε, ut saepe in his libris; sed et Latini ita loquuntur, ut notum est. Vel, ut alii malunt, Nominativus hic absolute ponitur, latine ita exprimendus: *Quod ad ea attinet, quae videtis* etc. Minime recte verba ταῦτα ἃ θεωρεῖτε interrogative sumuntur: *haeccine sunt, quae spectatis?*

8. Ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου) nomen meum usurpantes. ὅτι ἐγώ εἰμι) Nempe *Messias*, ut ὅτι sit nota orationis μιμητικῆς. Mtt. XXIV, 5. ἐγώ εἰμι ὁ Χριστός.

9. Ἀκαταστασίας) *Perturbationes, tumultuationes.* Intelligitur status turbulentus, qui ex seditionibus inprimis et dissensionibus civilibus oritur, quum civibus in factiones diremtis, silent leges, et vi pleraque aguntur; quibus malis Iudaeos ante internecionem gentis misere esse vexatos nemo ignorat.

11. Φόβητρά τε καὶ σημεῖα ἀπ' οὐρανοῦ μεγάλα ἔσται) *Res incutientes metum, seu iniicientes terrorem, et coelestia signa magna erunt.* Per σημεῖα intelliguntur phaenomena cuiuscunque generis. Ab his non differunt φόβητρα, terriculamenta. Nam phaenomena in aëre obvia vim perterrefaciendi habent. Homines illius temporis his phaenomenis mala varii generis portendi putabant; ergo his conspectis perterrefacti sunt. Hoc Christus praedicit; non autem confirmat superstitiosam illam opinionem.

13. Ἀποβήσεται — μαρτύριον) Sc. αὐτοῖς, ut addit Marcus, c. XIII, 9. *Hoc autem eveniet vobis, ut meae doctrinae testimonium edatis; testimonium veritatis praedictorum.* Alii: *Eveniet vobis hoc*

in

in testimonium impietatis eorum Impietas erat in eo, quod Apostolos et alios doctores religionis christianae affligebant. Sed prior explicatio praeferenda est ob sequentia.

14. Θέσθε — ἀπολογηθῆναι) *Animis igitur vestris hoc penitus mandate, non esse vobis praemeditanda ea, quae ad defensionem spectent.* Ἀπολογηθῆναι, i. e. τὰ εἰς ἀπολογίαν.

15. Στόμα) os, i. q. ῥῆμα, facultatem loquendi, sive quod loquamini. Apte autem, urgentibus eiusmodi periculis, discipulis suis pollicetur Christus, se iis daturum esse στόμα καὶ σοφίαν, i. e. στόμα s. ῥῆμα σοφόν, ut scirent, quid et quomodo sibi dicendum sit; quum capitis causam agentibus, etsi innocentibus, persaepe et lingua haereat metu, et formido sapientiam expectoret. ᾗ οὐ δυνήσονται ἀντειπεῖν κ. τ. λ) Cui nihil contradici possit, quod veri habeat speciem.

18. Καὶ θρὶξ — ἀπόληται) *Et capillus de capite vestro non peribit.* Nihil mali vobis eveniet: quicquid vobis acciderit, confidite, nullam inde vobis iacturam, sed maximam potius utilitatem exoriturum esse. Cf. Mtt X, 28. 30.

19. Ἐν τῇ — κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν) *Perseverantia vestra conservate*, s. *conservabitis vitam.* Si κτήσασθε vera est lectio, imperativus positus est pro futuro, ut in λύσατε Io. II, 19. et alibi. Sed melior est lectio κτήσεσθε, quam nonnulli Codd. Verss. et Patres habent. Κτᾶσθαι autem, et quod Syrus hic habet ܩܢܐ est: *acquirere*, vel potius *conservare.* Ad sequentia vid. Matth XXIV, 15. sqq.

23. Ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη) *Calamitas magna.* Vox ἀνάγκη in notione *calamitatis*, *miseriae*, respondet Hebraicae צָרָה, neque tamen ea vis aliis scriptoribus plane insolens reperitur. Xen. Mem. III, 12. 2. εἰς τὰς ἀνάγκας τὰς ἀλγεινοτάτας ἐμπεσόντες. Diod. Sic. p. 770. A. ἐν ταῖς ἀνάγκαις ἀπολλύεσθαι. ὀργὴ) *poena*, *animadversio*; h. l. *miseria* eorum, qui poenas luunt. Sic *Demosth.* in Phorm. ὑμῖν ὀργὴ μεγάλη καὶ τιμωρία ὑποκειται.

24. Πεσοῦνται στόματι μαχαίρας) *Peribunt gladio. Aciem gladii* Hebraei vocant פִּי חָרֶב et LXX. στόμα μαχαίρας, ut Deut. XIII, 16. καὶ Ἱερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν) *et Hierosolyma calcabuntur a gentilibus.* πατέω est *pedibus tero*, *conculco*; h. l. metaph. urbem sacram conculco, i. e. *profano et devasto; devastando profano*, ut Apoc. XI, 2. Verti etiam potest: *In populum Hierosolymitanum barbarae gentes exercebunt imperium, etiam cum ipsorum ignominia.* Suidas: πατούμενοι, ὑβριζόμενοι. Sic apud *Plutarch.* de discr. am. et adul. adulator ad quaevis indecora et inhonesta ministeria paratus, ἀπόχρησαι, ait, πάτησον, *utere*, *calca.* ἄχρι — ἐθνῶν) *Donec tempora gentium finem habuerint*, i. e. tempus quo id iis commissum. De gentibus Hierosolyma occupaturis sermo esse videtur, qui Urbem profanabunt usque ad illud tempus, quo ipsae quoque poenas improbitatis luent. Aliam enim per aliam Deus punire solet improbas gentes. Vid. Ies X, 5. sqq. Tempus autem poenae divinae saepius dicitur καιρὸς, *tempus*, *dies* populi vel hominis cuiusdam. Cf. Ier. L, 31. Ps. XXXVII, 13. Ezech. XXI, 29.

25.

25. Καὶ ἔσται — ἄστροις) *Erunt vero prodigia in sole, luna et stellis.* Improprie et figurate exprimuntur, quae v. 23. 24. proprie dicta erant. Sensus est: tum maxima erit calamitas publica, manu fulminantis Dei immittenda reipublicae Iudaicae. Vid. Ioel III, 3. 4. et cf. Matth. XXIV, 29. s. καὶ ἐπὶ — ἀπορίᾳ) *Et nationes in terra in magnis angustiis erunt prae consilii inopia.* Hesychius: συνοχή, ταραχή, ἀδημονία. Ἀπορία hic est consilii inopia ea, illa mentis fluctuatio, quae magnis malis impendentibus supervenire solet. ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου) *Sonante s. strepente mari et fluctu.* Post σάλου aut supplendum ὄντος, aut per Hendiadyn explicandum, pro: ἠχοῦντος σάλου θαλάσσης. Copiae militares haud raro aquarum inundationibus comparantur. Ies. VIII, 7. 8. Apocal. XVII, 15. Significatur igitur exercitus Romanus, bellicosus, rempublicam Iudaicam penitus delens. Omnino autem h. l. imaginibus in Hebr. poëtis saepe obviis (Ps. LII, 8. LXXXVIII, 8.) calamitates atrocissimae describuntur. *Schottus* (Commentar. in eos I. C. sermones, qui de reditu eius ad iudic. etc. agunt, p. 344. sqq.) locum nostrum v. 25 — 28. explicat de iudicio extremo.

26. Ἀποψυχόντων — οἰκουμένῃ) Hominibus *exanimatis metu et exspectatione eorum quae terrae immineant.* Sic apud Iosephum Lib. XIX. de B. I. c. I. §. 25. Γάϊος ὑπὸ τοῦ πολλοῦ τῶν τραυμάτων ἀποψυχθεὶς ἔκειτο, *Caius, multis vulneribus confessus, exanimis iacebat.* Ἀποψύχειν proprie est *mori, animam efflare.* At haec Lucae locutio hyperbolica est, ad magnitudinem et excessum pavoris significandum. Προσδοκία autem h. l. accipitur *de metu imminentis mali*, more optimis scriptoribus recepto, ut ex Iosepho

et

et Philone probant *Krebsius* et *Loesnerus* Οἰκουμένη h. l. ut saepius, est *terra Iudaica*. Vid. supra c. II, 1. Αἱ γὰρ — σαλευθήσονται) *Concutientur enim astra coeli.* Iterum stilo prophetico maxima calamitas publica significatur, ut v. 25. αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν sunt *stellae*. Nam Ps. XXXIII, 6. Ies. XXXIV, 4. צְבָא שָׁמַיִם Alexandrini interpretantur δυνάμεις, quae vox pro *copiis, exercitu* est apud Isocr. Pan. c. 37. Τὰς ἄνω δυνάμεις appellat *Philo* de sept. et Fest. Ad v. 27. cf. Matth. XXIV, 30.

28. Ἀρχομένων — γίνεσθαι) *Quum haec evenient.* Ἄρχεσθαι enim h. l. redundat, ut Marc. VI, 7. Luc. III, 8. Ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν) Sententia verborum est: *Alacres ac laeti estote: bono animo; nihil timete.* Nam tollere et erigere caput, signum est animi tranquilli et laeti, quum contra metuentes terram intueri soleant. Sic *laeti et erecti* dicuntur apud Cic. pro Font. c. 11. *alacres et laeti.* διότι — ὑμῶν) Ἡ ἀπολύτρωσις, *liberatio*, nempe a persecutionibus Iudaicis. Sublato Synedrio liberius potuit propagari Evangelium. Apostoli, si Ioannem excipias, non protraxerunt vitam usque ad interitum civitatis Iudaicae. Sed praedixit Iesus haec eo consilio, ut Apostoli haec vaticinia alios docerent.

29. Καὶ εἶπε παραβολὴν αὐτοῖς) *Quod hoc exemplo illis illustravit.* Vid. Matth. XXIV, 32. sqq.

30. Ὅταν προβάλωσιν ἤδη) sc. τὰ φύλλα. *Quum flores emittunt.* Sic προβάλλειν ἄνθος, *emittere florem*, dixit *Dioscorides.* ἀφ' ἑαυτῶν) i. e. nullo monitore.

31.

31. Ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ) *Adesse regnum Dei.* Varias significationes habet formula ἡ βασ. τ. θ. Hoc loco intelligitur *doctrinae Christi propagatio;* et sensus est: latius, et sine impedimento doctrina mea tunc temporis, post excidium Hierosolymorum propagabitur. De ipsis ecclesiae initiis non esse sermonem, in promtu est.

32. Πάντα) Omnia illa, quae Iudaeos et excidium urbis spectant. Vid. not. ad Mtt. XXIV, 34. sqq.

34. Προσέχετε — ἐκείνη) *Cavete autem, ne animi vestri graventur ebrietate et vinolentia, et curis de victu et cultu, atque adeo vos dies ille inopinatus opprimat.* Magistri Graeci tradunt, hoc differre μέθην et κραιπάλην, quod μέθη sit ex praesenti potu animi alienatio, κραιπάλη, ut Plato loquitur, ἐκ τῆς προτεραίας. Non dubium autem, quin sub vinolentiae nomine omne vitiorum genus hic denotetur, quod circa voluptates occupatum est. Nam quia in ebrietate manifestius est detrimentum rationis, ideo ex illa specie genus totum intelligi datur. Ergo ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ βαρηθῆναι est, *lautius vivendo et voluptatibus indulgendo ad seria cogitanda ineptum reddi*, ut adeo sensus sit: cavete, ne futuri immemores temere in diem vivatis. Ἡ ἡμέρα ἐκείνη, *dies ille*, nempe memorabilis et insignis, tempus illud Iudaeis fatale. Caeterum Iesus haec eo consilio dixit Apostolis, ut ea Iudaeis non minus quam Christianis iniungerent, ne eos incautos opprimeret haec calamitas publica. Qui vero de iudicio extremo h. l. intelligendum arbitrantur, minime errant, si vaticinium spectant, nec eius eventum. Nam probe notandum est, Iudaeos credidisse, non nisi in totius

terrae ruina Hierosolymorum exitium fieri posse; idem igitur illis fuit Urbis interitus et iudicium extremum.

35. Ὡς παγὶς — τῆς γῆς) *Veniet enim quasi decipula super omnes huius terrae* (Iudaicae) *incolas.* Subito invadet haec calamitas omnes huius regionis incolas, ut aliud quasi agentes se prius captos sentiant, quam laqueum praeviderint. Cf. v. 34. ἀφνίδιος. Καθίζειν *sedere* h. l. valet: *versari in aliquo loco.* Sic Alexandrini Ier. XXV, 29. hebraica verba עַל־כָּל־יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ transtulerunt; ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ τῆς γῆς.

36. Ἀγρυπνεῖτε — δεόμενοι) *Vigilate ergo, assiduas preces facientes. Vigilare* est *caute et circumspecte agere*, et opponitur τῷ βαρηθῆναι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, v. 34. Ἵνα — γένεσθαι) *Ut digni habeamini, qui haec omnia eventura effugiatis.* καὶ σταθῆναι — ἀνθρώπου) *et absolvamini a Messia.* Σταθῆναι hic non est simpliciter *stare*, sed cum humili fiducia stare, non damnari, absolvi, praemiis affici. Erant christiani nominis professores cincti quotidianis hostibus et multis mortis periculis expositi. Ergo recte vivendum erat, ut praemii loco periculis erepti, fruerentur felicitate probis et constantibus nominis christiani professoribus parata.

37. Τὰς δὲ νύκτας — ἐλαιῶν) *Noctu autem, ex urbe egressus, in monte, cui ab oleis nomen fuit, transegit*, ut nempe evitaret insidias. Αὐλίζεσθαι, *pernoctare.* Ad radices montis olivarum situm erat oppidum Bethania.

38. Πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζε πρὸς αὐτὸν) *Universus populus ad eum mane ventitabat*, vel *mane ei praesto erat*. Ὀρθρίζειν, pro ὀρθρεύειν, *diluculo, mane venire.*

CAP. XXII.

3. Εἰσῆλθε δὲ ὁ σατανᾶς εἰς Ἰούδαν) Nulla nos necessitas cogit, ut opinemur, ὑπόστασιν diabolicam motu locali et physico in Iudam se transtulisse; sed sensus est: *Iudam scelus plane diabolicum et atrocissimum iam animo concepisse.* Sicut enim, qui divinis motibus pie obtemperant, Spiritum inhabitantem accipere dicuntur; sic in eos, qui sceleratis suggestionibus consentiunt, Satanas dicitur intrasse. Cf. Io. XIII, 2. Pertinet hoc ad describendam sceleris atrocitatem. Quare statim additur de Iuda: ὄντα ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα, *qui erat e collegio duodecim Apostolorum unus*, vinculis amicitiae et officiorum Iesu coniunctissimus.

4. Καὶ τοῖς στρατηγοῖς) Στρατηγοὶ h. l. non sunt duces militiae, sed *praefecti templi*, ut etiam e v. 52. apparet. E more Iudaico Levitae et sacerdotes excubias nocturnas in templo agebant alternatim. His excubiis praeerat unus, qui κατ' ἐξοχὴν praefectus templi dicebatur. Cum eo erant etiam nobiliores custodiam templi gubernantes, qui itidem στρατηγοὶ dicti sunt. Huius praesidii ad tutelam templi positi mentio fit 2 Reg. XXV, 18. ubi שֹׁמְרֵי סַף, cf. not. ad Ierem. XXXV, 4. sine dubio sunt sacerdotes et Levitae excubias in templo agentes, quorum erat, prehendere et in carcerem coniicere Iudaeos, qui in legem peccarent; cf v. 52. Act. V, 26. Isti igitur praefecti erant *Iudaei*, non

Romani. Sic *Ananus*, qui praefectus templi erat, et cum Anania pontifice iungitur, simpliciter vocatur στρατηγὸς, apud *Ioseph.* Antiqu. L. XX, c VI, §. 2. Nec mirum videri debet, praefectos eiusmodi στρατηγοὺς appellari, qui tamen a militia longissime aberant. Nam vox στρατηγὸς eo tempore Graecis non ducem bellicum et imperatorem, sed quemvis magistratum, et hominem aliis praefectum denotabat, ut ostendit *Deyling* in observatt. Sacr. P. III. p. 257, sqq. Vid. etiam *Lightfoot* in h. l.

5. Συνέθεντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι) *Policiti sunt, se daturos ei pecuniam.* Nam συντίθεσθαι haud raro significat, *aliquid sub conditione quadam promittere*, ut apud Iosephum, Antiq. Lib. XIII, c. 4. §. 7.

6. Καὶ ἐξωμολόγησε) Ἐξομολογεῖν h. l. vel est *spondere*, vel *conditionem accipere.* Utroque sensu occurrit non semel apud Iosephum, ut ex locis a Krebsio allatis videre est. ἄτερ ὄχλου) *sine tumultu*, et eo loco, ubi non posset clamare, auxilium petere. Ad sequentia vid. Matth. XXVI, 17. sqq.

12. Ἀνάγαιον μέγα ἐστρωμένον) *Coenaculum ingens stratum*, sc. lectis ad futurum convivium paratum, in structum. Vid. Marc. XIV, 15.

16. Ὅτι — αὐτοῦ) *Non amplius vescar de hoc*, sc. agno paschali. ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ) *Donec in regno divino perfectior coena instituta fuerit*, i. e. *plenissima felicitate fruar.* Πληροῦσθαι res dicitur, *quae est perfecta, et omnibus numeris absoluta, quae ad summum perfectionis gradum pervenit.* Videtur hoc dictum generaliter sic accipi posse, ut ostendat Christus, non futuram deinceps consuetudinem ipsorum in terris, humani et usitati convictus, sed

secu

secuturum in regno Dei, vel etiam post resurrectionem *alium convictum perfectum*, vel conversationem aetiorem. Cf. v. 18. et Matth. XXVI, 29. unde patet, haec non initio coenae paschalis, sed ea finita a Iesu esse dicta Quodsi enim initio haec dixisset, non celebrasset hanc coenam ritu antiquo.

19. Τοῦτό ἐστι — διδόμενον) *Hoc est corpus meum pro vobis brevi post morti tradendum.* Διδόμενον, loco paulo post futuri, quo carent N. T. scriptores. Sensus est: Quemadmodum hoc frustum panis fracti vobis trado, sic hoc corpus meum morti tradetur. Hoc autem fiet ὑπὲρ ὑμῶν, *vestrae salutis causa.* τοῦτο — ἀνάμνησιν) *Id facite in mei recordationem*, vel: *quotiescunque hoc facietis*, et religiosum convivium celebrabitis, *gratam mei memoriam recolite.* Cf. 1 Cor. XI, 25. 26.

20. Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου) Brevis locutio; nam *poculum* h. l. est id, quod in poculo continetur, et *vinum* per metonymiam dicitur ipsum foedus, quum duntaxat sit foederis symbolum. Sensus est: *Institutione huius sacri ritus simul instituo novam religionis formam, quae sanguine meo, i. e. morte mea iam sancitur. Morus* in Epitome Theol. christ. P. V. c. V, §. 1. not. 1. verba haec sic explicat: Hic calix (bibere ex hoc calice) est novum foedus, (est ingredi novum foedus, ei se associare,) meus enim sanguis, qui hic bibitur (τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμα μου) sancit novum foedus. Dum ego vobis porrigo hunc calicem, dum vos inde bibitis: reddo vos participes foederis novi, et antiquo foedere solvo, et vos ingredimini novum foedus. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνό-

ἐκχυνόμενον) *Pro vobis effundendo*, quem pro vobis effundam. Participium ἐκχυνόμενον grammatice ad ποτήριον, cogitatione ad αἷμα pertinet. Ex regulis Grammatices dicendum fuisset, τῷ ἐκχυνομένῳ. Ceterum nostra aetate de narrationum, quibus institutae a Iesu coenae sacrae historia continetur, convenientia aut diversitate multa disputata sunt. Et quidem plenius exponi verba Christi a Paulo (1 Cor. XI, 23. sqq.) quam a reliquis Evangelistis, apparet. *Schulthessius* in *Rosenmuelleri* et *Tzschirneri Analecten für das Studium d. exeget u. systemat. Theol.* B. 4. St. 1. p. 179. sqq. existimat, Paulo, qui 1 Cor. XI, 23. professus sit, se a Christo accepisse ea, quae Corinthiis tradiderit, multo maiorem auctoritatem esse tribuendam, quam Marco, Lucae et ipsi Matthaeo. Locum v. 20. verbotenus transscripsisse Lucam ex 1 Cor. XI, 25. et 24.; inepte vero postea adscriptum esse ἐκχυνόμενον ex Mtt. et Mc. Porro cum Paulus saepius ecclesiam appellet τὸ σῶμα, *Schulthess* per σῶμα h. l intelligit discipulorum Christi sodalitatem: *das Brod*, *das ich euch darreiche*, *seid ihr*, *die Jüngerschaft*. Varias igitur de sacra coena opiniones iam N. T. scriptoribus inesse evincere studuit. Quam sententiam refutavit gravissimis argumentis *Fritzschius* (in *Rosenmuelleri bibl. exeg. Repertorium* B. I p. 144. sqq.), qui narrationis in Ev. Mtt. authentiam defendit. Nam Matthaeus fuit testis oculatus, quum Iesus sacram coenam instituere. Nostro loco difficultatem tantum reperit in verbis: ἐν τῷ αἵματί μου; quae verba vero cum κκινὴ διαθήκη coniuncta et si subaudiatur διατιθεμένη, bonum praebent hunc sensum: *Novum testamentum*, *quod sanguine meo sancitur*. Accurate etiam contra Schul-

Schulthessium disputavit *Kuinoelius* in *Commentar.* Cf. denique, quod est novissimum omnibusque numeris absolutum de sacra coena opus *Dav. Schulzii: Die christliche Lehre vom heil. Abendmahl.* Lips. 1824.

21. Ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με) Manus proditoris in mensa cum Christo esse dicitur, quia cibum cum Christo communem sumebat. Vox χεὶρ ex consuetudine hebraica redundat, parte hominis pro toto homine posita.

22. Πορεύεται) sc. εἰς θάνατον, ut infr. comm. 33. *Moritur.* Graeci dicunt ἀπέρχεσθαι, οἴχεσθαι, Latine *abire* pro *mori.* Hebr. הָלַךְ. Κατὰ τὸ ὡρισμένον, *e decreto divino.*

24. Ἐγένετο) Recte h. l. vertitur: *fuerat;* vix enim credibile est, tam luctuoso tempore vacasse animos ambitioso certamini. Cf. Matth. XX, 20. sqq. Lucas igitur alieno loco haec narravit. τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι) pro: τίς αὐτῶν ἐστι.

25. Εὐεργέται καλοῦνται) Saepe apud *Iosephum* et *Philonem* reperias hoc nomine appellari Romanos Imperatores. Datur et aliis regibus, ut apud *Plutarchum* de se laudando; item apud *Isocratem* Panathenaico etc. Significat Christus, nomina talia saepe ab iis effectari, qui re ipsa suis magis, quam alienis commodis consulant. Cf. Matth. XX, 25.

26. Ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως) Sc. ποιεῖτε, quod post vocem οὕτως frequenter supprimitur. ἀλλ' ὁ μείζων — νεώτερος) *Sed qui primus dignitate esse vult inter vos, ita se gerat, tanquam esset ultimus* Μείζων compar. pro superlat. *maximus, princeps, primus digni-*

dignitate. Νεώτερος vi oppositionis est *ultimus, infimus.* Nam Alexandrini pro hebraico קָטֹן usi sunt vocabulo νεώτερος, quod etiam *ministrum* et *inferioris conditionis hominem* significat.

27. Ἐγὼ — διακονῶν) *Ego vero inter vos me gero ut ministrum;* doceo vos; gero me erga ut amicus, non ut dominus. Cf. Io. XIII, 4—17.

28. Ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ) Quasi dicat, hactenus res vestrae satis recte se habent: vos alloquor, qui a proditione abhorretis, qui hactenus fideli animo me sectamini. ἐν τοῖς πειρασμοῖς) πειρασμοὶ hic dicuntur *res adversae*, per quas constantia exploratur.

29. Διατίθεμαι) διατίθεσθαι hic non est *testamento legare* (nam sequitur: καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου), quod Patri non convenit, sed *pacto addicere* ut apparet ex 2 Paral. VII, 18. et Ps. LXXXIX, 4. secundum LXX. ubi Hebr. בָּרַתִּי בְרִית vertitur διεθέμην διαθήκην. Sensus est: Sicut Pater mihi regnum addixit, acquirendum per tolerantiam rerum adversarum, ita ego vobis addico gloriam regiae maiestati proximam, simili ratione acquirendam. *Regnum* scilicet, Apostolis promissum, non est ea maiestas, quae Christo promissa erat, sed ab adiuncto *praemium superati laboris.* Quemadmodum (inquit Christus) pater mihi laboribus superatis praemium promisit: ita et ego vobis praemium promitto. Cf. 2 Tim. II, 12.

30. Ἵνα ἐσθίητε — βασιλείᾳ μου) Sensus est: *Tum, quum regnabo,* (in altera illa vita) *vos gaudio et felicitate mecum fruemini.* Nam edere et bibere in regno Messiae est imago gaudii et felicitatis. Cf. Matth. XIX, 28.

31.

31. Ἐξητήσατο ὑμᾶς) ἐξαιτεῖσθαι est *postulare, ut sibi quis dedatur*, seu *deposcere aliquem ad poenam*, quod multis locis probat *Wetstenius*. τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον) *quos cribaret sicut triticum*, i. e. *perturbaret, tentaret*. Hesychius: σινιάσαι, σεῖσαι, κοσκινεῦσαι, *concutere, cribrare*. Quum cribrum agitatur, grana tritici in eo remanent, excussis sordibus et paleis. Hoc loco impropria est huius verbi significatio, quam etiam Chrysostomus observat Homil. 82. in Matth. ubi σινιάσαι explicat per θορυβῆσαι, παράξαι, καὶ πειρᾶσαι, *perturbare, turbare et tentare*. Cf. Iob. c. I. et Scholia ad illud. Iudaei enim, cum omnia mala, etiam delicta hominum a Satana derivare solerent, hinc etiam omnia religioni christianae contraria, insidia Christi cultoribus structa etc. ex usu loquendi N. T. Satanae tamquam auctori adscribuntur. Sensus igitur erit: Satanas cupit et optat, ut vos fluctuetis, instabiles fiatis; tum vero, si vos tentaverit, cernitur, quis constans, quisve levis sit instar paleae. Vid Amos IX. 9. qui locus hic respici videtur. Cf. *Kuinoetium* ad h. l.

32. Ἐδεήθην περὶ σοῦ) Iesus, etsi orationem imprimis ad Petrum convertit, spectat tamen et reliquos Apostolos. ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου) *ne deficiat fides tua*, nempe in totum; id enim est hic ἐκλείπειν καὶ σύ — ἀδελφούς σου) Putant nonnulli, ex nota Hebraismo verbum resolvendum esse in Adverbium, ut hebr. שׁוּב, e. g. Ps. LXXXV, 7. (sec. Vers. LXX, 6.) תָּשׁוּב תְּחַיֵּנוּ, ἐπιστρέψας ζωώσεις ἡμᾶς, i. e. πάλιν ζωώσεις ἡμᾶς. Ita hic σύ ποτε ἐπιστ. στήρ esset: σύ ποτε πάλιν στήριξον, *tu quoque olim vicissim fratres confirma*, i. e. da operam, ne in fide deficiant, nempe

pro

pro ipsis orans, sicut ego pro te oro. Alii ἐπιστρέψας exponunt, *conversus*, nempe ad poenitentiam, ut sensus sit: *Tu, quum resipueris, fratres tuos, nempe reliquos Apostolos, et eos, qui per te vel per illos ad religionem perducti fuerint, confirma*, ne cadant nempe, aut saltem, quum ceciderint, tuo exemplo doce eos de venia non desperare.

35. Ὅτε — ὑστερήσατε;) *Quoties vos sine crumena, sine pera et calceis ablegavi, num quae res defuit vobis?* Per μερισμὸν, pro: Quoties vos ablegavi sine viatico et vitae necessitatibus. Sensus est: Hactenus nil defuit vobis in Evangelii praedicatione, ad quam vos ablegavi, quum multi vobis bene vellent, atque subvenirent necessitatibus vestris; ab adversariis autem nihil magnopere timendum vobis erat.

36. Ἀλλὰ νῦν, ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω) *Qui habet crumenam, illam secum ferat.* Αἴρειν h. l. est *sumere.* Nam pecunia vobis opus erit. Haec et sequentia verba nihil aliud continent, quam praedictionem instantium periculorum, quae opponuntur securitati prioris temporis. Solent autem prophetae tempora periculosa metaphorice significare, repraesentando ea, quae homines vulgo tunc faciunt, ut caveant periculum. Sic Christus his verbis significat, longe alia instare tempora, quam experti essent hactenus. Cf. Matth. X, 9. 10. ὁμοίως καὶ πήραν) Hoc dicitur per modum parentheseos; nam ad crumenam redit oratio. Sed obiter monet Christus, pera quoque opus fore, victu alioqui defecturo. καὶ ὁ μὴ ἔχων) *et qui nihil habet*, qui pauper est, cui non tantum pecuniae suppetit, ut gladium sibi emere possit. πωλησάτω — μάχαιραν) i. e.

si

si alio pacto gladium nancisci non p terit, eum emat sibi vel per venditionem vestis suae. Iterum haec Christi verba intelligenda sunt non tanquam praecipientis quod fieri vellet, sed praedicentis, quod per secuturam necessitatem eventurum erat. Sensus igitur est: Egistis adhuc vitam tranquillam sine curis; nunc autem vita vestra curis, sollicitudinibus et periculis plena erit. Venturi estis in odium publicum, gravissimisque vexationibus eritis obnoxii, eademque sors vos manet, quae me. Ironice haec dicta male putat *Michaelis (in den Anmerkungen für Ungelehrte* ad h l*)* in Petrum, qui clam sibi gladium emerat, Matth. XXVI, 15 s. quasi dicat Iesus: hactenus res vestras curae meae tradidistis; iam vero vobis ipsi consuletis; adversus penuriam rerum necessariarum commeatu vos praemunietis, adversus vim hostium gladiis vos armabitis, ut in coetu latronum et sicariorum captus videar; nam *sicariorum* erat, gladium vel cultrum sub pallio recondere. Vid. *Ioseph.* Antiqq. L. XX, c. VIII, §. 5. *Nachtigall* (in *Henckii* promtuario Tom. VI p. 343. sqq. et in novo promt. T. V. p. 476.) per μάχειρον intelligit cultrum, mactandis et dissecandis pecudibus aptum, iis, qui in longis itineribus constituti erant, necessarium. Μάχαιρον saepe esse *cultrum*, dubio caret; sed haec significatio nostro loco frigidam ieiunamque sententiam parit

37. Ἔτι τοῦτο) Post multa alia a me tolerata iam illud ultimum restat, ut pro scelerato morti addicar, unde et illa sequentur, quae ad vos pertinent; nam magistri ignominia atque odium ad discipulos redundat. *Michaelis* vero locum Ies. LIII, 12. qui sequitur, *(inter sceleratos relatus est,)* ad discipulos refert, prop-

propterea quod Petrus abusus sit gladio, ut οἱ ἄνομοι sint discipuli, latronibus et sicariis similes. Dura sane explicatio! καὶ γὰρ τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει) *Quae de me praedicta sunt, implentur.* Τὰ περὶ ἐμοῦ, sc. ὄντα, *quae ad me spectant.* Quum autem paulo ante dicatur: ἔστι τοῦτο τὸ γεγραμμένον, res ipsa docet, Christum per ea, *quae ad se spectabant*, vaticinia V. T. ad se pertinentia intelligere. Phrasis τέλος ἔχει, synonymica est cum praecedenti τελεσθῆναι, i. q. πληρωθῆναι. Loquendi ratio, λαβεῖν τέλος, hoc sensu frequentissima Iosepho est, e. g. Antiq L. II. c. 5. §. 3. de interpretatione somniorum, a Iosepho facta: ταῦτα τέλος ὅμοιον οἷς ὁ Ἰώσηπος εἶπεν, ἀμφοτέροις ἔλαβε, *haec somnia ita, ut Iosephus praedixerat, impleta sunt.* Et τέλος aliis quoque locis pro *rei praedictae eventu* est.

38. Ἰδοὺ μάχαιραι ὧδε δύο) Credibile quidem est, quum iter e Galilaea ad urbem infestum esset latrociniis, quosdam Apostolos, ut Petrus, aliorum (e. g. Essenorum) exemplum secutos armatosque incessisse latronum metu. Verum h. l. verisimile est, discipulos sensum verborum Christi male cepisse, quum illa proprie intelligerent eique offerrent duos gladios. Christus vero hac ingenii eorum tarditate offensus eos tacere iussit. ἱκανόν ἐστι) Est hoc loco silentium imponentis ac abitum parantis, ita ut et ruditatem ac simplicitatem pariter eorum aversatus sit. Nam hebr. רַב־לָכֶם, *sat vobis*, Hellenistae interdum vertunt ἔχετω ὑμῖν, ut Num XVI, 8. interdum ἱκνούσθω, aut ἱκανὸν ἔστω, Deut. III, 26. Nos eodem sensu dicere solemus: *Es ist gut! Genug von dieser Sache!* Ad sequentia vid. Matth. XXVI, 30. sqq.

41.

41. Ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν) *abstraxit se ab illis* i. e. abscessit, sive abstitit ab eis. ὡσεὶ λίθου βολήν, *ad lapidis iactum.* Mtt. et Mc.: προελθὼν μικρόν.

42. Εἰ βούλει παρενεγκεῖν) *utinam velles auferre;* nam ita εἰ interdum accipitur, etiam cum indicativo coniunctum. Hoc loquendi genus non intellectum, mutandae scripturae locum praebuit; nonnulli enim codices habent παρένεγκε pro παρενεγκεῖν. Cf. Matth. XXVI, 39.

43. Ὤφθη — ἐνισχύων αὐτόν) *Conspectus est ei angelus, vires ei addens.* Duo haec commata 43. 44. absunt ab Codd. quibusdam, et in aliis notata sunt asteriscis, quo signo, ea suspecta esse, ostenditur. Omittunt codd. apud *Hilarium* et *Hieronymum*, Cod. Vat. 1209. Vind. Lambec. 31. apud *Birchium.* Contra vero alii Codices longe plures, habent hos Versus etiam sine asteriscis. Vid. *Wetstenius* ad h. l. ex quo patet, in neutram partem posse pronunciari. Cf. etiam *Matthaeium* ad h. l. Quum tamen *Epiphanius* (Ancorat. 31.) notaverit, *Irenaeum* Sec. 2. usum esse hoc testimonio, ut Christum vere hominem fuisse ostenderet, probabilior esse videtur eorum sententia, qui putant locum a Lucae manu esse. Patet etiam ex fragmento *Iuliani* et *Theodori Mopsvesteni*, quod *Münter* in *fragmentis Patrum Graecorum* fasciculo 1. pag. 121. seqq. exhibet, locum hunc in utriusque codicibus lectum fuisse. Theodoro enim, apparitionem angeli adversus Iulianum vindicanti, nullum contra authentiam totius loci dubium fuit. *Clericus* in Art. Crit. P. III, p. 232.: „Falsarii, qui pro sua imperitia historiam Christi emendabant, haec sustulerunt, quasi indigna Christo, quae

tamen

tamen caeteri Christiani genuina esse agnoverunt. Quae narrabantur de nonnullis martyribus, qui quasi alienata mente, nec cruciatus ullos patientes, illudebant carnificibus, effecerant, ut extremum illud certamen imperiti homines non satis concoquerent.“ Ad rem quod attinet, fuerunt, qui putarent fuisse allatum aliquid per angelum, quo corpus Christi recrearetur. Alii putarunt, angelum a Deo missum, in mandatis habuisse, ut animum Salvatoris solatio erigeret, animi dolorem mitigaret, et confirmaret, patrem eum non esse deserturum. Verbum ἐνισχύειν utramque explicationem admittit. Sed angelum specie corporea apparuisse Christo, vix credibile est. Igitur alii hoc in visione contigisse statuunt, atque ita intelligunt, visum oblatum esse Christo (vel Apostolis), quasi angelus coram eo staret, et animum eius roboraret. Verba omnino hanc interpretationem admittunt, ut patet ex iis, quae ad Matth. I, 20. de vario usu vocis ἄγγελος notavimus. Sic legimus etiam Stephanum viso coelesti corroboratum esse Act. VII, 55. 56. Vid. *Gableri Neues theol. Journal*, XII, 109. sqq. 217. sqq. *Gablerus* putat Iesum ipsum per sapientiam suamque animi magnitudinem ex anxietate se recepisse, et contendit, hunc locum continere mythum. Solitos enim esse Iudaeos, omnia providentiae effecta, quorum causae proximae laterent, ad genios coelestes, tanquam auctores referre. Alias adhuc aliorum interpretationes recensuit *Kuinoelius*, cui V. D. probabile esse videtur, quod Gablerus quoque attigit: Cum np. Christus tertia vice precibus factis, ad discipulos rediisset, Mtt. XXVI, 45. inter alia iis dicebat: ἀπέχει, *praeteriit anxietas mea*, Mc. XIV, 41. et addidisse tunc quoque videtur ex Iudaeorum consuetudine, *genius coelestis me confirmavit*

firmavit (vel: *adeo confirmatus est animus meus, ac si genius me confirmasset)*; quae tamen verba Christus non proprie intelligi volebat, ut nec illa Mtt. XXVI, 53. Qui vero de Apostolis haec audiverant, proprie intelligebant.

44. Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ) *Quum esset* (vel *nam erat*) *in angore.* Vox ἀγωνία *angorem et trepidationem* significat. 2 Maccab. III, 14. ἦν δὲ οὐ μικρὰ κατὰ τὴν πόλιν ἀγωνία, *non parva erat trepidatio in urbe.* Quo sensu aliquoties apud Philonem etiam occurrit. Ἐκτενέστερον προσηύχετο) *intentius orabat.* Augescente dolore intendebat vim precationis, gestu quoque id ipsum exprimens; nam antea genua flexerat, nunc toto corpore in terram procumbit, ut ex Matthaeo et Marco discimus. ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος) *Erat autem sudor eius quasi grumi sanguinis*, vel: sudor eius fuit similis guttis sanguinis in terram delabentibus. Nihil aliud exprimere Evangelista voluit, quam sudoris copiam ex animi summa perturbatione obortam. Sic αἵματι κλαίειν, et αἵματι ἱδροῦν, ἐπὶ τῶν σφόδρα ἀγωνιώντων proverbialiter dici solere, ex Zenodoto et Diogeniano notat Photius epist. 138. Θρόμβος Galeno et Hesychio est αἷμα πεπηγὸς, Latinis *grumus.* Talem autem fuisse Christi sudorem ait Lucas, non quod sanguineus fuerit (nam, ut recte *Theophylactus* et *Euthymius* notant, non dictum est: ἐγένετο ἱδρὼς αἵματος, sed ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ, ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος.); sed quod magnorum sudorum guttae crassiores et grandiores soleant esse, quales sunt sanguineae. Alii vero nec pauci interpretes opinati sunt, sudorem Christi fuisse vere sanguineum, particulis sanguinis permixtum, atque hanc in rem alia sudoris

sudoris sanguinei exempla collegerunt. Monent, partic. ὡσεὶ interdum veram rei rationem significari, ut Io. I, 14. Cf. *Bartholinus de cruce* p. 184. 193. et *das alte und neue Morgenland*, B. V, p. 217. Quaeritur nunc, quaenam fuerit angoris huius, quem Christus sensit, causa? Metuit Iesus instantes sibi perpessiones et calamitates, τὸ ποτήριον τοῦτο, v. 42. Sed non simpliciter metuit dolores aut mortem, uti nos eam amore vitae metuimus; sic enim Iesus multis hominibus fuisset inferior. Videtur potius ideo tremuisse, quoniam dubitaverit, an etiam hoc opus omne per tot dolores ad finem usque superaturus esset. Concludi potest hoc ex loco simili Matth. XXVII, 46. Nec mirum si talis sensus in animo Iesu ortus est; nam ab eo opere pependit salus humani generis, peccatorum remissio, futura doctrinae propagatio, nova plane novae oeconomiae institutio etc. Recte *Clericus* (art. crit. P. III. p. 232.) monet: Multo maior est constantia eius, qui sui compos, et acerrimis doloris ac ignominiae stimulis confossus, virtutem et veritatem tuetur, quam eius, qui instar furentis clamitat, se nihil sentire doloris, et ridet — in mediis flammis, aut in candente crate. Vid. *Ed. Harwood Abh. über die zur Bewirkung der Seelenangst unsers Heil. wahrscheinl. Weise zusammengestossenen Umstände*, in seinen 4 Abh. Berl. 1774. 4. *Anmerkungen über Christi Todeskampf im Garten etc.* in den Beyträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Relig. Tom. III. pag. 8. Ad sequentia vid. Matth. XXVI, 40. sqq.

51. Ἔασατε, ἕως τούτου) *Desinite*, *satis est*, vel sufficiat vos hue usque processisse. Post illud ἔασατε distinctio

distinctio ponenda, et post τούτου subaudiendum videtur ἀπόχρη, vel ἱκανόν ἐστι. Ita Christus discipulos suos alloquitur. *Kypke* post *Doddriggium* verba haec ad homines, qui Christum captivum abducturi venerant, dicta putat, et vertit: *desistite hactenus*, i. e. liberum me eo usque relinquite, donec hominem, cui auris abscissa est, sanavero. Ita post ἐᾶτε subaudienda esset vocula μὲ, *desistite a me;* post ἕως τούτου vero supplenda esset vox χρόνου. Sed facilior mihi videtur prior explicatio, magisque conveniens loco parall. Mtt. XXVI, 52.

53. Αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα) ὥρα ὑμῶν, *tempus vobis favens et maxime opportunum.* Philo Leg. ad Caium: σὸς, εἶπε, νῦν ὁ καιρός ἐστιν Ἑλίκων, ἐπέγειρε σαυτόν. *Tuum nunc tempus est, Helicon, ait, excita te ipsum.* Martial. Epist. X, 19. *Haec hora est tua, quum furit Lyaeus.* Silius It. XII, 193. *dexter Deus, horaque nostra est.* Nam *dies* (i. e. *tempus*) alicuius solet dici ille, in quo nactus est potestatem ad libitum agendi suum. *Kuinoelius* mavult verti: *hoc est tempus a Deo destinatum*, s. *vobis concessum*; minime convenienter antecedentibus hui. comm. verbis multisque locis, e quibus Christi inimicos, sectatores eius in populo timentes, palam eum capere non ausos esse constat. καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους) Potestas concessa tenebris ad lucem premendam, i. e. sceleribus adversus innocentiam; vel proprie: tempus, quo lucifugi scelera sua perpetrare possunt; per noctem talia potestis facere. Cf. Col. I, 13. Ephes. V, 11.

58. Ἕτερος) *Alius quis.* Matthaeus (c. XXVI, 71.): ἄλλη, *alia* ancilla. Haec ita conciliant nonnulli, ut

etiam apud Lucam ancillam intelligi statuant. Unusquisque, inquiunt, quoties ad sententiam nihil interest, quo quis sexu sit, proprie effertur genere masculino. ἄνθρωπε) Pro quo paullo ante, γύναι. Nam ἄνθρωπος de mulieri dici, docet *Vigerus* de Idiot. dict. Gr. c. 3. et Hoogevenus in annott. Sed non opus esse videtur coacta hac Evangelistas conciliandi ratione; nam in eiusmodi περιστάσεσι exigui momenti facile errare potuerunt.

61. Ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ) Admonens illum tacite et inconsultae iactationis et maturandae poenitentiae.

63. Καὶ οἱ ἄνδρες οἱ συνέχοντες τὸν Ἰησοῦν) *Viri, qui Iesum vinctum tenebant*, servi, ὑπηρέται. Lucas retrogreditur, nam historicorum more totam de Petro narrationem una serie exhibere voluit.

66. Ὡς ἐγένετο ἡμέρα) *Quum dies adventaret.* συνήχθη) i. e. ἦν συναγόμενον. E Matth. et Mc. patet, interrogationem illam noctu institutam esse. Lucas forsan minus accurate hoc, quod parvi momenti est, notavit. In re consentiunt Evangelistae, dissentiunt tantum in constituendo tempore.

68. Ἐὰν δὲ καὶ ἐρωτήσω) Si qua argumenta proponam, quibus me Christum probem. Argumentari enim Hebraei non minus quam Graeci solebant interrogando. Ad comma 69. vid. Matth. XXVI, 64.

70. Ὑμεῖς λέγετε) i. e. *rem dicitis*, ut apud *Xenophontem* αὐτὸς τοῦτο λέγεις ὦ Σώκρατες. ὅτι ἐγώ εἰμι) ὅτι est vox Christi, affirmantis, non repetentis.

71. Ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ) βλασφημίαν, scilicet, quod exprimunt *Matthaeus* et *Marcus* perspicuitatis causa, quum alioqui mos fuerit Hebraeorum βλασφημίαν silentio potius quam verbo indicare.

1.

CAP. XXIII.

1. Τὸ πλῆθος) Ita vocat coetum senatorum. Cf. ad hoc et seqq. comm. Matth. XXVII, 2. sqq. Marc. XV.

2. Τοῦτον — τὸ ἔθνος) Voci εὕρομεν, *invenimus*, deprehendimus, hoc quidem loco inest emphasis. Dicunt nempe, se adducere Iesum non tantum facinoris *accusatum* s. *suspectum*, sed etiam *confessum* et *convictum*. Διαστρέφειν τὸ ἔθνος h. l. est gentem *corrumpere*, in errores inducere, et *ad defectionem sollicitare*. Hanc posteriorem significationem satis probavit *Elsnerus*, quam etiam comm. 14. postulat. καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι) Quia a Galilaea processerat *Iudas*, huius dogmatis auctor, ideo confidenter obiiciebant Christo crimen, et odiosum maxime Romanis, et in Galilaeo credibile.

3. Σὺ λέγεις) Rem fassus est Iesus, sed addita, quam senatores suppresserant, distinctione; rex sum, inquiens, sed non regni terrestris. Vid. Io. XVIII, 33. sqq.

4. Ὁ δὲ Πιλάτος εἶπε) Nempe exiens ad Senatores foris expectantes, ut *Ioannes* nos docet. οὐδὲν εὑρίσκω αἴτιον) *Nullum crimen*. Videbat confessionem ita esse temperatam, ut crimen non contineret, probationes videbat nullas. Ipse hominis habitus a regni affectati suspicione longe aberat.

5. Ἐπίσχυον) *instabant*, contendebant, rem ita se habere. Ἐπισχύειν h. l. est *argumentis aliquid roborare*, dicta sua confirmare. Ὅτι ἀνασείει τὸν λαὸν, διδάσκων) *Concitat multitudinem, docendo etc.* Quum reiici a Pilato viderent crimen regni affectati,

ad aliud confugiunt, quod facti erat non ambigui, sed iuris habebat quaestionem. Docet, inquiunt, res quasdam novas, neque congruentes cum receptis apud nos sententiis. Iam vero satis notum est, ea re populum commoveri solere, ac proinde hoc adversari publicae tranquillitati, cuius tu custos es constitutus. ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε) Si dubitas, inquirere potes, non per Iudaeam tantum, sed et per Galilaeam, nutricem seditiosorum hominum, quot ille disciplinae suae stipatores collegerit.

7. Ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρῴδου) *ex Herodis ditione:* ita enim metonymice hic sumitur vox ἐξουσία. ἀνέπεμψεν αὐτὸν) Propriam Romani iuris vocem usurpavit hic Lucas; nam *remittitur* reus, qui alicubi comprehensus mittitur ad iudicem aut originis aut habitationis. Sic fieri inter Romanos provinciarum rectores solebat.

8. 9. Ἐξ ἱκανοῦ) sc. ἐκ χρόνου. ἤλπιζέ τι σημεῖον ἰδεῖν ὑπ' αὐτοῦ γινόμενον) *et sperabat signum aliquod videre, ab eo fieri;* ut oculos et animum re nova pasceret, more aulae. Iesus autem sine dubio propterea nihil respondit ad Herodis quaestiones, quia erant futiles, nec responsione dignae.

10. Εὐτόνως) *acriter, vehementer.* Sic *vehementer accusare* Plinius VI, 22. epist. dixit. Hesychius: εὐτόνως, ἰσχυρῶς.

11. Ἐξουθενήσας δὲ αὐτὸν) Indignum sua magnitudine ratus, si crederetur metuisse hominem, neque armis, neque regnandi artibus instructum. σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ) τὰ στρατεύματα sunt Herodis *ministri, aulici,* vel etiam *satellites.* Nam Hellenistae στρατίαν et στράτευμα usurpant, ut Hebraei צבא pro

quovis

quovis comitatu. ἐμπαίξας) *Illudens ei*, ut homini fatuo. ἐσθῆτα λαμπρὰν) Vestem splendidiorem, quomodo et Iacobus appellat vestem hominum opulentiorum, vel potius *vestem albam*, ut hic habet Vulgata. Vestis alba ad ornatum fuit comparata. Hac igitur Iesus per irrisionem videtur indutus esse.

12. Προϋπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες πρὸς ἑαυτούς) *Antea enim inimicitiae inter eos fuerant* — ob Galilaeos, ut credibile est, a Pilato nuper trucidatos; sed et alias facillime inter reges et Romanos praesides ex aemulatione odia nascebantur.

14. Ὡς — λαὸν) Ab obsequio nempe Caesari debito. Vid. supra comm. 2. ἀνακρίνας) *Quaestione habita.* ἀνάκρισιν iudicum est, pro potestate reos vel testes interrogantium.

15. Οὐδὲν — αὐτῷ) αὐτῷ pro ὑπ' αὐτοῦ. *Nullum crimen morte dignum patratum est ab eo*; sive: nihil morte dignum ei actum est, ut versiones Vulgata et Syriaca habent, quae haec referunt ad Herodem.

16. Παιδεύτας) παιδεύσιν pro δεῖρσιν, respondet Latino *castigare*, quod h. l. est *flagellis caedere.* Erat flagellatio poena in minoribus delictis apud Iudaeos et Romanos, si aut accusatio aut testium probatio minus ad damnandum reum valeret, usitatissima. Ad seqq. vid. Matth. XXVII, 15. sqq. Iesum Pilati iussu flagellis caesum esse, in eo Evangelistae consentiunt; utrum vero hoc ante vel post sententiam condemnatoriam factum sit, in eo dissentiunt. Cf. Mtt. XXVII, 26. Iό. XIX, 1. Res non est magni momenti.

23. *Οἱ δὲ ἐπέκειντο φωναῖς μεγάλαις*) *Hi autem magnis clamoribus urgebant.* Sic Ioseph. Antiqq. L. XX, c. 5. §. 3. *μᾶλλον ἐπέκειντο βλασφημοῦντες*, *magis convitiis urgebant.* *Καὶ κατίσχυον — ἀρχιερέων*) *Et vincebant eum tandem clamores eorum et pontificum.*

24. *Ἐπέκρινε*) *iudicio suo approbavit.* *ἐπικρίνειν*, *adiudicare*, *demum statuere.* 2 Macc. IV, 47. *τούτοις θάνατον ἐπέκρινε.* 3 Macc. IV, 2. *ἡ ἐπικριθεῖσα αὐτοῖς ὀλεθρία.*

28. *Μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ*) *Nolite sortem meam deflere.* Graeci dicunt *κλαίειν ἐπί τινι* et *κλαίειν τινα*, at LXX. etiam *κλαίειν ἐπί τινα* Num. XI, 13. Iud. XI, 37. 38. Respicit Christus morem hominum de suis, quam de alienis malis magis dolentium, quasi diceret: si calamitates, quae vobis impendent, videretis, non vacaret vobis lacrimas mihi impendere. Respicit ultimum Hierosolymorum excidium, et totius reipublicae funus, quod cum tot miseriis coniunctum erat, ut sterilitas, quae alias a mulieribus hebraeis loco opprobrii habebatur, in maxima felicitatis parte poneretur.

29. *Ἐν αἷς ἐροῦσι*) Indefinite; i. e. *quum dicetur.* *μακάρια — ἐθήλασαν*) *Felices steriles, et feminae, quae liberos non pepererunt, neque ubera illis praebuerunt.* Hebraico more *κοιλία* et *μαστοί* ponuntur pro ipsis feminis. In urbium direptionibus infantes ab uberibus matrum avelli, soloque allidi solent.

30. *Τότε — καλύψατε ἡμᾶς*) *Tum acclamabunt montibus: cadite in nos! et collibus: tegite nos!* Ut nempe hostium furorem evadant. Similia loca sunt Hos. X, 8. Ies. II, 19. Locutiones hae sunt quidem pro-

proverbiales, quibus significatur, frustra quaesituros homines latibula, ut effugiant calamitatem; sed h. l. simul a Christo usurpatae sunt ad eventuum singulorum significationem. Nam et matrum ea fuit miseria, ut suos ipsae natos prae fame manderent, et occupante urbem Romano exercitu, plurimi se in specus abdiderunt, ut apud *Iosephum* videre est, de *Bello Iud.* Lib. VI, c. III. §. 3. 4. c. IX, §. 4.

31. Εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται;) *Si haec in viridi arbore committuntur, quid aridae eveniet?* Ποιοῦσιν i. q. γένηται, indefinite. ξύλον puto hic non *lignum* esse vertendum, sed *arborem:* nam hebr. עץ et *arbor* est et *lignum.* Apoc II, 7. XXII, 2. 14. Sic Ps. I. *vir bonus* virenti arbori comparatur, contraque *homines a pietate alieni* Christo et Baptistae vocantur arbores emortuae; Ezech. XX, 47. XXI, 3. 1 Petr. IV, 18. Sanhedr. fol. 96. *Hoc est,* quod vulgo dicitur, *si fuerint duo ligna arida* (impii) *et unum viride* (pius), *arida comburunt viride illud.* Sensus verborum Christi est hic: Si sic agitur cum homine undiquaque inculpato, quale exemplum edi convenit in improbos, qui non potuerunt ad ullam bonam frugem adduci?

32. Ἤγοντο — ἀναιρεθῆναι) *Alii etiam duo, iique facinorosi cum ipso ad supplicium educebantur. Facinorosi,* i. e. λῃσταὶ Marc. XV, 27. Matth XXVII, 38. 44. hoc quippe flagitium tunc in Palaestina, quae tota σπηλαῖον λῃστῶν fiebat, maxime erat vulgare et insigne. Ceterum, ut Interpretes putant, λῃσταὶ, *latrones*, sunt etiam *rebelles*, *seditiosi.* Eutrop. IV, 7. Quinctil. VIII, 4. vid. ad v. 40. Post vocem δύο

comma

comma poni, et suppleri potest *nempe*. Possunt etiam verba δοξαστικῶς intelligi, non quod Christus etiam κακοῦργος fuerit, sed quod ductus sit ut facinorosus ad supplicium; qui μετὰ ἀνόμου ἐλογίσθη. Marc XV, 28.

34. Πάτερ — ποιοῦσι) *Pater, ignosce iis, quid agant nescientibus.* Ne imputa, scilicet in hoc, ut poenitentiam illis praecludas, festinato exitio, aut plenissima obduratione. Facit hic Christus, quod solent deprecatores: omisso, quod in facto Iudaeorum erat accusandum, id refert, quod ad minuendam aliquo modo culpam pertinebat. Erat quidem ignorantia crassa ac supina, adde etiam profecta ex multis vitiis, sed tamen non extrema linea peccabant, qui in eum peccabant, quem non pernoverant. Non assentior *Kuinoelio*, qui putat, Iesum has preces tantum pro militibus crucifigentibus fecisse, de quibus in praecedentibus et sequentibus sit sermo. Nam ἀπῆλθον v. 33. non tantum de militibus, sed de omni turba Iesum comitante dicitur, et milites non proprio ausu, sed iussu magistratus Iesum et quidem medium inter latrones cruci affixerant. Respiciuntur igitur auctores supplicii. Quare Pilatus dicitur Iesum flagellasse, quum id per milites fecerit. Verum Christi preces pertinere etiam poterant ad milites, qui quidem ipsum ludibrio habuerant.

36. Ὄξος προσφέροντες αὐτῷ) Distinguendam esse hanc potionem ab illa, quam Matth. XXVII, 48. Marc. XV, 36. et Io. XIX, 29. commemorant, recte monet *Kuinoelius* ad h. l. Nam Luca auctore milites Romani inter ludibria poscam Christo offerebant; de Iesu siti, de posca degustata, nihil h. l legitur. Cf. ipsa loca in reliquorum Evangelistarum narrationibus.

38.

38. Γράμμασιν Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς καὶ Ἑβραϊκοῖς) *Graeco* sermone scripta erat haec *altíx*, ob maximam turbam Hellenistarum, qui ad pascha convenerant; quamquam alioqui Graeco sermoni a Macedonicis temporibus et in Palaestina Iudaei vicinaeque gentes assueverant. *Latino* sermone scriptus erat titulus, ob maiestatem imperii; *Hebraeo* ob locum, in quo supplicium sumebatur.

39. „Quod in Matth et Marco in universum de latronibus Iesu convicia ingerentibus, hic magis speciatim de uno dicitur; nisi malueris illud factum esse, cum in archetypo Aram. punctis vocalibus carente inter singularem et pluralem numerum distingui nequiret.“ Sic *Vaterus* in N. T. ad h. l.

40. Οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν θεὸν) *Ne tu quidem Deum times.* Qui miseris insultat, Deum contemnit. ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ;) *Quum idem supplicium patiaris*, et mors tibi proxima sit; nam κρίμα metonymice sumitur pro *supplicio*, quod latrones habebant cum Christo commune, quanquam disparibus meritis, ut statim subiicitur. Ceterum plures interpretes statuunt, hunc hominem, antequam in vincula coniiceretur, Iesum docentem audivisse, et pro Messia habuisse, et videtur homo ille, si ab eo discesseris, quod excitato a *Barraba* tumultu, tamquam huius socius comprehensus fuerit, nullum gravius scelus commisisse. Cui sententiae non obstat vocabulum λῃστής; vid. ad. v. 32. Haec est interpretum coniectura.

41. Ἡμεῖς μὲν δικαίως) Sc. πάσχομεν. Δικαίως, *merito*, vel *iure merito*. Magnum est poenitentiae signum, in poena sua acquiescere. Accessit et alterum, cor-

corrigere peccantem, et tueri oppressum. *οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε*) *nihil improbum fecit.* *Τὸ ἄτοπον* quamcunque nequitiam et iniuriam, sive leviorem sive atrociorem denotat, ut ex Versione LXX. (Iob. XXXIV, 12. הַרְשִׁיעַ, *ἄτοπα ποιεῖν*) et Scriptoribus graecis demonstrarunt Viri docti. Hesychius: *ἄτοπα, πονηρά, αἰσχρά.* Hinc liquet, latronem hunc multa de rebus Iesu intellexisse, partim, ut credibile est, antequam caperetur, partim in ipso praetorio.

42. *Μνήσθητί μου*) *Memor mei esto.* Huiusmodi blandis compellationibus solent alios conciliare sibi, qui obventuras iis res prosperas videntur praevidere sibi. Gen. XL. 14. *ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου*) i. e. *quum venies ut Rex*, quum ostendes praemiis et poenis distribuendis, te esse regem, verum Messiam, vel, ut alii malunt: *quum venies εἰς βασ. σου, quum regni illius tibi a Deo promissi possessionem fueris adeptus.* Audierat, ut credibile est, profitentem Iesum sibi regnum deberi, sed non huius mundi. Iam indignitatis suae memor, non magnos in eo regno honores sibi postulat, sed hoc tantum rogat, sui ut memor esse velit, sciens regium esse, aliis benefacere.

43. *Ἀμὴν λέγω σοι*) Ostendit Christus, se magni aliquid dicturum. *σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ*) Christus plus promittit, quam erat rogatus. Rogas, inquit, ut olim tui sim memor, quum regni possessionem accepero; ego tam diu non differam tua vota, sed partem et primitias speratae felicitatis tibi intra hunc ipsum diem repraesentabo: morere securus, a morte statim te divina solatia expectant. Ceterum dubium non est, quin Christus ita locutus sit, quomodo se sciebat

sciebat a latrone intelligi. Παράδεισος vox est *Persica*, seu potius Armenica. Cf. *Rosenmülleri Handb. d. bibl. Alterthumskunde*, T. I. P. I. p. 172. sqq. (Pollux IX, 13.) quanquam et Hebraei usurpant, ut Eccl. II, 5. Neh. II. 8. et denotat *agrum conseptum ac diligenter consitum, vivarium, pomarium.* Hoc nomine etiam apud LXX interpretes designatur *hortus Edenis.* *Paradisus*, גַּן עֵדֶן postea apud Iudaeos vocatur locus amoenus, qui recipit animas piorum mortuorum, ibi mansuras, donec iterum corporibus iungantur, qui locus Graecis camporum Elysiorum nomine venit, (*Ioseph.* de B. I. III. 8. 5.) quae fuit Iosephi et Pharisaeorum sententia. Esseni autem, resurrectione corporum negata, animas piorum aeternum in Paradiso victuras putabant. *Ios.* B. I. II. 8. 11. Et Paradisum et Gehennam secundum Hebraeorum mentem ἐν ᾅδου esse, monui supra ad c. XVI, 23. Nec igitur παράδεισος h. l. significare videtur *coelum*; vix enim Iesus dicere potuit: mecum hodie in coelo eris, cum tamen eo die et sequente corpus Christi fuerit in sepulcro, anima vero descenderit ad inferos, ex sententia Petri in epist. prima III, 18. 19. Christus igitur his verbis latroni promittit locum tutum et securum, tempore inter mortem et resurrectionem medio, et aeternum in coelis gaudium post resurrectionem. Veteribus Christianis discriminatas coeli et Paradisi regiones fuisse, docet ex *Tertull. Methodio*, *Origene*, aliisque *Wetstenius*, de hac re prolixe agens, in annotat. ad h. l. Ad sequentia vid. Matth. XVII, 45. sq.

46. Παραθήσομαι) *Deponam.* Vulgata: *commendo*, quod idem esse videtur cum *depono.* Ps. XXXI, 6. Sed

Sed apud Davidem רוּחַ est vita, apud Christum ipsa mens hominis, quam Hebraei proprie eo nomine appellant.

48. Οἱ συμπαραγενόμενοι ὄχλοι ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην) Qui ad spectandum crucis supplicium convenerant, ut fieri solet. θεωροῦντες τὰ γενόμενα) Solis deliquium extra naturae ordinem vel saltem eius obscurationem, tremorem terrae, hominem velut suo arbitrio expirantem. τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη) *Tundentes pectora sua.* Incipiente iam pungi conscientia, quam postea sermo apostolicus magis excitavit. Voc. ἑαυτῶν plures e praestantissimis Codd. omittunt.

51. Οὗτος οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος — πράξει αὐτῶν) *Consilium et factum eorum* (sc. τῶν ἀρχιερ. κ. γρκμμ.) *non probaverat.* Eleganter συγκατατίθεσθαι sc. ψῆφος dicitur pro *assentire, alicuius sententiae subscribere*, metaphora ducta a calculis eorum, qui rationes subducunt, aut suffragia ferunt; quo sensu aliquoties apud *Iosephum* occurrit. Cf. *Krebsium.*

53. Ἔθηκεν — λαξευτῷ) *Deposuit in sepulcro, quod saxo incisum erat.* Λαξευτὸν, *in saxo incisum*, i. e. infra ipsam rupem excavatum. Λαξεύειν, idem quod λατομεῖν, λιθοτομεῖν. οὗ οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος) *In quo nullus adhuc sepultus fuerat.* Ne quis postea alium, non autem Iesum resurrexisse, calumniaretur.

54. Καὶ σάββατον ἐπέφωσκε) *Et sabbatum iam proxime aderat.* Non enim sermo est de die illucescente, siquidem Sabbatum vesperi initium habuit. Convenientissimum erit ἐπιφώσκειν intelligere stellarum ortum,

ortum, indicem vesperae, a qua Iudaei diem suum civilem inchoabant. Notandum est etiam, vespera sabbati incipientis candelas accendi a Iudaeis. Cf. *Spencerum de legg. Hebr. rituall.* L. IV. c. VI. p. 1120. et *Gesenium* in *Rosenmuell.* Repertor. I. p. 133.

56. Ὑποστρέψασαι) *Quum rediissent*, nempe in urbem. ἡτοίμασαν) *Compararunt*, *emerunt*. Sed post sabbatum demum, primo hebdomadis die, venerunt ad sepulcrum ut Matthaeus XXVIII, 1. et statim Lucas cap sq. v. 1. tradunt.

CAP. XXIV.

1. Τῇ δὲ — βαθέος) *Primo* (μιᾷ i. q. πρώτῃ sc. ἡμέρᾳ.) *autem hebdomadis die. summo mane.* Cf. Matth. XXVIII, 1. Frequentem esse vocem βαθὺς de tempore, docet *Kypke* in observatt. ad h. l.

4. Καὶ ἐγένετο — ἀστραπτούσαις) *Qua de re quum essent consternatae, adstiterunt illis duo viri, candidis induti vestibus.* Διαπορεῖν proprie de viatoribus dicitur, qui πόρον μὴ εὑρίσκουσι, qui subsistunt, quum non pateat, quo progrediantur, deinde metaphorice de omnibus adhibetur, *qui consilii inopes sunt, ut, quid statuunt, quidve agant, plane ignorent.* Cf. annotata ad Matth. XXVIII, 5. Lucas Matthaei historiam ante oculos positam habuisse videtur, ita tamen, ut nonnulla omitteret, nonnulla vero adderet. Videntur ei innotuisse quaedam περιστάσεις ex narratione Ioannae, quam solus comm. 10. nominat, quamque satis ei notam fuisse e cap. VIII, 3. coniicere licet. Haec summa fide, quae viderat et audiverat, testata est; quae autem absente ipsa, postquam a ceteris mulieribus discessisset, con-

contigerant, testari non potuit. Scilicet angelos et vidit et audivit; Iesum vero non vidit; quare etiam huius rei non facit mentionem.

10. Ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία) Magdalenam colloquio isti cum angelis comm. 4 — 8. haud interfuisse, sed antequam angeli visi essent a mulieribus, abiisse, Ioannem et Petrum vocaturam, notavimus ad Matth. XXVIII, 5. coll. Ioan. XX, 2. sqq. Sed salva est Lucae fides. Nam Ioanna haud opus esse existimavit scrupulosa enumeratione, quaenam mulieres ab initio ad finem usque praesentes adfuerint, neque necessarium duxerat, disertis commemorare verbis, discessisse Magdalenam a ceteris mulieribus. Lucas igitur nomina Magdalenae et Mariae Iacobi haud accepit a Ioanna, sed sumsit ea ex Matthaeo, hisque Ioannae nomen addidit. Scilicet mulierum, quae cum Christo e Gallaea venerant, omissis tamen nominibus, mentionem iam fecerat c. XXIII, 49. et 55. easdemque, cum aliis nonnullis, die solis ad sepulcrum processisse indicaverat, c. XXIV, 1. Ad finem iam commate 9. perducta narratione de iis, quae, teste Ioanna, mulieribus apud sepulcrum contigerant, ex Matthaeo addit nomina earum mulierum, quae Apostolis primum nuntium de resurrectione Christi attulerant, αἳ ἔλεγον πρὸς τοὺς ἀποστόλους ταῦτα, tacens reliqua a Matthaeo narrata, quod integras historias Matthaeo quasi suffurari et ex huius libro in suum transfundere nollet.

12. Ὁ δὲ Πέτρος — τὸ γεγονός) *Caeterum Petrus ad sepulcrum abierat, et capite inclinato, quum solas fascias ibi iacere vidisset, domum redierat.* Deest hoc comma in cod. Cantabrig. et versionibus non-

nonnullis antehieronymianis. Si genuinum est, Lucas aut haec non suo loco et ordine narrat, (ut patet ex Io. XX.) aut vertenda sunt haec verba in plusquamperfecto; et ita cohaerent cum commate 11. ut dicatur, non quidem fidem invenisse narrationem mulierum apud discipulos, spem tamen aliquam ipsis affulsisse, quod etiam Petrus non reperisset corpus Christi in sepulcro. Alias aliorum sententias vid. apud *Kuinoelium*. Ambigunt etiam interpretes, utrum vocc. πρὸς ἑαυτὸν referenda sint ad θαυμάζων, an ad ἀπῆλθε, ita ut post ἑαυτὸν interpungatur et comma post ἀπῆλθε deleatur. Quum vero formula ἀπέρχεσθαι πρὸς ἑαυτὸν, sic adhibeatur, ut significet *redire domum*, Io. XX, 10, verba καὶ ἀπῆλθε — τὸ γεγονός vertenda esse videntur: *domum redibat mirans quod factum fuerat.*

13. Δύο ἐξ αὐτῶν) sc. τῶν μαθητ., qui v. 9. dicuntur οἱ λοιποι. Coniecerunt veteres, fuisse hos de numero LXX. discipulorum; sed fuisse eos e reliquis Christi sectatoribus nostri interpretes contendunt, quia si duo illi de numero LXX. fuissent, adeoque cum Christo ante mortem ipsius familiariter vixissent, citius eum agnovissent. Nomen alterius infra exprimit Lucas, *Cleopam* vocans. Alteri fuisse nomen *Simoni*, aut quod eodem recidit, *Simeoni*, auctor est *Origenes* in libro adversus Celsum. πορευόμενοι ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ εἰς κώμην — Ἱερουσαλήμ) *Profecti sunt in vicum, quinquaginta stadiis ab Hierosolymis distantem.* Ἐν αὐτῇ τῇ ἡμ. *eo ipso die*, quo sc. Iesus in vitam redierat. Verisimile est, Emaunte eos habitasse, atque eo regressos, postquam et parasceuen et sabbatum, et diem a sabbato primum paschalibus sacris et precibus impenderant. *Stadium* est spatium pedum 625. Stadia sexaginta

sexaginta conficiunt milliare germanicum cum dimidio. Ceterum, qui h. l. commemoratur, vicus non confundendus est cum oppido Emmaunte, postea Nicopolis dicto, quod ab Urbe 176 vel 160 stadiis distabat; vid. *Relandi Palaestina* p. 226.

14. Ὡμίλουν πρὸς ἀλλήλους) ὁμιλεῖν h. l. est *colloqui*, *confabulari*, quo sensu occurrit in Versione LXX. apud Iosephum et Philonem. περὶ — τούτων) *De omnibus his eventis.* Spectabant igitur eorum colloquia Christi vitam et mortem, et ea, quae mulieres viderant et audiverant.

15. Καὶ ἐγένετο — αὐτοῖς) *Dum ergo sermones miscebant, et disputabant invicem, accessit Iesus, iisque socium itineris se adiunxit.* Varias coniecturas in omnem partem volvebant, id enim hic est συζητεῖν, ut Marc. I, 27. Ἐγγίσας, quasi a tergo eos assecutus, ut in via fieri solet; unde et eos ita affatur, quasi partem sermonum audiisset.

16. Ἐκρατοῦντο) *tenebantur*, i. e. *retinebantur et impediebantur.* Colloquio nimirum et disceptationibus de fatis Iesu intenti, non intuiti sunt eum, nec scire cupiverunt, quis esset is, qui se iis socium iunxerat. Nec tamen excluditur, quod oculos eorum a Christo accuratius intuendo et agnoscendo divina averterit providentia.

17. Τίνες οἱ λόγοι οὗτοι, οὓς ἀντιβάλλετε) *Quinam sunt isti sermones, quos invicem confertis?* Ἀντιβάλλειν proprie est *ex adverso iacere*, ut ludentes pila. Hinc ἀντιβάλλειν λόγους *sermones conferre, miscere, de aliqua re disputare* notat, quia tunc nempe

nempe alter suas dubitationes et argumenta obiicit, quae ab altero vel reiiciuntur, vel admittuntur. Cum hac formula, Graecis insolita, conferenda sunt verba 2 Macc. XI, 13. *πρὸς ἑαυτὸν ἀντιβάλλειν τι*, *animo aliquid volvere*, quod Luc. I, 19. dixit *συμβάλλειν ἐν τῇ καρδίᾳ*. *σκυθρωπός* h. l. est, *qui est vultu tetrico, torvo et moesto, qui vultu moerorem significat*; ex *σκυθρὸς*, *torvus, moestus* et *ὤψ facies.*

18. Σὺ *μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ*) Ἐν deest in plurimis codicibus. *Tu solus peregrinus es Hierosolymis* etc. *παροικέω* profanis est: *iuxta aliquem habito, accolo*; nostris scriptoribus ex usu LXX. interpretum, qui hoc verbum interdum pro יָשַׁב, maxime autem pro גּוּר posuerunt: *habito* in aliquo loco *advena, sum peregrinus*, Gen. XXIV, 37. XII, 10. XIX, 9. Ios. XXIV, 2. Ps. XV, 1. Bis in N. T. legitur; nostro loco et Hbr. XI, 9. Possis etiam cum *Theophylacto* vertere: *Tu, quum incola sis urbis Hierosolymitanae, unus nescis?* Nec improbabilis est *Kuinoelii* sententia, qui vertit: tu solus *ita* peregrinaris etc., ut *παροικεῖν* eodem sensu accipiatur, quo Latini uti solent verbo *peregrinari*, et phrasi, *in urbe sua hospitem esse*, de iis nimirum, qui quid agatur ignorant. Cic. pro Mil. c. XII. pro Rabir. XXVIII.

19. Τὰ *περὶ* — Ναζωραίου) Sc. *γενόμενα, ea* sc. quae *Iesu Nazareno evenere*. Ἀνὴρ *προφήτης, doctor*; nam *ἀνὴρ*, aliis nominibus iunctum saepe eleganter abundat. *δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ*). *Factis aeque ac verbis praestantissimus.* Sic e fratribus Iosephi eum, qui ceterorum quasi interpres et orator erat, Philo

de Ios. δυνατὸν εἰπεῖν dicit, facundia pollentem. Praeclara erat eius doctrina, et miranda erant eius facinora. ἐναντίον τοῦ θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ) Loquendi genus, inde natum, quod de iis rebus testimonium perhibemus, quae nobis in conspectu sunt. ἐνάντιον in LXX. paene tam saepe ponitur quam ἐνώπιον, loco verborum לִפְנֵי, בְּעֵינֵי. Sensus est: *Datum ei esse testimonium a Deo per opera, et ab hominibus per fidem, eius sermoni habitam.* Vel simpliciter: Doctor, Dei hominumque iudicio excellens. *Coram Deo* i. e. Dei iudicio, ut alias saepissime. Ceterum, quod *Paulus* in Comment. contendit, hos sermones a duobus illis Christi sectatoribus per vices esse editos, facile credere possumus; utriusque vero sermones vix discerni possunt.

20. Ὅπως τε — ἐσταύρωσαν αὐτὸν) *Quomodo eum pontifices nostri ac magistratus ad capitale supplicium tradiderint, et in crucem egerint* Παρέδωκαν αὐτὸν, sc. γνώμῃ, sententia, quam pronunciaverant, cum eo communicata. Ἐσταύρωσαν αὐτὸν, *eum cruci affigendum curarunt*, concitando plebem, calumniando apud Procuratorem, persuadendo et minitando.

21. Ἡμεῖς — Ἰσραήλ) *Nos autem sperabamus, illum esse eum, qui Israelitas redemturus esset*, sc. a iugo Romanorum. Est in his verbis descriptio Messiae, ex recepta eorum temporum sententia. Expectabant regnum terrenum, cum animorum emendatione coniunctum. ἀλλά γε — ἐγένετο) *Verum praeter haec omnia hic tertius agitur dies, ex quo illa evenerunt.* Ἀλλά γε, *atque adeo.* Σὺν πᾶσι τούτοις, *praeter*

praeter haec omnia; σὺν, עִם, saepe i. q. ב, ἐπὶ. Τρίτην — σήμερον) Contextus docet, sensum esse: *agitur iam dies tertius*, ut adeo spes nostra nos fefellerit, nihil sperandum, mortuus est. Sed de significatione verbi ἄγει variae sunt sententiae. Nonnulli subintelligunt χρόνος, alii οὐρανὸς, alii θεὸς, alii ἥλιος. *Grotius* recte statuere videtur, activum impersonaliter positum esse pro passivo. Graecae linguae genio non conveniens est haec phrasis.

22. Ἀλλὰ καὶ — μνημεῖον) *Sed etiam mulieres quaedam de nostris in admirationem nos adduxerunt, quae cum primo diluculo ad sepulcrum eius abierant.* Τινὲς ἐξ ἡμῶν, *nostri gregis ac coetus.* Ἐκστῆναι saepius quidem in his libris intransitive ponitur, hic autem transitive, satis graece. Nam apud *Aristotelem* in *Rhetoricis Cicero* vertit *ad admirationem traducere.* Hesychius: ἐξέστησεν, εἰς ἔκστασιν ἤγαγεν. Ὄρθριαι adverbialiter hic accipiendum, pro ὄρθρου, *mane.* Sic etiam Latini loquuntur. *Virg.* Aen. VIII. 465. Aeneas se *matutinus* agebat.

25. Ὦ ἀνόητοι — οἱ προφῆται) *O insipidi atque difficiles ad credendum prophetarum oraculis!* Summam tantum sermonum Christi a Luca esse prolatam videmus ex v. 27. ἀνόητος h. l. *rudis, verum et rectum ignorans, vel illud difficile capiens*; בְּלִי דַעַת, Iob. XXXV, 16. Βραδεῖς τῇ καρδίᾳ, *tardi ad intelligendum*, qui saepius edocti et moniti non capiunt doctorem. Καρδία h. l. est νοῦς, intelligendi facultas; et additum est hoc vocabulum, ut significaretur, vocabulum βραδὺς improprie esse capiendum. Ἐπὶ πᾶσιν, pro simplici πᾶσιν, hebr. more. εἶς, pro ἅ.

26. Οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν) *Nonne haec oportuit pati Christum*, i. e. *οὐκ ἤδειτε ὅτι ταῦτα ἔδει* etc. Scire poteratis, Messiam post multas demum calamitates et durum supplicium summo honore et imperio potiturum esse. Ἔδει, nempe ex patris decreto saepe revelato. καὶ εἰσελθεῖν — αὐτοῦ) *et ita intrare in gloriam suam?* i. e. *et frui gloria sua*, pervenire ad gloriam suam. Sed gloria Christi post mortem est dominium eius in ecclesiam suam. Quare, quod illos impediebat, quo minus Iesum crederent esse promissum illum Messiam, hoc ipsum illos maxime ad id credendum excitare debuit.

27. Καὶ ἀρξάμενος — περὶ αὐτοῦ) *Deinde a Mose exorsus omnibusque prophetis recensuit oracula de se scripta, atque interpretatus est.* Ἀπὸ sic usurpatur, ut Act. XVII, 2. 3. ut sensus sit, Iesum Mosis et Prophetarum dicta de Messia recensuisse, et deinde interpretatum esse. Sine dubio edocuit eos, vanas esse Iudaeorum de regno Messiae terreno opiniones et exspectationes, promissa vero esse a Prophetis tempora, quibus cognitio Dei accurata, et cultus Dei verus etiam ad exteras gentes propagarentur, haec tempora iam adesse, et seipsum esse eum, per quem ista vaticinia eventum sint habitura. Vid. *Eckermanni theolog. Beyträge* Tom. I. p. 215. sqq.

28. Καὶ ἤγγισαν — πορεύεσθαι) *Quum ad vicum, quem petebant, propius accessissent, ipse ulterius se abiturum esse simulavit.* Εἰς τὴν κώμην οὗ ἐπορεύοντο) *Emaunta* nimirum, quam supra nominavit; nam alium locum hic confingendi, quod quidam fecerunt, nihil est causae. προσποιοῦμαι proprie notat: *vindico mihi*

mihi aliquid, *sumo*; quum vero ii, qui simulant, ficte sibi aliquid vindicent, hinc προσποιεῖσθαι significat quoque *simulare*. *Paulus* in Commentar. suspicatur, Iesum voluisse in Galilaeam proficisci; sed Galilaeam petentibus non per Emmauntem, sed opposita via, per Hierichuntem, aut Sichemum, proficiscendum fuisse, docuit *Michaelis* in *der Auferstehungsgeschichte*, p. 231.

29. Καὶ παρεβιάσαντο — ἡ ἡμέρα) *Illi instanter rogarunt*, *ut maneret apud ipsos*, *quod esset vespertinum tempus*, *et dies inclinari coepisset*. Παραβιάζεσθαι h. l. est *urgere precibus*, *diligentius rogare*, ut Act. XVI, 16. Praepositio πρὸς, nominibus temporis iuncta, proximum tempus notat, et subintelligi debet ἡμέρα vel ἥλιος, *dies*, vel *sol ad vesperam vergit*. Κέκλικεν ἡ ἡμέρα, *inclinari coepit dies*. Ita quoque Latini utuntur verbo *inclinare*. Explicatur his verbis vox ambigua ἑσπέρα, quae ut Hebraeorum עֶרֶב de omni tempore pomeridiano adhibetur. Nam duae Hebraeis erant vesperae, s. partes temporis pomeridiani; prima pars ab hora III. usque ad VI. dicebatur ὀψία πρώτη, altera ab hora sexta ὀψία δευτέρα, vel etiam simpliciter ὀψία vel ἑσπέρ. Hoc quidem loco intelligi debet altera illa pars temporis pomeridiani.

30. Καὶ ἐγένετο — αὐτοῖς) *Inter coenandum autem sumtum panem*, *gratiis actis*, *fregit*, *illisque distribuit*. Praeter morem convivarum; erat enim id munus convivatoris Quare hoc facto se dominum ac patremfamilias profitetur.

31.

31. Διηνοίχθησαν — αὐτὸν) Sensus est: *Iam eum agnoscere incipiebant;* nempe ex vultu accuratius considerato. Apud Hebraeos *aperiri oculi* dicuntur non modo eorum, quibus erant clausi, sed et eorum, qui aliquid animadvertunt, vel resciscunt, quod antea ignorabant. Vid. Gen. III, 5. 7. XXI, 19. 2 Reg. VI, 17. 20. καὶ — ἀπ' αὐτῶν) *Et ille discessit ab illis, ita ut non videretur.* Potest nempe ἄφαντος construi cum αὐτὸς, et ἐγένετο cum ἀπ' αὐτῶν. Ἄφαντος, *qui non videtur.* Ita apud Euripidem in Oreste v. 1557. Menelaus de Helena dicit: *non est interfecta,* ἀλλ' ἄφαντος οἴχεται, *abiit, ita ut non conspiciatur.* Phrasis vero γίνεσθαι ἀπὸ τινὸς apud probatos scriptores significat: *ab aliquo discedere.* Vid. *Kypke.* Potest etiam ἄφαντος construi cum ἐγένετο, ut sensus sit: *Subito discessit ab illis.*

32. Οὐχὶ — τὰς γραφάς;) *Nonne animus noster maximopere commovebatur, quum nobiscum sermones misceret in via, et oracula sacra explicaret?* Verbum καίεσθαι, ut Latinorum *inflammari, incendi,* per metaphoram de omni graviore animi commotione et affectu adhibetur, veluti de gaudio, solatio, amore, desiderio etc. Cf. *Wetstenium* ad h. l. et vid. Ps. XXXIX, 4. ubi LXX. ἐθερμάνθη ἡ καρδία μου ἐντός μου. Ier. XX, 9. Cicero de Fin. IV, 3. *incendit igitur eos qui audiunt.* Discipuli haud dubie pluribus affectibus fervidioribus simul agitati fuerunt; affectu *amoris* erga hominem, oracula prophetarum tam dextre explicantem; *desiderii* consortio et doctrina eius diutius fruendi; *gaudii*, quum ea, quae is de resurrectione Messiae docuerat, vera esse optarent, et

de

de iisdem ut veris, cum aliqua tamen mentis fluctuatione, insigniter laetarentur. Vid. *Kypkium* ad h. l. Hoc igitur aiunt: Nisi mens fuisset laevis, potueramus eum, antequam nobiscum accumberet, agnoscere ex docendi modo; nam praeter argumentorum pondera, et comitatem in dicendo summam, accedebat divina efficacia animos incendens, qualem sentire quondam solebamus ipso docente. διανοίγειν, *aperire* apud scriptores tam sacros quam profanos *explicandi* et *docendi* notione legitur. Cf. Act. XVII, 3.

33. Καὶ ἀναστάντες — σὺν αὐτοῖς) *Itaque eo ipso momento reversi sunt Hierosolyma, ubi invenerunt congregatos undecim, eorumque familiares.* Ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, *ipso temporis momento*, quo Iesus discesserat. Voluerunt Apostolos participes reddere suae laetitiae, quum scirent, se illis nihil iucundius nunciare posse. τοὺς ἕνδεκα, etsi *Thomas* non adfuit. Solet enim numerus collegii membrorum usitatus retineri, etsi numerus non plenus sit.

35. Καὶ αὐτοὶ — τοῦ ἄρτου) *Ipsis illis narrarunt; quae in via evenerint, et quomodo eum inter epulas agnovissent.* Ἐξηγεῖσθαι, *narrare.* Κλάσις τοῦ ἄρτου ex usu hebraicae linguae est ipsa *coena*, et κλάειν τὸν ἄρτον est *edere*, *cibum capere.* Possunt tamen verba ἐν τῇ κλ. τοῦ ἄρτου sensu propr. verti: *in fractione panis*, i. e. cum panem fregisset.

36. Ταῦτα — ὑμῖν) *Haec iis loquentibus Iesus adfuit, eosque salutavit.* Ἐν μέσῳ αὐτῶν, *inter illos* stetit. Ἐν μέσῳ, ut hebr. בְּתוֹךְ redundat. Ἔστη, subito et inopinato iis adstitit. Εἰρήνη ὑμῖν, solennis erat

erat apud Hebraeos formula salutandi, qua sibi omnis generis felicitatem apprecari solebant. Gen. XLIII, 21. 1 Paralip. XII, 18. Quoad rem cf. Io. XX, 19.

37. Πτοηθέντες — θεωρεῖν) *Illi autem consternati et metu correpti existimarunt, se spiritum* (umbram) *videre.* Πτοηθέντες et ἔμφοβοι γενόμενοι sunt synonyma, iuncta ad exprimendam terroris magnitudinem. Πνεῦμα h. l. est *larva*, *imago*, *umbra*, *spectrum* In evangelio Nazaraeorum, quod multa ex famae traditione ad Matthaeum addita habuit, erat hoc loco pro voce spiritus *Daemonium incorporale.* Cf. Matth. XIV, 26. φάντασμα.

38. Τί — καρδίαις ὑμῶν;) *Cur conturbati estis? cur istae dubitationes in animis vestris existunt?* Διαλογισμοί, *vanae, perversae cogitationes*, Rom. I, 21. Ἀναβαίνειν ἐν ταῖς καρδίαις est hebr. עָלָה עַל־לֵב. Ierem. III, 16. XLIV, 21. Ies. VI, 17.

39. Ἴδετε — πόδας μου) Videte cicatrices vulnerum in manibus pedibusque. Quasi diceret: Ubi rerum testimonia adsunt, quid verbis opus? ψηλαφήσατέ με) *Contrectate me.* Corpus, non spectrum me esse, hoc modo deprehendetis.

41. Ἀπιστούντων αὐτῶν) i. e. quum non satis firmo animo id, quod res erat, sibi persuaderent. ἀπὸ τῆς χαρᾶς) Maius erat gaudium, quam quod capere posset animus. Ovidius: *Tarda solet magnis rebus inesse fides.*

42. Ἀπὸ μελισσίου κηρίου) *Et aliquid mellis apum.* Ἀπὸ hic est ἐκ, et καὶ ἀπὸ pro καί τι ἀπό. Τὸ κηρίον, *favus*, et *mel quod est in favis*, *Honig-Kuchen.*

Kuchen. Additur autem μελισσίου, quod in Oriente alia etiam genera mellis dantur e. g. ex *uvis* et *dactylis.* (Arabes vocant *Dibs*, i. q. Hebraicum דְּבַשׁ).

44. Οὗτοι οἱ λόγοι, οὓς ἐλάλησα πρὸς ὑμᾶς, ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν) *Ista sunt quae vobiscum versans dixi.* Quod praedicenti mihi saepe non credidistis, aut quod praedictum non intellexistis, nunc reipsa experimini. ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ προφήταις, καὶ ψάλμοις) Vetus Testamentum secundum Iudaeos tribus voluminibus constat, Lege, Prophetis et Hagiographis. Hic pro Hagiographis nominantur Psalmi, tanquam pars nobilissima, idque eo magis, quia in reliquis Hagiographis non reperiuntur vaticinia de Messia. *Ioseph.* Maccab. c. 18. νόμος, προφ. καὶ ἄλλα (βιβλία). Contra Apion. Lib. I. c. 8. νόμος, προφ. καὶ ὕμνοι πρὸς τὸν θεὸν καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου παρέχοντες.

47. Ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ) i. e. *eius mandato*, et quasi vices eius obeundo, 2 Cor. V, 20. ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ) *Initio facto ab Hierosolymis.* ἀρξάμενον sc. τὸ κηρυχθῆναι, i. e. ἀρξαμένου τοῦ κηρύγματος. Nominativus absolutus pro Genitivis consequentiae.

48. Ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες τούτων) Vitae nempe meae, mortis et resurrectionis. Ἐστε hic pro ἔσεσθε, Act. I, 8.

49. Καὶ ἰδοὺ — ἐφ' ὑμᾶς) *Ego vero promissa paterna bona vobis mittam.* Ἡ ἐπαγγελία (abstractum pro concreto), ipsa bona promissa, sc. dona spiritus sancti. καθίσατε) i. e. *manete*, μὴ χωρίζεσθε, interprete Luca ipso Act. I, 4. ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους) in-

induamini virtute divina, donis divinis. Ἐνδύειν hic respondet Hebraeo לבש. Sed et Graecis *indui* saepe est *instrui, affici. Diog. Laërt.* Lib. III. c. 3. ἐνεδέδυτο ταυδρὸς καὶ τὸ βάρος, *viri illius quoque gravitatem induerat.* Plura exempla vid. apud *Kypke.* Ἐξ ὕψους, *e coelo*, i. e. a Deo; nam ὕψος h. l. est *coelum.*

50. Ἕως εἰς Βηθανίαν) Ad eam Bethaniae partem, quae in monte erat oliveti, in quo monte Christus saepe preces et lacrimas ad patrem fuderat, ut, qui locus submissionis ipsius testis fuerat, idem esset et gloriae. εὐλόγησεν αὐτοὺς) *Solemniter bene eis est precatus.* Ceterum multa a Luca hic sunt omissa, e. g. Apostolos rediisse in Galilaeam, et Christum se iis ibi saepe conspiciendum praebuisse, rediisse eos e Galilaea Hierosolyma, et alia multa, quorum ne notitia quidem ad nos pervenit.

51. Καὶ ἐγένετο — οὐρανὸν) *Dum iis bene precabatur, discessit ab illis, in coelum reversus.* Διίστασθαι, *discedere.* Ἀναφέρεσθαι, *sursum ferri, e loco inferiori tolli in altum.* Vid. annotatt. nostras ad Marc. XVI, 19. et Actor I, 9. 10. Adde *Pauli* Commentar. ad h. l.

52. Προσκυνήσαντες αὐτὸν) *Supplices eum venerati*, corpore prostrato. Inconspicuum adorant, quod cultum religiosum significat, nunc primum Christo a discipulis exhibitum. μετὰ χαρᾶς μεγάλης) ob intellectam rationem admirabilem, qua procurata erat redemtio generis humani, et ob insignem illam pollicitationem mittendi spiritus.

53.

53. Καὶ ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ) διαπαντός, *quotidie*, *assidue*, temporibus nimirum congruis. In templo potius quam alibi, ut precari, ita et gratias agere Deo Iudaei solebant, praesertim si quid maius incidisset. Ἀμήν additum ab ecclesia, quae lectionem evangelii hac exclamatione excipere solebat. 1 Cor. XIV, 16.

SCHO-

SCHOLIA
IN
EVANGELIUM IOANNIS.

Κατὰ Ἰωάννην) *Ioannes*, qui Evangelium conscripsit, filius fuit Zebedaei piscatoris et Salomes, Matth. XXVII, 56. Marc. XV, 40. piscator, natione Galilaeus, frater Iacobi. Ut ea, quae diversis locis N T. de eo memorantur, silentio transeam, liceat addere sequentia: Historia Ecclesiastica testatur, Ioannem, quoad Maria mater Domini vixit, hoc est, teste Eusebio, XV. post mortem filii annis, curam illius gessisse; postea ex Palaestina in Asiam minorem concessisse; et septem urbium ecclesias, praecipue vero Ephesinam rexisse; cf. Apoc. Cap. II. et III. (Nimirum tot urbes nominantur; sed perquam probabile est credere, Ioannem multo plurium ecclesiarum in Asia minori curam custodiamque suscepisse.) Inde in Patmum, quae est insula in Aegaea mari, fortasse regnante Domitiano, relegatus est Apoc. I, 9. ubi Apocalypsin scripsit; postea vero dicitur rediisse Ephesum, et valde senex Evangelium atque Epistolas edidisse, vitam egisse coelibem, tandem centenario proximus diem obiisse, imperante Traiano. Quonam autem aetatis anno discesserit, dissentiunt scriptores veteres.

Ioan-

Ioannem huius Evangelii esse auctorem, veteres ecclesiae catholicae doctores non dubitarunt. Vid. *Irenaeum* adv. Gnost. Lib. III, c 2. *Eusebium* Hist. eccles. III, 24. Soli *Alogi* in ecclesia catholica hunc librum a Cerintho compositum esse contenderunt, non historicis, sed exegeticis argumentis ducti; nam λόγος Ioannis iis displicebat. *Celsus*, *Porphyrius*, *Iulianus*, aliique religionis christianae adversarii, hoc Evangelium esse Ioannis, non negarunt, sed improbarunt eius argumentum. Quamquam autem gravissima argumenta huius Evangelii authentiam tuentur, nostris temporibus tamen exstiterunt nonnulli, qui non esse illud genuinum contenderent, ut *Vogelius: Der Evangelist Iohannes und seine Ausleger vor dem iüngsten Gericht*, 1801. *Horstius: läſst sich die Aechth. des Iohann. Evang. aus hinlängl. Gründ. bezweifeln, und welch. ist der wahrscheinl. Urspr. dies Schr.? in Henkii Museum für Religionswiss.* T. I. p. 47. sqq. Sed infirmis usi sunt argumentis, refutatis a *Fr. Guil. Schleker*, in libello, cui titulus: *Versuch einer Widerlegung der hauptsächlichsten Einwürfe, die in der neuesten Zeit gegen die Aechtheit des Evangeliums Iohannis gemacht sind.* Rostock 1802. coll. *Gableri Neuest. theol. Iournal* T. X. p. 35. sqq. Adde: *I. E. C. Schmidtium* in d. *Biblioth. d. neuest. theol. u. pädogog. Litt.* von *Schmidt u. Schwarz.* T. V. p. 246. sqq. *Beitrag zur Vertheidig. der Aechth. d. Ev. Io. in Bezieh. auf d. Schr.: der Evangelist Io* etc. von *Süskind* in Eiusd. *Magazin für Chr. Dogm. u. Moral.* St. 9. p. 1. sqq. van *Griethuysen* Diss. *pro Ev. Io.* Αὐθεντίᾳ, Hardervici. 1806. 8.

Bret-

Bretschneiderus quoque in libro: *Probabilia de Evangelii et Epistolarum Ioannis, Apostoli, indole et origine*, Lips. 1820. probare studuit, neque Ioannem, Apostolum, neque christianum Palaestina oriundum, ibique degentem, neque e Iudaeis natum, sed alium quendam christianorum, disciplinae Alexandrinae addictum, seculo secundo Evangelium conscripsisse, et e traditione aut scripta aut non scripta hausisse, vid. Probab. p. 65. sqq. *Bretschneideri* rationes examinarunt et pro auctoritate Evangelii Ioannei propugnarunt: *Schott* in Diss. *examinantur dubitationes quaedam de authentia Evang. Io. nuperrime ex prioribus IV. Capp. excitatae*, Ienae 1820. *Kaiser* Commentatt. *de apologeticis Evang. Io. consiliis authentian eius commonstrantibus*, Erlang. Part. I. 1821. II. 1824. 4. *Olshausen die Aechtheit d. vier canonischen Evangelien*, Königsb. 1823. *Usteri* Comment. crit. *in qua Ev. Io. genuinum esse, ex comparatis IV. Evangeliorum narrationibus de coena ultima et passione I. C. ostenditur*, Turici 1823. *Bengelii neues Archiv für d. Theologie* T. I. p. 1. sqq. *Crome: Probabilia haud probabilia*, od. *Widerlegung der von Hrn. Dr. Bretschneider geg. d. Aechth. u. Glaubwürdigk. des Evang. u. d. Briefe Io. erhobenen Zweifel.* Leiden u. Leipz 1824. et cf. *Kuinoelium* in Prolegg. ad Evang. Io. in *Commentarii ad N. T. libros histor.* T. III. *Lücke* in Prolegg. ad Ioannem, p. 13. sqq.

Ioannem post Matthaeum, Marcum et Lucam scripsisse, eo potissimum consilio, ut ab aliis omissa adderet, Eusebius refert, Hist. Eccles. III, c. 24. Vulgarem

garem hanc sententiam multis argumentis, ex ipso Evangelii argumento desumtis, confirmare conatus est D. *Gottlob Christianus Storr*, Theologus Tubingensis in libro: *Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis.* Tubingae 1786. §. 52. sqq. et §. 70. Sed fabulam nobis ab *Eusebio* narrari, et ipso argumento Evangelii Ioannis refelli hanc sententiam *Semlerus* putat *(in Praefat. in Paraphrasin Ev. Io. et in notis passim,)* existimatque Ioannem potius scripsisse primum omnium, non diu post mortem Christi, antequam in regionibus Asiae vel fando aliquid auditum fuerit de Evangelio Matthaei et reliquorum. Sed haec sententia infirmis argumentis nititur. Quodsi oratio Ioannis et narrationis natura spectatur, verisimile est, hos commentarios non a iuvene, sed ab aetate provectiore scriptos esse, et quidem post Petri mortem, forsan anno LXVIII. aut LXX. post Christum natum. *Ephesum* plerique veteres ecclesiae doctores locum fuisse statuunt, ubi Ioannes Evangelium suum scripsit; nec est causa probabilis, cur a communi opinione recedatur.

Quod ad linguam et orationem, qua scriptus est hic Commentarius, attinet, est constans veterum sententia, Ioannem Graeca lingua scripsisse. Quod admodum probabile est. Nam illa aetate Graeca lingua ubivis fere terrarum, etiam in Palaestinae regionibus, in usu erat. Vid. Iosephi Antiqq. XVIII, 20. Pars Galilaeae, in qua provincia mercatura vigebat, nominabatur Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, quod eam variae gentes incolerent. Ut alia omittamus, commemorari sufficiat, Ioannem per longam annorum seriem Ephesi, ubi non nisi Graeca lingua audiebatur, vixisse, nec non Iudaeos

aeque

aeque ac christianos in coetibus publicis in illa urbe libris sacris in Graecam linguam translatis usos esse. *Grotius* aliique sermonem quidem Graecum esse, aiunt, sed plane adumbratum ex Syriaco illius seculi. *Io. Adrian. Bolten (der Bericht des Iohannes etc. Vorbericht* §. 9. p. XIV.) contendit, Ioannem scripsisse primum patria sua lingua, i. e. Aramaea dialecto, s. syriace, ac censet hoc Evangelium mature in graecam linguam ab interprete (Hermeneuta) quodam, non tamen satis perite translatum, syriaci autem Evangelii exemplum non esse servatum. Sed haec est mera coniectura. Hoc autem negari vix potest, modum, quo Ioannes sermones Iesu refert, multis in locis diversum esse a reliquorum Evangelistarum ratione, omnemque omnino dictionem ab iis discrepare, et ubique multa singularis ingenii Ioannis reperiri documenta Quod sic se habere oportuisse, verisimile esse videturei, qui cogitet, Ioannem ipsum fuisse Apostolum et Christo amicissimum, reliquos vero Evangelistas discipulos tantum Apostolorum. Non igitur mirandum est, quod Evangelium Io. omnium temporum lectoribus prae ceteris esset suavissimum et iucundissimum. Vid. *Lücke* in Commentar. p. 1. sqq. Vid *Samuel Gottl. Lange die Schriften Iohannis* Tom. II. introduct. pag. 12. sqq. et Tom. III. p. 219. *über das Eigenthümliche in der Schreibart des Iohannes. Schulzius über den schriftstellerischen Character uod Werth des Iohannes.* Optime etiam de lingua Ioannis in Evangelio disputavit *Lücke in dem Commentar über die Schriften der Evangelisten Iohannes*, T. I. p. 59. sqq.

Con-

Consilium suum in conscribendo hoc Evangelio Ioannes ipse cap. XX, 31. satis clare indicat; nam eo consilio se illud scripsisse ait, ut lectores cognoscerent, Iesum esse Messiam, eique ut Messiae fidem esse adhibendam. Sed interpretes haud pauci, veteres et recentiores statuunt, Ioannem inprimis eo etiam consilio id scripsisse, ut erroribus tunc exortis obviam iret. Eo enim tempore *Cerinthus* caput extulerat, ut ex *Caio* refert *Eusebius* Histor. Eccl. L. III. c. 28. Et *Irenaeus* L. III. adv. haereses c. XI. clare dicit, Ioannem eo consilio conscripsisse Evangelium suum, ut erroribus Cerinthi se opponeret. Vide doctas in hunc *Irenaei* locum observationes *D. Gottlobii Christiani Storr* in Repertorio litterat. bibl. et orient. Tom. XIV. p. 127. sqq. et eiusdem librum modo citatum: *Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis.* Non caret omni verisimilitudine haec sententia. Si enim ea, quae idem *Irenaeus* L. I, c. 26. de Cerintho refert, cum iis comparentur, quae Carpocrates, Menander, Cerdo, Saturninius, Basilides, Valentinus et Marcion, de angelis et aeonibus, inter quos erant Charis, Aletheia, Monogenes, Logos, Zoë, eorumque sedes πλήρωμα, spatium coeleste, item de Christo non vere sed δοκήσει passo, tradiderunt, verisimile est, Ioannem suam doctrinam illis ita opponere, ut loquendi formulis apud illos receptis utatur. Sed rationibus haud contemnendis impugnavit hanc sententiam D. *Car. Christ. Tittmann, de vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis.* Lips. 1773. Cf D. *Paulus* in *commentt. theolog.* et eiusd. *Introductionis in N. T. capita selectiora.* Ien. 1799. Est alia etiam ratio, cur suspecta nobis esse debeat

illa de Gnosticis hypothesis, quod nempe ipse *Irenaeus*, quo potissimum auctore haec talia statuuntur, clare significat, *Valentinianos* aliosque Gnosticos abusos esse, ut aliis N. T. locis, ita etiam Ioannis Evangelio ad confirmandas suas fabulas de aeonibus et syzygiis. Locus est insignis adv. Haeres. Lib. I, c. 8. edit. Massuet. ubi inter alia: ἔτι δὲ Ἰωάννην, inquit, τὸν μαθητὴν τοῦ κυρίου διδάσκουσι (Gnostici) τὴν πρώτην ὀγδοάδα μεμηνικέναι αὐταῖς λέξεσι. Adducit ipsas Valentinianorum ex loco Ioannis argumentationes, quas hic repetere longum esset. Ultima appono verba: Οὕτως, (inquiunt *Valentiniani*) οὕτως ὁ Ἰωάννης περὶ τῆς πρώτης καὶ μητρὸς τῶν ὅλων αἰώνων ὀγδοάδος εἴρηκε, πατέρα γὰρ εἴρηκε, καὶ χάριν, καὶ μονογενῆ, καὶ ἀλήθειαν, καὶ λόγον, καὶ ζωὴν, καὶ ἄνθρωπον, καὶ ἐκκλησίαν. Certum igitur est, Gnosticos ex Ioanne praesidium quaesivisse suarum opinionum. Quis autem credat, eos ex eo ipso loco, quem vel maxime errori suo oppositum esse scirent, argumenta petiisse pro errore suo? vel *Irenaeum* in refutandis eorum hypothesibus, neglexisse hanc sibi oblatam occasionem, vel verbo significandi, Apostolum eo potissimum consilio commemorasse πατέρα, χάριν, μονογενῆ, ἀλήθειαν, λόγον, ζωὴν etc. ut Christianorum mentes contra haereticorum perversitates muniret? Ergo non videtur Ioannis consilium *praecipuum* vel *unicum* fuisse refutare Gnosticos, vel Gnosticorum similes.

In nonnullis locis huius Evangelii ad discipulos Ioannis eorumque doctrinas respici, verisimilitudine non caret. De reliquiis huius Sectae, (*Sabaeos*, et minus accurate *Iohannis Christen* vocant,) docta extat commentatio *Matth. Norbergi de religione et lingua*

lingua Sabaeorum, oblata societati scientiarum Goettingensi. Vid. Commentat. Societ. reg. Goetting. Tom. III. et conf. *Walchii observationes de Sabaeis* Tom. IV. Commentat. citat. nec non *Michaelis Biblioth. orient. et exeget.* Tom. XV. pag. 126. sqq. 143. sqq. Tom. XVII. pag. 42. sqq. Adde *Norbergi* epistolas insertas *Iacob. Ionae Bioernstaehlii* narrationibus de itineribus suis exoticis, in vernaculam nostram translatis a *Christiano Henr. Groskurd.* Tom. II. particulam secundam. Detexit nempe *Norbergus* in bibliotheca regia Parisina codices nonnullos manuscriptos, lingua antiqua Sabaeorum exaratos, religionem eorum et ritus describentes, quorum amplissimum edidit hac epigraphe: *Codex Nasaraeus, liber Adami appellatus, Syriace transscriptus latineque redditus.* T. I — III. 1815. 1816. Cf. etiam de illa Secta commentat. doctiss., quam exhibuit *Gesenius* in *dem Probeheft der allgem. Encyclopaedie der Wissensch. u. Künste*, herausgeg. von *Ersch* und *Gruber*, sub voc. *Zabier*. Nominantur etiam *Nazoraei* (נָצוֹרָאֵי) et *Mendaei* (מַנְדָּעֵי). *Galilaeos* se vocant hi Sabaei; nunc autem sedibus suis expulsi habitant circa Elmarkab non procul a Laodicea Syriae. Ioannem Baptistam, quem Christo praeferunt, pro auctore religionis suae omnibusque prophetis praestantiorem agnoscunt. Messiam non exspectant. Itaque Iesum miracula edidisse fatentur, sed Messiam eum esse negant. Hos Ioannis discipulos eosdem esse, qui in Veterum scriptis *Hemerobaptistae* vocantur, *Walchius* observavit. Haec consideranti incredibile haud videbitur, Evangelistam contra nimios Ioannis Baptistae

admiratores in nonnullis locis historiae suae vindicare honorem et maiestatem Iesu Messiae. Hanc sententiam etiam *Storrius* in libro supra laudato exornavit, et calculo suo approbavit. §. 4. sqq. Sed in applicanda hac hypothesi nimius est *Io. Georg. Overbeck* in libro: *Neue Versuche über das Evangelium des Iohannes.* Gerae 1784. Docte de Ioannis discipulis disseruit *Russwurm*, in commentat. *über die ersten Leser und den Zweck des Ev. Iohannis*, in Augusti's neuen theol. Blättern. T. III. p. 1800. D. *Car. Christ. Tittmann* (vid. eius *Meletemata sacra in Evangelium Ioannis*, Melet. I.) statuit, Ioannem scripsisse Iudaeorum causa, qui Iesum tanquam Messiam repudiarent, eius divinitatem impugnarent, de eo ieiune et impie sentirent, et Messiam promissum venisse, pertinaciter negarent, omninoque de Messia non recte statuerent; tum vero etiam eorum Christianorum (ex Hellenistis et gentilibus) causa, qui et ipsi ex parte caput illud gravissimum et difficillimum non satis recte intelligere viderentur; ut igitur illos refutaret, et, si fieri posset, edoceret et ad fidem adduceret, hos autem confirmaret, atque in universum, ut omnes omnium temporum homines de persona et opere Messiae accurate institueret, rebusque et factis, adhibitis servatoris ipsius auctoritate, contra Iudaeorum opiniones demonstraret, Iesum esse promissum Messiam, eumque vitae et felicitatis non terrenae quidem, sed spiritualis et aeternae, non alicuius gentis, sed totius generis humani instauratorem et datorem, nec merum hominem, sed simul etiam filium Dei unicum.

Ex mea sententia nihil vetat, quo minus statuamus, respexisse quidem Ioannem proxime ad eos, qui iam tum

tum errores sparserunt similes iis, quibus dediti erant Gnostici Sec. II. (huiusmodi enim falsi doctores et impostores non tantum a Ioanne in epistolis, sed etiam a Iacobo, Petro et Iuda notantur;) respexisse eum fortassis etiam ad discipulos Ioannis Baptistae eorumque doctrinas; sed non ad eos solos; latius patuisse potius eius consilium, et arreptam esse ab ipso hanc occasionem Iudaeos et Christianos accuratius edocendi de vera provincia atque dignitate Messiae; sicque varias eruditorum sententias de scopo Evangelii Ioannis commode coniungi conciliarique posse.

Ioannis evangelium est historico-dogmaticum; ita tamen ratio eius se habet, ut omnino momentum historicum inserviat dogmatico. Vid. *Lücke* in Commentar. p. 135. sqq. Igitur consilium Ioannis in scribendo Evangelio suo hoc fuisse videtur, ut explicaret atque demonstraret caput de Messia, eiusque persona et opere, idque contra adversariorum quorumcunque cavillationes vindicaret. Quod consilium ita exsecutus est, ut non uteretur philosophica subtilitate, quae apud scriptores sacros et in hac re inprimis, locum non habuit, sed, (ut recte monet *Tittmannus* l. c.) ageret personam historici, fideliter enarrantis, quidnam fecerit aliquis atque praestiterit, qualem se in omni vitae genere ac parte praebuerit, quidnam effecturum se promiserit atque docuerit, ac deinde iudicio lectorum relinquentis, quid ipsi sentiant de eiusmodi viro atque statuere velint ac debeant, ita tamen, ut quisque inde colligere posset perspicue et evidenter, quod ad finem libri (c. XX, 30. 31.) indicavit, scilicet haec scripta esse, ut intelligeret quisque atque crederet, Iesum esse Messiam et filium Dei.

Ceterum

Ceterum hoc Ioannis Evangelium iam olim prae ceteris habitum est πνευματικὸν, seu tradendis sublimioribus praeceptionibus unice idoneum. *Origenes* Commentar. in Ioannem: (p. 5. 6. edit. Huet.) τολμητέον — εἰπεῖν, ἀπαρχὴν μὲν πασῶν γραφῶν εἶναι τὰ εὐαγγέλια, τῶν δὲ εὐαγγελίων ἀπαρχὴν τὸ κατὰ Ἰωάννην, οὗ τὸν νοῦν οὐδεὶς δύναται λαβεῖν μὴ ἀναπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος Ἰησοῦ. In hac opinione plerique interpretes et media et recentiori aetate fuerunt, quam etiam tuetur Pseudonymus in *Henckii* novo promtuario Tom. IV. in commentatione, quae inscripta est: *Beiträge zur hist. Interpretation des N. T. aus den damahls herrschenden Zeitbegriffen, von Ottmar dem Zweiten.* Sed aliter visum est nonnullis recentiorum, inprimis anonymo in dem *neuesten theol. Journal*, quod editur a *Gablero*. T. X. Partic. 1. p. 1 — 33. in commentatione: *Gedanken über die Vorliebe zum Evangel. des Iohannes.* Certe singularis est huius Evangelii indoles. In dicendi genere, et maxime in Iesu sermonibus, qui ab eo laudantur, multae sunt Iudaicae imagines; plures etiam et longiores varii generis sermones a Iesu habiti in eo reperiuntur, quam in reliquis Evangeliis. Deinde alia exponendi, argumentandi ratio, quam in aliis cernitur in his commentariis; nam pleni sunt symbolorum et allegoriarum, interdum etiam colorem quendam habent, ad mysticum dicendi genus propius accedentem, abhorrentem a simplicitate orationis parabolicae et gnomicae, quae apud reliquos Evangelistas animadvertitur. Neque vero exinde quod Iesus apud Ioannem e. o. de sua morte et resurrectione obscurius loquitur, clarius apud Evangelistas reliquos, colligi potest cum nonnullis, Matthaeum, Marcum et Lucam

Lucam eam formam eumque habitum illis praesagiis Christi dedisse, ut eventus iis per omnia respondisse videretur. Etenim illa obscurius dicta non excludunt clariora effata, quibus Iesus obscuriora illustravit; illa clariora reliqui Evangelistae servarunt, obscuriora Ioannes, cui ea imprimis memoratu digna viderentur, tradidit, et commode illa, omissa etiam explicatione, tradere poterat, cum ea iam dudum eventus satis illustrasset. Suspicati sunt etiam nonnulli, Ioannem in interpretandis sermonibus Iesu interdum a vera eius mente aberrasse. Vid. *Henkii* Commentatio, quae inscribitur: *Illustratur Iohannes Apostolus, nonnullorum Iesu apophthegmatum in Evangelio suo et ipse interpres.* Helmst. 1798. quae repetita legitur in *Pottii* et *Ruperti* Sylloge Theol. commentatt. T. I. p. 1. sqq. Caeterum trium reliquorum Evangelistarum fidem ad solius Ioannis, quippe αὐτόπτου, exigendam esse idem vir doctus statuit, in illis certe, quae communia cum illo memoriae tradiderunt, et hoc ipsum esse indicium accurati historici, quod suam explicationem Iesu sermonibus non inferat, atque inprimat, sed subiiciat. Multo magis Ioannes in rebus exponendis est scriptor pragmaticus, quam reliqui Evangelistae. Copiosius exposita summatim repetiit, et eventis iudicium suum superaddidit, atque interiecit, quae ad lectoris iudicium regendum faciant.

De Ioannis ingenio et Theologia copiose exposuerunt *Sam. Gott. Lange* supra laudatus, Tom. III. p. 199. sqq. pag. 241. sqq. *Io. Guil. Schmid*, in commentatione *de Ioanne a Iesu dilecto*, Ienae 1796. *Erh. Schmid*, in commentat. *de Theologia Ioannis*, Ienae 1800. *Io. Heringa*, qui edidit *Specimen hermeneu-*

meneutico-theologicum de doctrina et dictione Ioannis Apostoli, ad Iesu magistri doctrinam et dictionem exacte composita. Traiecti ad Rhen. 1797. *Io. G. Herder* eodem anno edidit: Christliche Schriften. *Dritte Sammlung. Von Gottes Sohn der Welt Heiland. Nach Iohannes Evangelium;* adversus cuius singulares sententias nonnulla monuit anonymus supra laudatus in *Gableri* ephem. theol. Omnino vero de Ev. Io. cf. *Eichhornii Einleitung in d. N. T.* T. II. *Wegscheideri Einl. in d. Evang. Io. Hugius Einl.* T. II. *Michaelis Einl.* T. II. *Schmidtius Einl.* T. I.

Ioannis Commentarium non unice esse historicum, sed talem, in quo retulit, quaecunque Iesum Messiam esse ostenderent, ex eo quoque apparet, quod nihil de natalibus, nihil de pueritia, pauca de primo muneris anno memoriae tradidit. Summa libri est haec:

I. Messiam esse filium Dei, et felicitatis humanae omnis instauratorem, eundemque esse Iesum Nazarenum, Evangelista, (praemissa totius rei summa, c. I, 1 — 14.) docet:

a) Testimonio Ioannis Baptistae, v. 15 — 52.

b) Commemorando miracula Christi, quibus discipuli eius adducti sunt, ut ipsum Messiam profiterentur.

II. Traduntur facta et specimina quaedam sermonum Christi, in quibus disputaverat de persona sua et opere. Facta narrantur propter sermones, quibus illa occasionem dederant, atque, ut sermones ipsi melius intelligerentur, praemittuntur veluti praefaminis loco. Ordinem Chronologicum non observat.

III.

III. Narratur historia passionis et resurrectionis Christi, ut partim de morte eius, partim de eius vita et maiestate, quam post mortem recepit, Christianis constaret, c. XVIII — XXI.

CAP. I.

1. 2. Ἐν ἀρχῇ — πρὸς τὸν Θεὸν) *Initio erat Logos, et Logos erat apud Deum, et Deus erat Logos: hic erat initio apud Deum.* Prologus v. 1 — 18. differt a narratione, utpote dogmaticus; non differt argumento, cum praefando ea comprehendantur, quae narrationibus sequentibus deinceps proferuntur. Utrobique declaratur amplissima Iesu Christi dignitas coelestisque natura, animorum ad debitam reverentiam excitandorum causa. Quae v. 1 — 5. dicuntur omnia pertinent ad Logon, non quatenus cum homine Iesu coniunctus inter homines versatus est; nam v. 14. demum de eo dicitur, sed de eo Logo, qui fuit et operatus est, ante quam Iesus homo nasceretur. Cur autem Ioannes hoc nomine usus sit, de eo inter doctos non convenit. Nonnulli, inter quos *Io. Clericus*, existimarunt, Ioannem iis se opposuisse, qui eo tempore voces nonnullas Platonicas, e Philonis sumtas commentariis, et nominatim τὸν λόγον, Christianae ac Iudaicae religioni intulissent, et voluisse phrases, a Philone usurpatas, ad orthodoxum sensum applicare, ne, lecto Philone a Christianis, et eius eloquentiam admirantibus, efficeretur, ut illius placita, dogmatibus Christi admodum affinia, cum iisdem commiscerentur. Non caret rationibus haec sententia. Certum enim est, *Philonem*, qui omnes *Dei oratores* et *legatos* vocare solet

solet λόγους (e. c. Lothi hospites pag. 470. extr.), saepe loqui de λόγῳ quodam divino, quem nominat τὸν πρωτόγονον θεοῦ λόγον, τὸν ἄγγελον πρεσβύτατον (de conf. ling. p. 354. B.) τὸν πάντα διακοσμήσαντα, (de mundi opif. p. 4. D.). Pariter in lib. de monarch. p. 819. C: λόγος, inquit, ἐστὶν εἰκὼν Θεοῦ, δι' οὗ σύμπας ὁ κόσμος ἐδημιουργεῖτο. Plura loca collegit *Io. Bened. Carpzovius Philonianorum sacris exercitationibus in S. Pauli Epistolam ad Hebraeos praefixorum Libro VII.* qui totus agit *de λόγῳ Philonis non Iohanneo.* Constat etiam inter omnes, Iudaeos Alexandrinos iam tum religioni suae admiscuisse aliena, ex Platone, Pythagora, Stoicis, Peripateticis aliisque desumta. Quum autem Iudaeorum Alexandrinorum haud paucos in Palaestinam profectos esse studiorum causa, et Hierosolymis propriam habuisse scholam sciamus, Actor. VI, 10. inter quos sine dubio erant, qui nomen Christo darent, et in alias regiones propagandae religionis causa se conferrent, Act. XVIII, 24. facile fieri potuit, ut ab huiusmodi hominibus nomen τοῦ λόγου religioni inferretur. Quod nomen si retinuit Ioannes, et ad orthodoxum sensum applicavit, profecto non fecit quicquam Apostolo indignum. Vid. *Henr. Christ. Ballenstedt: Philo und Iohannes, oder neue philosophisch-kritische Untersuchung des Logos beym Iohannes nach dem Philo etc.* Brunswic. 1802. 8. Philonis decreta de λόγῳ etiam examinarunt *Flattus* in *vermischten Versuchen*, p. 248. sqq. *Stahlius üb. d. Lehrbegriff des Philo*, in *Eichhorn. Allgem. Biblioth.* T. IV. p. 809. sqq. *Paulus* in Commentar. p. 37. sqq.

Ad

Ad significationem nominis quod attinet, variae sunt eruditorum sententiae. Nonnulli putant τὸν λόγον dici rationem eodem modo, quo dicitur φῶς, ζωή, ἀλήθεια, ut nempe ὁ λόγος sit πᾶν ἄλογον ἡμῶν περιαιρῶν, καὶ κατὰ ἀλήθειαν λογικοὺς κατασκευάζων, πάντα εἰς δόξαν θεοῦ πράττοντας, ut *Origenes* loquitur Commentar. in Ioannem p. 40. vel etiam, ut idem ille explicat (p. 41.) παρὰ τὸ παραγγέλλειν τὰ κρύφια τοῦ πατρὸς ἐκείνου, *qui est mens* (νοῦς) *perinde atque Filius, qui vocatur* (λόγος) *sermo. Ut enim apud nos sermo nuncius est earum rerum, quae a mente cernuntur, sic Dei Sermo, qui Patrem agnovit, Patrem agnitum revelat.* Consentit *Epiphanius* Haeres. LXXIII. asserens, Christum dici τὸν λόγον, quod sit *Patris interpres*, ἑρμηνεὺς τῶν τοῦ θεοῦ βουλημάτων.

Ex aliorum sententia utroque sensu dicitur ὁ λόγος, et quod sit auctor ratione praeditarum creaturarum, et quod hominibus decreta Patris revelaverit, vel etiam, quae huic affinis *Io. Christoph. Doederlini* est sententia, quod sit auctor *doctrinae melioris*, (Theol. Dogmat. p. 324. edit. sec.) *summus verae sapientiae auctor et doctor*, i e. optimae et perfectissimae religionis auctor. Contra alii, quibus Origenis et eorum, qui eum sequuntur (*Doederlini*, *Storrii*, *Eckermanni* al), interpretatio displicuit, monent, vocabulum λόγος, quo Apocal. XIX, 13. Christus nominatur, non significare *doctorem*, nec in ullo antiquitatis monumento ea praedicata, quae Ioannes τῷ λόγῳ tribuit, apposita legi τῷ λόγῳ, h. e. *verbo, sermoni, doctori, oratori.*

Alii

Alii Ioannem ex paraphrasibus chaldaicis λόγον desumsisse putant, ubi saepissime pro יהוה dicitur מימרא דיי *verbum Domini*. In hac voce, qua Chaldaeus utitur, praeter descriptionem et periphrasin *Dei summi* nihil inesse plerisque videtur. Sed Iudaeos per suum מימרא דיי significare voluisse divinam quandam ὑπόστασιν, quam a Deo genitam, eique proximam atque simillimam iudicarunt, egregie demonstravit ex chaldaicis potissimum V. T. paraphrasibus *Car. Aug. Theoph. Keil de doctoribus veteris ecclesiae culpa corruptae per Platonicas sententias Theologiae liberandis*, commentat. II. *in Opuscc. academ.* T. II. p. 483. sqq. Cf. *Langius die Schriften Iohannis*, Tom. II. p. 47. De *cabbalisticis* Iudaeorum opinionibus ad Messiam spectantibus, quae ad Christianos transiisse videntur, vid. *Frid. Münteri Handbuch der ältern christl. Dogmen-Geschichte.* 1802. P. I. pag. 349. ff.

Qui e *Gnosticorum* systemate illustrare conati sunt vocis usum, praeter *Tittmannum* supra laudatum adversarium habent gravissimum, I. A. *Cramerum* (Vid. *Beiträge zur Beförderung theologischer und anderer wichtiger Kenntnisse von Kielischen und auswärtigen Gelehrten. Herausgegeben von I. A. Cramer.* Pars. I.) Sed ipsi Viri docti *Tittmannus*, *Cramerus* et *Ernestius* in *Neue theol. Bibl.* T. III. p. 129. sqq. ita explicant, ut λόγος hoc quidem loco (abstractum pro concreto) sit *promissio*, et per Metonym. *promissus*, quo sensu hebr. דָּבָר, et λόγος apud LXX. interpretes haud raro occurrit. Ὁ λόγος θεοῦ igitur esse *a Deo* (per Prophetas) *promissus Messias*. Cf. Apocal. I, 2. 9. VI, 9. XIX, 13. 14.

Sed

Sed duo priora loca huc plane non pertinent; nam in his ὁ λόγος τοῦ θεοῦ est *doctrina divina*; nec intelligitur, cur Ioannes statim ab initio inusitato nomine Christum insigniverit, et usus fuerit metonymia, nec potius dixerit τὸν ἐρχόμενον, quo nomine Evangelistae et inprimis Ioannes Messiam appellare solent. Imo iam aliunde satis cognitum lectoribus Ioannis hoc vocabulum esse debuit, cum scriptor eo usus sit tanquam omnibus notissimo, nulla plane eius explicatione aut definitione addita. In libris etiam sacris *Sabaeorum* saepe laudari *verbum*, *lucem*, *vitam*, certum est; sed quo sensu, id quidem non satis constat.

Inter recentiores interpretes plerique intellexerunt sapientiam, sive rationem Dei, eamque personificatam. Vid. *Io. Fr. Guil. Ierusalemi nachgelassene Schriften*, P. I. *Beylage zu der dritten Betrachtung*, p. 618. sqq. qui putat, iam ante Philonem in Theologia Iudaica receptum fuisse usum vocabuli λόγος, eo quidem sensu, ut sit ἡ σοφία τοῦ θεοῦ, non hypostatica, sed personificata, vel potius aeterna vis Dei, per quam omnia creavit. Sic sententia esset: divina sapientia, quae semper Deo adfuit et se exseruit in omnibus rebus creandis, ea tandem cum homine Iesu coniuncta est. Vid. *Ios. Fr. Christ. Loeffleri kurze Darstellung der Entstehungsart der Dreyeinigkeitslehre*, adiecta eiusdem versioni libri (Souverainii): *Versuch über den Platonismus der Kirchenväter* etc. edit. 2. Züllichau et Freystatt 1792. p. 375. sqq. Cf. etiam *Telleri Wörterbuch*, sub voce *Wort*. *Eckermann* in *Handbuch für d. system. Studium d. christl. Glaubenslehre*, T. II. p. 505. *de Ammon* in *Opuscc. Theoll. Novv.* p. 1. sqq. et in *Biblisch. Theologie*,

logie, T. I. p. 207. sqq. ed. 2. Omnino ὁ λόγος et ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ coniunguntur Lib. Sap. IX, 1. 2. Θεὲ πατέρων — ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου, καὶ τῇ σοφίᾳ σου κατεσκεύασας ἄνθρωπον. Solemne autem fuisse sapientiam personificare, confirmari posse videtur ex Prov. I, 20. sqq. VIII. inprimis vero Sirac. XXIV. Verum seriores Iudaei λόγον non solum vim et mentem et sapientiam, sed etiam naturam quandam, aut subiectum quoddam esse opinati sunt, et Philonem constat similia de Logo statuisse, ut *Ballenstedt* l. c. ostendit. Cf. inprimis *Keilii* commentat. laudatam p. 89. et pag. 77. sqq. ubi docet (p. 80. not. 4.) ex Philonis sententia duplicem esse λόγον, eum nempe, qui in Dei intellectu prius latuisset, et eum, qui a Deo genitus sit, eodem modo, quo omnino dicit λόγον quemcunque, qui mente concipiatur, ab eo, qui ore profertur, diversum esse. E systemate emanationis, quo antiquitus philosophi Orientis creationis modum et mundi origines explicare studuerunt, virtutes divinae, δυνάμεις, ex Deo tanquam fonte aliquamdiu vere emanant, ita tamen, ut substantia Dei eadem maneat, nec mutetur. Vid. *Kleuker über die Natur u. d. Ursprung der Emanationslehre bei d. Kabbalisten*, p. 7. sqq. *Bertholdt de Christologia Iudaeorum Iesu Apostolorumque aetate*, Erlang. 1811. p. 104. sqq. Sunt etiam apud Nostrum, quae ostendant, ex eius sententia λόγον esse naturam quandam subsistentem, sive subiectum quoddam, atque hunc λόγον, arctissime cum Deo coniunctum, se extra eum exseruisse ita, ut non modo omnes res procrearet, sed doctores etiam instituerent, quos Deus hominibus mittere constituisset. Exinde etiam facile explicari potest, cur φῶς dicatur. Cf. *Langius* l. c. p. 49. s. Conferendus est

est etiam *Ziegler*, cuius *annotationes in Evangelium Ioannis*, et explicationes locorum difficiliorum inserta sunt *Gableri* Ephemeridibus, T. IX. p. 15. sqq. Cf. *de Ammon* Progr. *de prologo Ioannis Evangelistae fontibus et sensu.* Goett. 1800. 4.

Hic igitur *Logos* (nam significatio huius nominis uno vocabulo latino vix exprimi potest,) erat ἐν ἀρχῇ sc. τῆς κτίσεως τοῦ κόσμου, *ante mundi natales*, בְּרֵאשִׁית Gen. I. 1. coll. Prov. VIII, 23. Sic Io. XVII, 5. πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, et Ephes. I, 4. πρὸ καταβολῆς κόσμου. Valde errant, qui ἐν ἀρχῇ interpretantur de *initio Evangelii*, s. rei christianae; huic enim sententiae consilium Ioannis et sequens oratio aperte repugnat. Nec eorum interpretum sententia est probanda, qui dicant, verbis ἐν ἀρχῇ ἦν non tam praeexistentiam, quam potius omnino aeternitatem τοῦ λόγου significari, cum Hebraei ita descripserint aeternitatem, ut dixerint, aliquid fuisse initio. Sed Iudaei formulis: πρὸ τοῦ αἰῶνος et ἀπ' ἀρχῆς, etiam ita usi sunt, ut non de aeternitate cogitarent. Cf. Sirac. XXIV, 9. Sap. VII, 25. 26. Si vero ὁ λόγος fuit iam tum, quum mundus esse coepit, sequitur eum fuisse ante mundum conditum; sequitur etiam eum non esse unam ex ceteris creatis rebus, quae cum mundo esse coeperunt, sed alia natura et conditione. Cf. v. 3. Ex *Ierusalemi*, aliorumque sententia Ioannes hoc dicere voluit: Ab initio fuit sapientia et vis illa divina, per quam mundus est creatus. Sic Sirac. XXIV, 9. ἡ σοφία ita loquens introducitur: πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με (ὁ θεός,) καὶ ἕως αἰῶνος οὐ μὴ ἐκλίπω. Prov. VIII, 22. Sed Ioannes sibi τὸν λόγον ut naturam subsistentem simul cogitasse videtur, cum Deo arctissime con-

coniunctam, ut supra iam monuimus. Christus ipse, ut Ioannes refert, de sua dignitate eximia, praeexistentia et interiori cum Deo coniunctione locutus erat; cf. loca Io. VIII, 58. XVII, 5. VI, 62. III, 13. VI, 46. VIII, 14. 42. XVI, 28. X, 30. Qui plura desiderat, adeat *Kuinoelii* Commentar. Prolegg. p. 84. sqq. ed. 3. et *Lücke* in Commentar., qui (p. 241. sqq.) quomodo *πίστις* Hebraeorum cum *γνῶσι* Graecorum per *τὸν λόγον* in Evang. Ioann. coniuncta sit, commentatione satis ingeniosa enarrat.

Καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν) *Logos erat apud Deum.* Hoc explicandum esse videtur e Philosophia Iudaeorum graecorum, qui statuebant, *λόγον* ab aeterno apud Deum fuisse, ei semper adfuisse, sed et extra eum se exseruisse. Pharaphrastae etiam Chaldaici suum מימרא דיי in coelis tradunt versari, super solio excelso atque elevato sedere, precesque hominum exaudire. Vid. *Keil* l. c. p. 91. sqq. Cf. Prov. VIII, 30. Sap. Sal. IX, 4. 9. *πρὸς* cum Accusativo est h. l. id quod *παρὰ* Io. XVII, 25. et idem valet quod *ἐνώπιον* s. hebr. לִפְנֵי. Igitur vocc. ἦν πρ. τ. θ. significant intimam coniunctionem. Torquent graecam phrasin, qui ἦν explicant *ἐγένετο*, *venit*, *ascendit* e terra ad Deum, ut nempe ab ipso Deo acciperet id, quod docere deberet. Hoc quidem est fingere, non explicare. Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος (Subiectum est ὁ λόγος, praedicatum Θεός (ut *πνεῦμα* IV, 24.). Sensus esse videtur: Natura illa coelestis, arctissime cum Deo coniuncta, adeoque Θεὸς *(ein Gott)*, dici haberique potest ac debet, sensu longe eminentiori, quam quo reges, magistratus a Hebraeis dicebantur אֱלֹהִים, θεοί, e. g. Exod. XXI, 6.

Ps.

Ps LXXXII, 1. 6. CXXXVIII, 1. Iudaeorum etiam Philosophi, inprimis Philo, τὸν λόγον dixerunt esse Θεὸν. Philo, (Lib. de Iosepho, p. 551. ed. Mangey): Ὁ δὲ ζητῶν οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος, ἀλλ' ἢ Θεὸς, ἢ λόγος θεῖος. Libro de Somniis: Καλεῖ δὲ τὸν Θεὸν, τὸν πρεσβύτατον αὐτοῦ λόγον, ubi in Mediceo et aliis MSS. Codd. deest articulus τὸν, ante nomen Θεὸν, atque rectius fortasse ad mentem Philonis, qui τὸν Θεὸν de *summo Deo ac Patre* sumi, Θεὸν autem sine articulo, de λόγῳ seu *filio* ibidem asserit. Loca in lib. *de Somn.* Vol. opp. I. p. 655. et *Allegoriar.* L. III. Vol. I. p. 128. exhibet *Keilius* comment. cit. p. 81. 82. not. 19. Verba igitur Θεὸς ἦν ὁ λόγος illorum temporum lectores non nisi de natura Deo simillima eique proxima intelligere poterant. Qui vero intelligi se vellet auctor Evang., vix aliter, quam pro eiusmodi loquendi usu vocabulum λόγος adhibere potuit; etsi neutiquam consequitur, singula Palaestinentium Alexandrinorumque Iudaeorum attributa τοῦ λόγου includi, aut cum Capp. sqq. vocabulis υἱὸς τοῦ θεοῦ saepe non modo Messias, sed arctior cum Patre necessitudo significetur, coelestem illam naturam prorsus metaphysice definiri. Quomodo λόγος dicatur Θεὸς, a Ioanne non definitur; tribuitur tantum τῷ λόγῳ summa vis ac dignitas. *Origenes* Comment. in Ioannem: (pag 46. edit. Huet.) *Quum Dei vocabulum ponitur de ingenito universorum auctore, articulum ponit Ioannes, reticens illum, quum* ὁ λόγος *Deus nominatur.* — Αὐτόθεος ὁ θεός ἐστι, (Ioann. XVII, 3.) *participatione et communitate divinitatis illius* ὁ λόγος. Haud dubie e Philone haec hausit Origenes. *Sam. Crellius* sub nomine *Artemonii*, in libro: *Initium Evangelii Ioannis ex*

antiquitate ecclesiastica restitutum, mutat verba Θεὸς ἦν ὁ λόγος in Θεοῦ ἦν ὁ λόγος, *Logos fuit missus a Deo.* At vero omnes Codices, Versiones et Patres graeci et latini constanter legunt Θεός. Satis castigata est *Crellii* temeritas a viris doctis, nominatim a *Bengelio* et *Wetstenio.* Ὁ λόγος igitur e Ioannis sententia est natura spiritualis et divina, quae ante mundum conditum apud Deum versata mundum deinde condidit, et in Iesu homo est natus, filius Dei, et quidem μονογενής. Comma 2. est mera repetitio eorum, quae initio comm. 1. dicta erant.

3. Πάντα — ὃ γέγονεν) *Omnia per eum facta sunt, nec quicquam eorum, quae extiterunt, sine eo factum est.* Eadem sententia et affirmando et negando exprimitur, Parallelismo, Hebraeis usitato. Πάντα de omnibus omnino rebus est accipiendum. Cf. v. 10. Hebr. I, 2. Col. I, 16. et Ps. XXXIII, 6. כָּל—צְבָאָם. Praepos. διὰ adhibetur de *causa* et *instrumento*, ita ut causam *efficientem* indicet et saepe idem valeat, quod ἐκ et ἀπὸ. Igitur δι' αὐτοῦ est i. q. ἀπ' αὐτοῦ s. ἐξ αὐτοῦ. Hac significatione διὰ de Deo, omnium rerum creatore, legitur Rom. XI, 36. Hebr. II, 10. *Lücke* ad h. l. contendit praepp. ἐκ et ἀπὸ debere Deo *occulto*, διὰ vero Deo *revelato.* Vim afferunt verbis et contexto sermoni, qui πάντα *de omnibus in nova creatione*, sc. morali seu de animorum emendatione interpretantur. Etiam Philo statuit, mundum universum per τὸν λόγον creatum esse, Lib. de monarch. pag. 819. λόγος ἔστιν εἰκὼν Θεοῦ, δι' οὗ σύμπας ὁ κόσμος ἐδημιουργεῖτο. Lib. de opif. mundi (p. 7.): λόγος ὁ θεῖος ἐποίει τὸν οὐρανὸν, σύμπαν ὕδωρ,

ὕδωρ, καὶ ἅπασαν τὴν γῆν κ. τ. λ. Neque mundum tantum creasse statuit λόγον istum, sed omnes etiam naturas intelligentes, nominatimque etiam hominem, et quidem sic, ut ad suam ipsius imaginem quum hunc, tum illas efformaret. Idem traditur in paraphrasibus Chaldaicis. Vid. loca a *Keilio* citata, p. 83. 91. Cf. Sap. IX, 1. Ps. XXXIII, 6. respectu habito ad verba Mosis Gen. I, 3. 6. etc. וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים. χωρὶς αὐτοῦ, *sine eius interventu et opera.* οὐδὲ ἕν emphatice quidam sumunt pro οὐδέν. Codices nonnulli et Patres Graeci et Latini verba ὃ γέγονεν sequentibus iungunt hoc modo: ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. *Quicquid per eum factum est, erat vita*, i. e. vivebat. Hanc interpunctionem Chrysostomus tribuit haereticis, qui ex his verbis docere volebant, Spiritum S. esse creatum. Sed ob eam potissimum causam reiicienda est haec interpunctio, quia ex sequentibus intelligitur, vocabulum Ζωὴ nunc non ad res creatas, sed ipsum λόγον referendum esse, ut et postea Φῶς de eo dicitur. Itaque vulgaris interpunctio retinenda esse videtur.

4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν) *In ipso vita erat.* Ζωὴ varias quidem habet in his libris significationes. Dicitur de vita physica, de salute, felicitate etc. In qua felicitatis notione plerique Interpretes intelligunt nostro loco, et vertunt: *per eum felicitas contigit.* Sed ἐν αὐτῷ, etsi saepius congruat Hebr. בְּ, tamen non idem est ac δι' αὐτοῦ; et felicitatis significatio in voc. ζωὴ iam est derivata. Magis igitur convenire videtur, ζωὴν significatu latissimo intelligi de *vita in universum.* Nam Ioannis est consilium, τὸν λόγον cognosci tanquam fontem originemque vitae in mundum sese effundentis.

Sensus igitur est: ὁ λόγος erat vita et per eum vera vita hominibus etiam contigit; nec hoc modo felicitatis notio excluditur, sed subiicitur. Philo de opif. mundi (p. 6.): Ζωῆς δὲ Θεὸς λόγος αἴτιος. — Καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων) *Et vita erat lux hominum.* Hoc quoque loco plurimi contendunt, abstractum positum esse pro concreto, et τὸ φῶς esse *auctorem doctrinae*, s. *doctorem* sc. religionis verae, quum ipse Christus hoc sensu se appellaverit φῶς, Ioann. VIII, 12. IX, 5. XII, 35. At vero quum comm. 1 — 5. non pertineant ad Logon, quatenus cum homine Iesu coniunctus inter homines versatus est, sed de eo Logo, qui fuit et operatus est, antequam Iesus nasceretur; hanc ob causam etiam τὸ φῶς universe intelligi debet de *fonte* et *origine* lucis. Quia Logos erat fons *vitae*, ergo eum *lucis* quoque originem esse oportebat. Nam ex antiquissima illa cogitandi ratione lux prima fuit creandis omnibus rebus (Genes. I. 3. יְהִי אוֹר) conditio. Ut autem אוֹר a Hebraeis imaginis instar cuiusvis clarissimi et excellentissimi habebatur, sic etiam perfectissimum minimeque indignum iis erat summi numinis Symbolum. Addidit autem Ioannes: τῶν ἀνθρώπων; quibus verbis et commate sequente transitum fecit ad homines, qui quidem vitae illius atque lucis fonte adhuc carerent, quos vero, ut veram vitam consequi possent, clarissima illa luce collustrari e divino consilio decretum erat. Cf. *Lückium.*

5. Καὶ τὸ φῶς — κατέλαβεν) *Illa lux lucebat in tenebris*, inter homines inscios et pravos, *sed* (lucem) *non comprehenderunt*, *non acceperunt.* Σκοτία et σκότος, *tenebrae*, *caligo*, propr. tenebrae, quae oriuntur

tur lucis defectu; tropice *animi caligo*, tenebrae, quibus animus est obscuratus, et quae inde nascitur miseria. In abstracto σκοτία est *ignorantia* et *improbitas ipsa*, ut Io. III, 19. Rom. XIII, 12., in concreto autem *homines*, *aevum corruptum*, quod subest diaboli imperio, Luc. XXII, 53. Col. I, 13. ubi ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους opponitur τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ. Fuit, ut constat, Iudaeis aliisque orientalibus familiaris loquendi modus, lucem et caliginem sibi opponi, et sub illa cognitionem veri simulque pietatem et felicitatem, sub caligine vero contraria comprehendere. Ut e Zoroastri doctrina lux est natura et regnum Dei boni, caligo autem natura et imperium Dei mali, ita in libris N. T., sequutis hic Iudaeorum dicendi rationem, lux est Dei et proborum, caligo autem Diaboli impiorumque hominum, simulque significat animi mortem, cf. Luc. I. 78. 79. At vero quod attinet hunc locum, ἡ σκοτία e Ioannis consilio ex abstracto transire videtur in concretum, ut per metonymiam significentur homines ἐσκοτισμένοι, Ephes. V, 8. coll. IV, 18. Nam ζωὴ illa ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Nec *caliginem* istam, *lucem* non accipientem, cogitare possumus in abstracto resistentem, sed quatenus fuit in hominum animis. *Lucebat* τὸ φῶς *in tenebris*, i. e. homines in ignorantia versantes veritatum salutarium cognitione imbuere volebat. Nunquam enim Deus defuit humano generi. Hebr. I, 1. Φαίνει, semper lucet, semper illuxit; inde ab isto tempore depravationis humanae; sed quasi e *longinquo*. Itaque tandem lumen ipsum *venit* novo atque inusitato modo in mundum, et quidem ad Iudaeos. Praesens Φαίνει vim aoristi obtinet ex Hebraismo, id quod vel sequens κατέλαβε docet. καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν,

sed

sed homines depravati huius luminis beneficio recte non sunt usi. Cf. v. 10. ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω; v. 11. οὐ παρέλαβον et III, 19. καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος. Κατέλαβεν varie explicatur. Sed videtur καταλαμβάνειν h. l. ut Phil. III, 12. denotare: *omne lumen totumque habere*, lumen percipere, comprehendere, atque toto eius beneficio frui. Neutiquam vero cum nonnullis καταλαμβάνειν explicandum est: *opprimere*, ut sensus sit: nec tenebrae opprimere potuerunt lucem. Hesychius: καταλαβέσθαι, κατανοήσασθαι. Intelligendum autem est hoc de *magna parte* hominum. Nam saepe indefinite enunciatur, quod maximae parti convenit.

6. Ἐγένετο — Ἰωάννης) *Fuit homo a Deo missus, cui nomen Ioannes.* Ἐγένετο (quod saepius in N. T. est i. q. ἦν) pro παρεγένετο, *publice prodiit.* Post ἄνθρωπος ponendum est Comma, quod sensus et loquendi usus flagitant; nec cum Chrysostomo legendum est: ἐγένετο ἀπεσταλμένος, quasi dictum sit pro ἀπεστάλη, quae interpretatio dura et insolens est. Αὐτῷ hic non poni per Hebraismum pro relativo ᾧ, *cui*, sed elegantem subesse Graecismum, *Kypke* ad h. l. monet, et exemplis probat. ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, *a Deo missus*; respicit ad Mal. III, 1. coll. Matth. XI, 10. Non enim proprio ausu, sed sicut omnes antiqui prophetae, a Deo ipso vocatus et institutus, Ioannes munus suum aggressus est. Ostendit etiam Noster v. 7. 8., quo consilio Ioannes Baptista a Deo fuerit missus, ut nempe homines, tanta errorum, ignorantiae et superstitionis vi oppressos, ut huius modici adhuc luminis beneficium neque perciperent neque admitterent (v. 5), attentos redderet in eum, qui τοῦ φωτὸς nomine est dignissimus.

Videtur

Videtur Ioannis aetate auctoritas Ioannis Baptistae adhuc hic ibi fuisse iusto maior. Itaque Evangelista brevissime quaedam narrat, ex quibus perspici posset, Ioannem de Christo dixisse testimonium.

7. Οὗτος ἦλθεν — δι' αὐτοῦ) *Hic venit, ut homines de illo lumine edoceret, quo omnes eius opera* (institutione) *fidem haberent lumini.* Ἔρχεσθαι in N. T. de viris a Deo missis adhibetur, ut Latin. *prodire* scil. in publicum, aut etiam *munus adire.* Μαρτυρεῖν, *testari*, saepe est *edocere.* Ex *Lückii* sententia h. l. μαρτυρία nihil est nisi *testimonium* sensu historico, remota omni *docendi* notione. Sed dum Ioannes homines edoceret, testatus est de luce illa, igitur testimonii forma est doctrina; docendo testatus est docuitque testando. Τὸ φῶς, quod Ioannes Baptista commendavit, et laudavit, esse Christum, dubio caret; nam est is, *per quem Deus invisibilis factus est conspicuus hominibus*, Col. I, 15. *in cuius doctrina et religione continentur thesauri omnes sapientiae et scientiae.* Col. II, 3. ἵνα π. — δι' αὐτοῦ) Divisis sunt sententiis interpretes, utrum hoc δι' αὐτοῦ referatur ad Ioannem, an ad φῶς, sed haud dubie referendum est ad Ioannem, ut *per eum*, i. e. eius opera et institutione multi Iudaeorum perducerentur ad fidem in hoc lumen, Messiam. Post πιστεύσωσι subaudiendum est: εἰς τὸ φῶς, cf. XII, 36.

8. Οὐκ — τοῦ φωτός) *Non ille quidem fuit lumen hoc, sed iussus edocere alios de hoc lumine.* Ἀλλ' ἵνα μαρτυρήσῃ, sc. ἦλθεν, ut commendaret Messiam.

9. Ἦν τὸ φῶς — κόσμον) *Erat verum lumen, omnes collustraturum in mundum* (ad homines) *ven-*

venturum. Redit Ioannes ad descriptionem Logi, quem τὸ φῶς appellaverat, et rationem affert, cur Baptista non esset vera lux. Etenim haec nondum inter homines adfuit, sed Ioannes baptizabat εἰς τὸν ἐρχόμενον. Ἐρχόμενον antiquiores Latini omnes referunt ad ἀνθρώπων, ut sit masculinum; sed recentiores bene ad φῶς, in genere neutro. Εἰς τὸν κόσμον, *ad homines*, Iudaeos et Gentiles (additur etiam πάντα ἄνθρωπον, *omnis generis homines*); nam hac significatione ὁ κόσμος saepe accipitur. Sap. VII, 26. ὁ λόγος vocatur ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου. Τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ut recte monuit *Lücke*, etiam hoc loco non tantum est *summus doctor*, nec φωτίζειν solum *docere*; sed Baptistae, qui de vero luce testatus est, ipsum *verum lumen* idemque fons luminis opponitur, quod omnes homines illustrandi beandique vim atque potestatem habet. Opponitur hic Messias tacite Mosi, Ioanni, aliisque Prophetis, qui uni tantum populo profuerunt, et dicitur fecisse, quod fieri iussit, et per apostolos fecit.

10. Ἐν τῷ — οὐκ ἔγνω) *Versabatur in mundo, et mundus per eum creatus erat, sed mundus eum non cognovit.* Ὁ κόσμος significat orbem terrarum, tum omnes omnino homines, deinde etiam Iudaeos. H. l. intelliguntur imprimis Iudaei, aliis tamen gentibus non exclusis. Τὸν κόσμον h. l. non esse universum mundum, ut sensus sit: *erat in mundo* antequam in humana natura conspicuus fieret, et voc. κόσμος in hoc v. variam habeat significationem (quae est *Lückii* sententia), sed esse *orbem terrarum* (respectu tamen mundi universi in verbis καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο), ex comm. anteced. apparet. Nam ibi dicitur Logos ἐρχόμενος, *venturus* in mundum, et

et quidem eum in finem, ut *omnes homines* (quippe terrae incolas) illustraret. Nunc vero v. 10. dicitur: ἐν τῷ κόσμῳ ἦν. Antea erat *venturus*, nunc autem re vera *erat* in mundo, *versatus est* inter homines. Τὸν λόγον Patriarchis apparuisse, angelum etiam vocari, propter ea quod annunciet hominibus, quaecunque iis annunciari vult ille universitatis fabricator, supra quem alius Deus non est, statuerunt etiam Patres ecclesiae, e. g. *Iustinus* M. Dial. c. Tryph. pag. 275. edit. Colon. (Viteberg.) 1686. fol. καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *et mundus per eum conditus erat.* Καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω, *sed mundus* (humanum genus) *eum non agnovit*, eum non probavit. Vehementer mundus vituperatur, quod τὸν λόγον, cuius ope tamen omnia creata sunt, non agnoverit. Ut vero homines eum agnoscendi occasionem haberent, fieri oportuit, ut ὁ λόγος, vel τὸ φῶς in humana natura conspicuum se praeberet. Logos igitur hoc loco non in abstracto sed in concreto est cogitandus, quatenus cum Iesu coniunctus doctoris excellentissimi ageret personam. Verum etiam in hoc, quod ex Dei voluntate sibi elegerat, Messiae negotio, quamquam vera doceret hominumque animos divina sapientia illustraret, nec non praeclara facinora perpetraret, plerique tamen eum non agnoscebant. *Philo* statuit Deum, quicquid efficere velit per τὸν λόγον efficere, eoque ad homines nominatim nuncio atque interprete uti, ideoque omnia etiam, quae in V. T. libris cum hominibus egisse dicitur Deus, huic λόγῳ tribuit. Idem tradunt Paraphrastae Chaldaici, atque hoc verbum Dei quasi visibilem in his terris imaginem atque vicarium esse indicant. *Keil* l. c. p. 87. 91. *Iustinus Martyr* (in Apol.

Apol. II. edit. Colon. p. 73.) *Christum*, dixit, λόγον εἶναι, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε, et *omnes, qui unquam rationi convenienter vixerunt*, (οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες) e. c. *Socratem et Heraclitum, fuisse Christianos.*

11. Εἰς τὰ ἴδια — παρέλαβον) *Venit in suum domicilium, sed populares eum non receperunt.* Phrasis εἰς τὰ ἴδια scil. οἰκήματα, s. δώματα, generalior est, et notat vel urbem, vel domum, vel terram patriam, vel quod cuique est proprium. Cf. Luc. II, 3. Intelligi posset ὁ κόσμος, v. 10. Sed oratio progreditur atque ad sequentia procedit et ob v. 12. 15. verisimilior est eorum sententia, qui *Palaestinam*, Deo peculiari modo propriam, *Dei vineam* Ies. V. intelligunt. Memorabilis est locus Sirac. XXIV, 8. ubi ἡ σοφία sic loquens introducitur: ὁ κτίσας με κατέπαυσε τὴν σκηνήν μου, καὶ εἶπεν· Ἐν Ἰακωβ κατασκήνωσον, καὶ ἐν Ἰσραὴλ κατακληρονομήθητι. Domicilium quasi elegerat sibi ὁ λόγος, vel ἡ σοφία in Palaestina, per religionis instituta singularia, et legem revelatam. Ps. CXLVII, 19. 20. Sed perfectissimo modo iste λόγος se manifestavit, ex quo cum homine Iesu se coniunxerat, qui in Iudaea, ubi natus erat, docuit, et doctrinam coelestem, vere divinam tradidit. καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον) *Illi eius quasi domestici non susceperunt eum, eiusque doctrinam;* respuerunt eum, non amplexi sunt eum ut divinum doctorem, ut auctorem melioris cognitionis et aeternae salutis. Ἴδιοι sunt *populares*, Iudaei, Christo magis obstricti, quam aliae gentes. Nec omnes omnino gentes Iesum repudiabant, sed tantum eius *populares*. Παραλαμβάνειν, *recipere*, ideoque *probare*, *fidem habere;* idem est

quod

quod v. seq. πιστεύειν et λαμβάνειν. Vid. III, 32. sqq. 1 Cor. XV, 1. Matth. XIII, 20. Christus Iudaeis per prophetas praedictus, avide expectatus, et per Ioannem monstratus fuerat; nec tamen ipsum receperunt, licet in Iudaea natum, in templo frequentem, per totam regionem docentem: imo ne cognati quidem eius ipsi fidem habuerunt, infra c. VII, 5. Intelligenda autem haec de maiori parte.

12. Ὅσοι — γενέσθαι) *Quotquot autem eum receperunt, iis dedit ius et honorem*, dignitatem *liberorum Dei*. Ὅσοι, sive Iudaei fuerint, sive ex aliis gentibus. Ἔλαβον αὐτόν, i. e. qui eum pro filio Dei, summa in homines auctoritate pollente, agnoscebant. Ἔδωκεν αὐτοῖς — γενέσθαι, illis hanc dignitatem concessit, ut filii Dei essent. Nam ἐξουσία, propr. *vis, potestas, facultas*, h. l. est *praerogativa, dignitas*, ornamentum peculiare; unde *Nonnus* in Paraphrasi recte per τιμὴν interpretatus est. Cf. 1 Macc. I, 13. XI, 58. Τέκνα θεοῦ vocantur, qui Dei sunt similes, qui discunt ac tenent doctrinam Christi, qui per eam in melius mutantur, ideoque divini favoris participes fiunt. Similis locus est Sap. VII, 14. 28. τοῖς πιστεύουσιν — αὐτοῦ) *Iis* nempe, *qui et promissionibus et praeceptis eius fidem habent*; hoc enim est *credere*, idem quod modo λαμβάνειν αὐτόν. Εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, i. e. εἰς αὐτόν, vel αὐτῷ.

13. Οἳ οὐκ — ἐγεννήθησαν) Sensus est: *Qui hoc ius filiorum Dei non ex humana nascendi sorte, sed a Deo acceperunt. Tertullianus*, hunc locum non intelligens, Lib. *de carne Christi* c. 19. et 24. legendum esse pronuntiat: ὃς — ἐγεννήθη, *qui natus est*,

est, nostram lectionem Valentinianorum corruptioni tribuens. Consule de hac lectionis varietate *Semleri* paraphrasin. Secundum receptam lectionem sermo est de hominibus, quibus a Christo datum est filios Dei fieri. De iis dicit Ioannes eos *non* ἐξ αἱμάτων, *ex semine humano*, *ex homine aliquo*, (e. g. Abrahamo) esse *prognatos*. Αἱμάτων, pro singulari αἵματος, quia de utroque parente sermo est. αἷμα ex veterum Lexicographorum sententia est i. q. σπέρμα, *semen*. Hesychius vero recte contendit, αἷμα esse dictionem trop. pro γένος. Mos est Hebraeis hominem, praesertim cum Deo aut angelis comparatum, vocare בָּשָׂר וָדָם, *carnem et sanguinem*, ut Matth. XVI, 17. Gal. I, 16. et alibi. Quia vero σὰρξ et ἀνὴρ h. l. sibi opponuntur, sunt, qui credant, voc. σὰρξ indicare *feminam*, Ep. Iud. v. 7. 2 Petr. II, 10. Θέλημα intelligendum est aut simpliciter de *voluntate*, i. e. *arbitrio* in propaganda sobole, aut de *libidine*, ut Hebr. חֵפֶץ. Phrases igitur ἐξ αἱμάτων, ἐκ θελήματος, σαρκὸς — ἀνδρὸς, nihil valde diversum significant, nisi distinguere velis haec duo: feminae — viri voluntate coire. Ἐκ Θεοῦ γεννηθῆναι, et τέκνον τοῦ Θεοῦ εἶναι, nihil inter se differunt. Igitur h. l. ii dicuntur ex Deo nati esse, qui vi divina, per coelestem doctrinam Christi sese exserente, mente emendati, Deoque similes facti sunt. Iudaei putabant se sorte nascendi et propter maiorum virtutem esse filios Dei dilectos. Sed ii vere dilecti filii Dei sunt, qui per doctrinam Christi novam indolem induerunt, nec natalibus suis, sed Dei voluntate ad severam sanctitatem adducti sunt. Paulus in Ep. Rom. VIII, 14. interpretatur: Ὅσοι γὰρ πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοι

οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ. Ceterum ratio, qua fiat animi immutatio sanctior illa, hic non definitur, modo prorsus distinguitur a generatione corporea.

14. Καὶ ὁ λόγος — ἐν ἡμῖν) *Nam ὁ λόγος homo factus est, et versatus est inter nos.* Καί, ut saepe hebr. ו, vertendum est h. l. *nam.* (Alii vertunt: *atque, vero.*) Explicatur enim et aliis verbis exprimitur, quod supra v. 11. dictum erat: εἰς τὰ ἴδια ἦλθε. *Ierusalemus*: ὁ λόγος, vis illa, potentia et sapientia divina (v. 1. sq.) perfectissimo modo apparuit in homine Iesu. Sed intelligitur potius illa natura coelestis, ante mundum conditum existens, cum Deo intime coniuncta. Modum huius coniunctionis nemo mortalium explicare poterit. Veteres ecclesiae doctores plerosque statuisse, Logon vices animae rationalis in corpore Iesu obiisse, demonstravit *Planck* in Progr. quod inscriptum est: *Observatt. quaedam in primam doctrinae de naturis Christi historiam*, inserta Commentatt theoll. a *Veltusenio*, *Rupertio* et *Kuinoelio* editis. Vol. I, p. 241. sqq. Σὰρξ h. l. est *homo*, corpore mortali indutus, ut Matth. XXIV, 22 imprimis Rom. II, 28. 29. 1 Tim. III, 16. et aliis locis. Quod sensum attinet, cf. Hebr. II, 14. Phil. II, 6—8. Ἐγένετο *factus est*, non: *fuit:* nam ὁ λόγος iam ante conditum mundum extiterat, et ipse mundum creaverat, v. 2. 3. Reiicit Ioannes eorum opinionem, qui τὸν λόγον humano corpore praeditum fuisse negabant, contra quos etiam Epist. I disputat. καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν) *et habitavit inter nos*, non subito apparuit, et mox disparuit, ut angeli, sed inter homines per triginta amplius annos continuos vixit. Haec enim est vis verbi σκηνοῦν, quod proprie significat *tentorium figere*, sed

sed h. l. *commorari*, *versari*. Cf. locum Sirac. XXIV, 8. supra ad v. 11. laudatum, et quae ibi notata sunt. Nam Hebraei, ut indicarent, quam fragiles caducaeque sint res humanae, corpus humanum, cum tentorio et vitam omnino cum commoratione sub tentoriis comparare solebant. Voc. Hebr. שָׁכַן aliquoties LXX. verterunt: σκηνοῦν, ubi alii κατοικεῖν. Ἐν ἡμῖν, *inter nos*, scil. homines, ut eum contemplari possemus. Καὶ ἐθεασάμεθα — παρὰ πατρὸς) *Et contuebamur* (contemplabamur) *maiestatem eius*, *maiestatem utpote unici filii a Patre* (exhibitam). Ἐθεασάμεθα cum delectu positum est, cf. 1 Io. I, 1. Δόξα, כָּבוֹד, *maiestas*, *Herrlichkeit*, *Klarheit*, omnes Dei virtutes, inprimis eius potentia summa et benignitas. Haec Christi maiestas apparuit in eius miraculis, inprimis autem in eius doctrina vere divina, omni humana sapientia superiore. Unde Christus Col. 1, 15. vocatur εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, *is*, *per quem Deus invisibilis factus est conspicuus hominibus*. Cf. etiam Hebr. I, 3. At vero illa maiestas divina, quae in Christo conspicua erat, et omnium temporum hominibus se ostendere debebat, non nisi animi conspectu percipi poterat et potest ab iis, qui sunt τέκνα Θεοῦ v. 12. Μονογενής, fere i. q. בֵּן יָחִיד, *unicus*, Gen. XXII, 2. 12. Iud. XI, 34. ubi Graeci, sensum respicientes, vertunt ἀγαπητόν. ὡς ante μονογενοῦς non est particula similitudinis, sed ut Hebraeorum כִּי indicat rei certitudinem et veritatem; Chrysostomus nominat particulam βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβήτου διορισμοῦ, *confirmationis et indubitatae definitionis*. Illud παρὰ πατρὸς referunt *Valla*, *Erasmus* aliique ad δόξαν, *maiestatem non quam-*

quamlibet, sed a patre exhibitam, δοθεῖσαν, *quae declararet, eum unicum esse filium.* Matth. III, 17. Alii referunt ad μονογενοῦς, et supplent ἐξελθόντος, vel ὄντος, *filii unici, a patre missi.* Tum vero dicendum fuisset vel τῷ πατρὶ, vel τοῦ πατρὸς, sine particula παρὰ. Παρὰ, *a*, ut Matth. XX, 20. Io. V, 41. Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας) *plenum benignitatis et veritatis.* Recte haec verba construuntur cum illis: καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, et verba καὶ ἐθεασάμεθα — πατρὸς parenthesi includuntur. Male *Paulus*, Erasmum secutus, verba πλήρης χαρ. κ. ἀλ. cum comm. seq. coniungit, ut Ioannes Baptista sit *plenus benignitatis et veritatis.* χάρις καὶ ἀλήθεια sunt qui per ἓν διὰ δυοῖν interpretentur *gratiam* s. *benevolentiam verissimam*, beneficium maximum. Minus recte. Christus dicitur πλήρης χάριτος, quatenus est hominum salvator, per quem divina in genus humanum gratia est patefacta, idemque πλήρης ἀληθείας dicitur, quod homines veram religionem edocuit, et verae doctrinae veluti est thesaurus. Cf. v. 16. 17. unde apparet, tacitam esse comparationem cum Mose. Cf. etiam *Lückium* in Commentar. p. 412. sqq. Hebraica phrasis חֶסֶד וֶאֱמֶת describit maximam benignitatem, quae est solius Dei. 2 Sam. II, 6. Ps. XXV, 10. Ps. LXXXIX, 15. Iam redit Noster ad testimonium Ioannis Baptistae.

15. Ἰωάννης — πρῶτός μου ἦν) *Ioannes ita de eo docuit, atque publice confirmavit: hic est de quo dixi: Qui post me munus suum auspicabitur, is ante me fuit, quippe me prior erat.* Μαρτυρεῖ, Praesens loco Praeteriti, ut saepe. Evangelista ipsius Ioannis

Ioannis publica confessione eos refellit, qui Ioannem *omisso Iesu* sectabantur, deque eius nomine dici se volebant. καὶ κέκραγε) *atque magna voce confirmavit.* Pertinet hoc verbum praecipue ad *publicum* testimonium; nam κράζειν, ut βοᾶν, Matth. III, 3. saepe est aliquid *promulgare, publice confirmare.* Οὗτος ἦν pro ἐστὶ ex Hebr. linguae usu. ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἔμπροσθέν μου γέγονεν) i. e. *qui post me munus suum auspicatur, ante me fuit.* Nonnulli ἔμπροσθεν explicant de dignitate. *Chrysostomus* verba haec explicavit: λαμπρότερος, ἐντιμότερος. Sed vocabulum ἔμπροσθεν nec in N. T. nec apud Alexandrinos, nec apud Profanos indicat *dignitatem*, praerogativam. Itaque de prioritate temporis potius sermo esse videtur. Πρῶτος pro πρότερος potest quidem dignitatis eminentiam notare; nam Matthaeus dixit: ἰσχυρότερός μου ἐστὶν, c. III, 11. cf. Marc. I, 7. Luc. III, 16. Tum ἦν positum esset pro ἐστὶ, quod est durum; sed Ioannes πρῶτον de prioritate temporis usurpare solet, c. I, 42. V, 4. VIII, 7. XV, 18. XX, 4. 8. Cum hac explicatione consentit locus c. VIII, 58. Hoc igitur voluit Ioannes: Messiam qua λόγον priorem fuisse Baptista. Vid. *Ziegler* l. c. p. 37. s.

16. Quae in hoc et seq. comm. dicuntur, nonnulli adhuc tribuunt Baptistae; sunt vero Apostoli, qui uberius explanat sententiam v. 14. propositam. Καὶ ἐκ — χάριτος) *Atqui ex eius copiis nos omnes accepimus maxima beneficia.* Non καὶ ἐκ, sed ὅτι ἐκ habent haud pauci Codd. quod ὅτι *Paulus* in Comment. vult mutari in ὅ, τι. Πλήρωμα hebr. מְלֹא *divitiae, copiae*, Gen. XLVIII, 19. Ies. XXXI, 4. *Hesy-*

Hesychius: πλήρωμα, πλῆθος. Πλήρωμα αὐτοῦ, nempe Christi, qui v. 14. dicebatur πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, nihil aliud est, quam id, e quo veram doctrinam hauserunt Apostoli et alii Christi sectatores, thesaurus ille plenus divinae sapientiae, tanquam verissimi beneficii, quod nobis attulit Christus (v. 18.), dum Deum nobis cognoscendum dedit. Cf. Rom. XV, 29. Col. I, 19. II, 9. et *Noesselti* commentationem ad h. l. in Opusc. Fascic. II. p. 251. sqq. Vid. etiam *Storrii* diss. de sensu vocis πλήρωμα. Πάντες non ad Apostolos tantum iisque concessa singularia dona (χαρίσματα), sed ad omnes omnino Christianos referri debet; nam in iis, quae proxime sequuntur, religio christiana, pro reliquis Christi beneficiis cunctis commemoratur. Verba: καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος, vertenda esse videntur: *et quidem maxima beneficia.* Καὶ h. l. explica et verte: *et quidem.* χάρις ἀντὶ χάριτος (חֵן עַל חֵן), *unum beneficium post alterum*, insignia, maxima beneficia, salutaris sc. doctrinae; abundanter largitur gratiam. Alii illud ἀντὶ referunt ad eam *gratiam*, qua populus Iudaicus olim acceperat legem, ut sensus sit: pro ea gratia, qua populus Iudaicus aliis praestare videbatur, nos accepimus gratiam praestantiorem, Evangelii scilicet hoc munus. Sic etiam hunc locum *Noesseltus* l. c. p. 245. explicat. Nec male. Nam statim v. 17. χάρις καὶ ἀλήθεια, *quae nobis per Christum contigerunt*, opponuntur legi a Mose profectae, in qua magnum Israelitae beneficium acceperant, digni etiam propterea habiti, qui filiorum Dei nomine mactarentur. Sed longe excellentius beneficium collatum erat in Christi discipulos, quippe qui χάριν καὶ ἀλήθειαν, *gratiam et veritatem* (vid. v. 15.) acciperent, aut

χάριν ἀντὶ χάριτος, *maius beneficium pro beneficio minori*, ut longe maiori iure *filii Dei* appellentur, *quicunque in eum credidissent.*

17. Ὅτι ὁ νόμος — ἐγένετο) *Namque lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Ὁ νόμος est omnium legum Mosaicarum complexus. Haec non tantum ad discipulos Ioannis, sed ad omnes Iudaeos referuntur, qui duram illam, molestamque legem, quae terrebat, et poenas gravissimas minabatur, doctrinae Christi praeferebant. Hebr. X, 15. sqq. XII, 18—24. Erat quidem beneficii loco Israelitis data lex Mosis; et in V. T. institutione quoque divinam gratiam sese exseruisse, quis neget? sed verius et grandius beneficium est doctrina Christi. *Moses nobis Legem tradidit;* totius favoris divini, expulsis omnibus in religionis cognitione tenebris, participes nos reddere non potuit. Hoc certum est, meliorem perfectioremque doctrinam Christi, quae nobis viam ad favorem divinum uberrimum aperit, opponi imperfectiori legi Mosis.

18. Θεὸν οὐδεὶς — ἐξηγήσατο) *Deum* (eiusque arcana consilia) *hominum nemo cognoverat, unigenitus ille Dei filius, isque cum patre coniunctissimus, consilia eius nobis interpretatus est.* Pro υἱὸς in voce μονογενὴς υἱὸς in aliis libris legitur Θεὸς, in aliis υἱὸς Θεὸς, in aliis υἱὸς Θεοῦ. Variant Patres; quod vero nonnulli υἱὸς omisisse videntur, vix alicuius momenti est, cum idem in voc. μονογενὴς insit: quod illud Θεὸς vel substituunt, vel addunt, vel Θεοῦ vel υἱὸς τοῦ Θεοῦ habent, ad usum loci dogmaticum aut homileticum pertinet. Ὁρᾷν non de sensu oculorum accipiendum esse,

esse, in promtu est; sed h. l, ut omnino in Ioannis scriptis formula *Deum videre* est: consuetudine, familiaritate experiri, qualis sit; vid. Io. VI, 46. XIV, 7.: ἑωράκατε αὐτὸ, i. e. in me experti estis, qualis ille sit. Ne Moses quidem ita familiariter cum Deo vixit, ut eius consilia pervideret. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς *patri coniunctissimus.* Εἰς pro ἐν. *In sinu esse* est *proximum et intimum esse.* Luc. XVI, 22. Sumtum de modo accumbendi veterum. ἐκεῖνος ἐξηγήσατο) Verba ἐξηγεῖσθαι et κατηγεῖσθαι dicuntur maxime de iis, qui de rebus divinis est absconditis exponunt, unde ἐξηγήσατο in loco parallelo Matth. XI, 27. est ἀπεκάλυψε, *patefecit. Hesychius:* ἐξηγήσατο· ἡρμήνευσε. LXX. ἐξηγήσασθαι usurparunt pro hebr. הוֹרָה Levit. XIV, 57. et Gen. XLI, 8. 24. חַרְטֹם, *magus, divinarum rerum interpres*, exponitur: ἐξηγητής. *Hesych.* ἐξηγητής· ὁ περὶ ἱερείων καὶ διοσημείων ἐξηγούμενος. *Suidas* ἐξηγήσασθαι significare docet ἅμα λέγειν τε, περὶ ὧν ἀγνοοῦσιν οἱ ἀκούοντες, καὶ διδάσκειν αὐτοὺς, περὶ ὧν πυνθάνονται. In eo igitur demonstravit Christus δόξαν αὐτοῦ, *maiestatem divinam*, (v. 14.) quod nobis, quae penitus cognoverat, consilia divina de salute hominum, tot seculis abscondita, exposuit. Verbis enim ἐκεῖνος ἐξηγήσατο obiectum subaudiendum est ex v. 17.: τὴν χάριν καὶ τὴν ἀλήθειαν.

19. Καὶ αὕτη — τίς εἶ) *Haec est autem Ioannis* (de eo) *professio: Quum Synedrii Hierosolymitani assessores nonnullos sacerdotes et Levitas ad eum misissent, interrogaturos, quisnam esset?* Ἡ μαρτυρία h. l. est *professio libera*, ad legitimam interrogationem prolata. Οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων, i. e.

Synedrium magnum (cf. Matth. XV, 1. Marc. VII, 1.), cuius consessus erat Hierosolymis, et cuius cura erat providere, ne falsa doctrina proponeretur. Iudaeorum proceres, novarum rerum cupidi, quum fama percrebuisset, Ioannem a multis pro Messia haberi, Luc. III, 15. eam ob causam legatos ad Ioannem misisse videntur, quod, si eum talem esse cognoverint, qualem sibi optarent Messiam, hac opportunitate abuti vellent, Romanorum potestati se subducendi. Si Ioannis conamina omnino invisa fuissent synedris, quae ei, cum esset professus, se neque Messiam, neque Eliam, neque Ieremiam (v. 21.) esse, interdixissent, ne baptizaret et doceret. Sed grata iis saltem erat publica Ioannis professio, Messiam brevi proditurum esse. Miserant ἱερεῖς καὶ λευίτας, doctissimos sui coetus; nam hi, quibus e publico victus erat, liberius studiis vacabant. ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτὸν, σὺ τίς εἶ;) Compendio rem dicit, quae ex superioribus plenius intelligitur. Non enim tantum interrogarunt, quis esset, i. e. quo munere fungeretur, sed et, an esset Christus? Est autem mos Hebraeorum mandata exprimere oratione directa. Ceterum legationem illam ad Ioannem missam esse, cum Christus iam baptizatus esset, ex v. 32. concludi posse videtur, ubi Ioannes de Iesu baptismate tanquam de re praeterita loquitur. Ante quam Christus baptizatus esset, ea quae I, 19—28. narrantur, facta esse, vario modo probare student *Kuinoelius* ad h. l. et *Lückius* p. 459. sqq. Componere litem difficile est.

20. Καὶ ὡμολόγησε — ὁ χριστὸς) *Libere et palam professus est, se non esse Messiam.* Interrogatus nempe, an Messias esset. Sine ulla haesitatione, palam, libere fassus est. Negatio oppositi addi affirmationi

solet

solet, ad omnem exceptionem elidendam. Repetitur autem ὡμολόγησε, ut significetur, illum bis terve idem magna constantia atque asseveratione dixisse, quod eo magis erat necessarium, quia illa falsa opinio, Ioannem esse Messiam, multos iam invaserat, Luc. III, 15. Professus est, se non esse magnum illum Messiam, qui circa ea tempora exspectabatur. Quum vero synedri ad Ioannem interrogatum mitterent, num esset Messias, verisimile est, eos minus recordatos esse vaticiniorum de Messiae origine ac prosapia, qua de re inter ipsos Iudaeorum doctos diversae erant sententiae, quam potius spectasse populi ipsorumque desiderium, quaeque praeclara et miranda de Ioanne fama accepissent.

21. Ἠλίας εἶ σύ;) In terras demissus ex eo loco, in quem raptus est. Iudaei plerique in ea erant opinione, *Eliam* seu similem paullo ante Messiam esse venturum, uncturum eundem, i. e. adiuturum eius publicam auctoritatem. Cf Matth. XVI, 14. Maleach. IV, 5. Qui hoc interrogant, ostendunt, se nescire, quo patre, qua matre natus esset *Ioannes*, aut de eo dubitare. οὐκ εἰμί) Hoc nimirum sensu, quo interrogabatur. Nam alio sensu Elias nominari poterat, Luc. I, 17. ὁ προφήτης εἶ σὺ;) ὁ προφήτης, cum articulo, scil. qui exspectaretur, ὁ ἄλλος, ille Messiae alter adiutor, qui non est Elias. *Ieremias* intelligi videtur, de cuius reditu rumor quidam inter Iudaeos vagabatur. Vid. 2 Macc. XV, 14. ubi ὁ τοῦ Θεοῦ προφήτης dicitur. Eum putabant abscondisse urnam Mannae, arcam foederis, et alia ab ipso restituenda Iudaeis. Ex ipso sermone gradatim h. l. descendente patet, legatos non amplius de Messia quaeritasse, sed innuisse prophetam, non modo a Christo diversum, sed etiam Elia minorem.

22.

22. Τίς εἶ;) Post negativas responsiones affirmativam volunt elicere, qualem officio se diceret. Synedrii cum esset cura religionis patriae, ut ratio ipsi redderetur a novo eius doctore, postulare poterat. Ἵνα — ἡμᾶς) Responsum dare, dicitur de legatis, quibus mandata sunt data, et qui responsum referunt.

23. Ἐγὼ φωνὴ — ὁ προφήτης) *Equidem in desertis cohortor homines, ut viam sternant domino, praeeunte Iesaia vate.* Ioannes non diserte respondet, sed munus suum describit verbis Iesaiae Cap. XL, 3. Verba tamen Prophetae memoriter e versione septuagintavirali laudantur. Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος, pro ἐγὼ ὁ βοῶν sc εἰμί. Vid. notata ad Matth. III, 3.

24. Ἐκ τῶν Φαρισαίων) Non mirum: maior enim synedrii pars eius erat sectae, ut videre est Act. XXIII. Erant praeterea Pharisaei rituum tenaces et simul terreni Messiae desiderio flagrabant.

25. Τί οὖν βαπτίζεις;) Hoc ius, per baptisma lustrandi et novam colligendi religionis societatem, concedebant Iudaei Messiae, eiusque adiutoribus, Eliae et Ieremiae, non autem aliis. Qui enim baptizabantur, novam subibant obligationem, et quoddammodo seiungebantur a reliqua Iudaeorum societate sacra. Cf. *Lightfoot Horr. Hebrr. et Talmudd.* ad h. l.

26. Ἐγὼ — οὐκ οἴδατε) *Equidem aqua homines abluo; sed medius inter vos adest, vobis ignotus.* Ἐν ὕδατι, sola aqua, ut alii etiam Iudaei proselytos baptizabant. Nolite putare, inquit, rem totam esse in meo baptismate. Ego obstringo Messiae accipiendo vos lotione sacra; baptizo εἰς μετανοίαν et εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, Luc. III, 3. Quod ego facio, praeparatio tantum

tantum est et initium functionis Messiae mandatae. Cf. Matth. III, 11. Marc. I, 7. 8. Luc. III, 16. *μέσος δὲ ὑμῶν ἔστηκεν*) *Inter vos est.* Is, quem requiritis, Messias, inter vos iam est, muneri suo paratus. Ἔστηκε, aut loco *praesentis*, aut loco *futuri:* Paulo post publice inter vos comparebit. *ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε*, simpliciter: qui est vobis ignotus. Sat evidenter Ioannes his verbis, ad Messiae auctoritatem provocans, legatos edocuit, se Dei iussu Iudaeos baptismatis ritu Messiae obstringere, etsi non sit Messias, nec Elias, nec Propheta ille.

27. *Αὐτὸς — ὑποδήματος*) *Is est ille, qui me excipiet* (in munere gerendo,) *qui ante me extitit, cuius ut calceorum lora solvam, sum indignus.* Cf. supra comma 15. et Matth. III, 11. Alia lectio est: Ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος κ. τ. λ. sensu fere eodem manente. Verba ὅς ἔμπροσθέν μου γέγονεν h. l. a multis optimae notae Codd. absunt, adeoque adscripta esse videntur a grammaticis. Servum tantum Messiae se existimari vult Ioannes. *Kiddu-schin* fol. 22, 2.: *Quae servus hero, discipulus praestat praeceptori, praeter solutionem calcei.*

28. Ἐν Βηθανίᾳ) Sic enim scribendum, nam sic legebant plerique, imo omnes codices ante *Origenem*, qui hanc lectionem mutavit in Βηθαβαρᾷ, et ex *Origene* pendent ceteri interpretes inde a *Chrysostomo*. Origenes ipse profitetur, in omnibus fere Codd. exstare lectionem Βηθανίᾳ (*σχεδὸν ἐν πᾶσι τοῖς ἀντιγράφοις*), et ita quoque Heracleonem legisse, sed lectionem mutavit eam ob causam, quod praeter Bethaniam, quae non longe aberat ab Hierosolymis, nullam sciret aliam.

Sed

Sed fuit alia etiam Bethania, trans Iordanem, in tribu Ruben sita, postea Bethabara dicta. Et *Bethabara* (בֵּית עֲבָרָה) et *Bethania* (בֵּית אַנְיָה) significant *domum transitus*, locum, ubi navi traiicitur fluvius. Evangelista, ut Bethaniam h. l. memoratam discerneret ab illa prope Hierosolyma, apposite scripsisse videtur *πέραν τοῦ Ἰορδάνου*. Non tolleretur difficultas, si post *ἐγένετο* interpungeretur, reliquis cum sequenti narratione coniunctis, quod fecit *Boltenius* (quem *Paulus* secutus est), qui vertit: *Dies geschahe zu Bethanien. Am Ufer des Iordans, wo Iohannes taufte, sah er den Tag darauf* etc. Haec tamen coniectura nullis idoneis rationibus nititur Πέραν Ἰορδ., *trans Iordanem*, in Peraea. *Kuinoelius* vertit: *cis, diesseits*, in Iudaea. Nec vero in eo haerendum est, quod Peraea Herodi subiecta fuit, cuius, quippe Iudaei, terrae Synedrii cura illa non defuit, neque ullo modo constat, an publico nomine missi fuerint Pharisaei; ut recte monet *Vater*. Cf. etiam *Lückium* in Commentar. p. 458. 459.

29. Sequitur aliud testimonium Ioannis coram discipulis editum. Τῇ ἐπαύριον — τοῦ κόσμου) *Non ita multo post, quum Iesum accedere videret, en, inquit, agnum Dei ablaturum peccata hominum.* Τῇ ἐπαύριον videtur hic vertendum *non multo post*, ut hebr. מָחָר, et intelligendum esse diem aliquem post baptisma Christi a Ioanne administratum. Omisit nempe Evangelista Ioannes historiam de baptismate Christi, inserendam ex aliis Evangelistis. Hoc non temere dici, ex eo recte colligitur, quod in omni reliquo loco de Christo baptizato sermo est. Videtur

Iesus

Iesus ad Ioannem venisse, quod eius praedicationem vellet cohonestare, sicut antea ad eius baptisma honoris causa venerat. Ne quis autem suspicaretur, Iesum eadem causa, qua alii, venisse ad baptisma, ut scilicet peccata confiteretur, idcirco tollit Ioannes eiusmodi suspicionem, dicens: ἴδε — κόσμου. Variae sunt interpretum sententiae de horum verborum sensu. Ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ esse potest *agnus Deo probatus*, ut ἔργον τοῦ θεοῦ, c. VI, 29. *sacrificium Dei*, זִבְחֵי אֱלֹהִים Ps. LI, 19. vel. *agnus Deo tanquam victima consecratus*, vel *a Deo missus*. Alii Ioannem respexisse putant ad agnum paschalem, alii potius ad agnum sacrificii iugis. Quum enim agnus paschalis a solis Iudaeis comederetur: agnus sacrificii iugis totus comburebatur offerebaturque pro salute non Iudaeorum solum, verum totius humani generis, teste *Ioseph.* de B. I. L. II, c. 10. §. 4. Antiq. III, 10, 1. aliisque locis. Qui ad illas, quibus *agnus* in V. et N. T. reperitur, significationes provocant, consentiunt in eo, spectari Iesum tanquam victimam pro peccatis hominum Deo oblatam, et cogitant de morte Christi cruenta et piaculari. Sed agnis Iudaei ad sacrificia piacularia usi non sunt; agni solis inserviebant sacrificiis καθαρσίοις et εὐχαριστικοῖς, non itidem ἱλαστικοῖς, etiamsi fuissent ὁλοκαυστά. Cf. Lev. XIV, 12. Num. VI, 12. Agni paschalis mentio sine dubio non ita iniicitur, ut de sacrificio cogitetur. Nam Pascha celebrabatur in memoriam liberationis a servitute Aegyptiorum, et mactabantur in templo agni ut Paschatos celebratio religionis speciem indueret. Illud vero *sacrificium iugis* erat etiam e genere εὐχαριστικῷ: nam grates solvebantur hoc sacrificio Deo, pro beneficiis quotidianis *populo Israeli-*

Israelitico exhibitis, quod claris verbis docet *Philo de victimis.* Satis notum est, Iudaeorum superstitionem, omnem cum gentilibus in rebus sacris commixtionem adversatam esse. Et veterum et recentiorum interpretum de h. l. opiniones diligentissime examinavit *Kuinoelius* ad h. l. Ioannes Baptista fovere quidem *poterat* opinionem hanc, Messiam moriturum, morteque sua expiaturum esse homines; eum tamen ita statuisse, pluribus de causis parum probabile est, ut ostendit *Kuinoelius*, p. 169. sqq. Etenim Ioannes quoque de Messia eiusque regno praeiudicatas opiniones fovebat, nec alius reperitur locus, e quo colligi possit, Ioannem cogitasse de Messiae morte piaculari, praeter hunc ipsum, qui tamen aliam interpretationem admittit; Ioannes denique ipse professus est, Messiam lustraturum esse populum iuvante Spiritu sancto, Ioann. I, 33., et pertinaces poenis gravissimis affecturum, Matth. III, 10. sqq. Aliis *agnus* rectius videtur esse Symbolum hominis mansueti et innocentis. Ἀμνὸς τοῦ θεοῦ de patientia, qua toleratur ab innocente, Ioannes locutus et ad Ies. LIII, 7., qui locus de Messia intelligeretur ab ipsis Iudaeis, videtur respexisse (*Vater* in N. T.). Αἴρειν significat, *aliquid sursum tollere, in se suscipere*, sed etiam *auferre*, *abducere*, *removere*, c. II, 16. XI, 39. 41. XV, 2. Notio *removendi* in verbo αἴρειν firmatur igitur usu loquendi Ioannis Apostoli, qui sui ipsius est interpres 1 Io. III, 5. ἐκεῖνος ἐφανερώθη, ἵνα τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἄρῃ, quibus respondeat v. 8. verbis λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου. Ceterum in locis, ubi נָשָׂא עָוֹן cum expiatione coniungitur, ut Exod. XXVIII, 38. Lev. X, 17. in LXX. vocabulis ἐξαίρειν, ἀφαιρεῖν redditur. Ἁμαρτία est *poena peccatorum*,

torum, comparata cum gravi onere, quod Christus ablaturus esset (αἴρει). Cf. 1 Io. III, 5. Sensus igitur esse videtur: *En illum hominem innocentem, mitissimum, Deo probatum et consecratum, qui gravissimas in se suscipiet molestias, ut homines scelestos ad veram religionem virtutemque adducat, atque sic eos a miseria peccatorum liberet.* Si Ioannes ad *sacrificia* respexisset, haud dubie usurus fuisset verbo προσφέρειν, ut c. XVI, 2. Vid. *Ziegler* l. c. pag. 42. sqq. et cf. *Neues theol. Journal*, Tom. X. part 3.

30. Etsi huius comm. verba repetita sunt ex v. 15. hoc tamen loco historice coniunguntur cum v. 26. et 27., quasi dicat: Οὗτός ἐστι, ille, de quo dixi: μέσος δὲ ὑμῶν ἔστηκεν κ. τ. λ. et οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος κ. τ. λ.; οὗτος, inquam, est, qui post me veniet etc. Iterum igitur significat Baptista Christi praeexistentiam divinamque dignitatem. Ἀνήρ ponitur pro τὶς et πρῶτος pro πρότερος.

31. Κἀγώ — βαπτίζων) *Ego vero, qui eum non noveram, ideo iussus sum Israelitas immersionis ritu initiare, ut illis innotesceret.* Οὐκ ἤδειν αὐτὸν, non noveram eum esse Messiam. Indicat his verbis Ioannes, se non humanae familiaritatis gratia, sed ex divina revelatione hoc de Christo testimonium proferre. Dissentire videtur a nostro Matthaeus, c. III, 14. ubi Ioannes dicitur recusasse Christum baptizare, sine dubio quod sciret, eum esse Messiam. Sed tollitur difficultas in loco Matthaei, si sumamus, Christum plura locutum esse cum Ioanne de religione, ante quam baptisma ab eo peteret. Ἔρχεσθαι de iis dicitur, qui munus aliquod suscipiunt. Φανεροῦσθαι, *innotescere.*

cere. Breviter dicit, quod mox v. 32. sqq. explicatius dicet, se occasione baptismatis didicisse, Iesum esse Messiam. Quum nempe Ioannes primum ad baptizandi munus accederet, fecit id quidem eo consilio, ut populum moneret, iam esse Messiam prae foribus; sed quis ille esset, ipse tunc ignorabat. Hoc Deus ipse revelavit, quum Iesus baptizaretur.

32. Καὶ ἐμαρτύρησεν — ἐπ' αὐτὸν) *Porro Ioannes de eo docuit haec: vidi divinum spiritum coelitus se veluti columbam demittentem, eique insidentem.* Τεθέαμαι, sc. animo intellexi. Nempe ex sermonibus Iesu cognovit Ioannes, Iesum divina vi instructum, et Dei esse filium, (ut patet ex Matth. III, 14.) atque commotus est animo ita, ut spiritum sanctum in sua specie symbolica in eum veluti descendere conspiceret. Cf. etiam notata ad Matth. III, 16. Πνεῦμα non solum de enthusiasmo dicitur, sed de omni divina vi et virtute, de divina indole, qua quis praeditus est. Ἔμεινεν non refertur ad περιστερὰν, sed ad τὸ πνεῦμα. Inde ab eo tempore apparebat, τὸν λόγον cum Iesu esse coniunctum, operari Deum, vim divinam per τὸν Λόγον. Pro ὡσεὶ περιστερὰν cum optimis Codd. legendum ὡς περιστ.

33. Κἀγὼ — πνεύματι ἁγίῳ) *Et quum eum non cognovissem, is qui me iussit Iudaeos baptizare, indicavit mihi: super quem videris descendentem et manentem Spiritum sanctum, is est, qui alios olim divina vi imbuet;* (is est Messias). Βαπτίζειν ἐν πν. ἁγ. *superfundere*, ut aqua, ita *coelestibus dotibus*, quibus adiuti Christiani omnes πνευματικοὶ fore dicuntur in Epistolis Pauli. Est descriptio Messiae.

siae. Cf. et Matth. III, 11. Hoc igitur signo cognovit Ioannes, Iesum esse Messiam. Vocabulum πνεῦμα h. l. bis positum est eodem sensu, non diverso, ut nonnulli credunt. ὁ πέμψας με, *qui me iussit* βαπτίζειν. Sensit Ioannes, se divina auctoritate opus facere, et de hoc interno sensu cogitari debetur.

34. Κἀγὼ — τοῦ θεοῦ) *Iam vidi, itaque testor eum Dei esse filium* (Messiam). Μεμαρτύρηκα, *testari soleo, testatus sum et testor:* more Hebraeo, quo vox praeteriti etiam permanentem actum significat. ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ) *Messias.* Vid. dicta ad Luc. 1, 32.

35. Τῇ ἐπαύριον — δύο) Τῇ ἐπαύριον, sc. γενομένῃ ἡμέρᾳ, *sequenti die*, vel simpliciter: *postea, alio quodam die.* Εἱστήκει, eodem nempe loco, muneri suo intentus. Ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ δύο. Plures nempe discipulos habuit Ioannes; sed isto die nonnisi duo apud eum erant. Unus eorum erat Andreas, comm. 41. Alterum fuisse Ioannem, Evangelii huius scriptorem, plurimi interpretes recte statuunt.

36. Καὶ ἐμβλέψας — τοῦ θεοῦ) *Et quum Iesum incedentem videret, en! inquit, agnum Deo probatum!* Eadem sententia, quae v. 29. Commendat his verbis Ioannes discipulis Iesum; sine dubio autem pluribus verbis, quam quae hic leguntur.

37. Καὶ ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ) *Sectati sunt Iesum*, eo consilio, ut eius disciplinae se traderent.

39. Τί ζητεῖτε;) *Quid quaeritis?* quid vobis vultis? Rogat eos eo consilio, ut eos bona spe confirmaret, ne erubescerent, haesitarentque. Ῥαββί — ποῦ μένεις;) Interpretatur Ioannes vocem *Rabbi*, sicut plera-

pleraque vocabula hebraica, propter Graecos, quibus praecipue Evangelium suum destinaverat. Cur autem interrogant discipuli: *ποῦ μένεις; ubi diverteris?* Bene respondet *Chrysostomus*: *μετὰ γὰρ ἡσυχίας καὶ εἰπεῖν τι πρὸς αὐτὸν καὶ ἀκοῦσαί τι παρ' αὐτοῦ, καὶ μαθεῖν ἤθελον. διόπερ οὐδὲ ἀνεβάλοντο οὐδὲ εἶπον· ἥξομεν πάντως αὔριον — ἀλλὰ τὴν πολλὴν σπουδὴν ἣν εἶχον περὶ τὴν ἀκρόασιν ἐπιδείκνυνται.*

40. Καὶ *παρ' αὐτῷ — ἐκείνην*) *Per illum diem cum eo versati sunt, inde a decima fere hora.* Hora decima est nostra pomeridiana quarta. Instituebat Iesus hos duos discipulos per reliquum diem. Ipsa temporis notatio, quo primum illi Ioannis discipuli Iesum convenerant, docere potest, alterum eorum fuisse Evangelistam.

41. — 43. Videtur haec narratio pugnare cum Matth. IV, 18. sqq. et Luc. V, 1. seqq. sed revera non pugnat. Nam plane diversis locis et temporibus contigerunt, quae Ioannes, et quae Matthaeus et Lucas narrant. Andreas fratrem Simonem adduxit ad Iesum in *Iudaea;* nam sequenti demum die Iesus profectus est in Galilaeam, v. 44. Iesus autem utrumque vocavit *περιπατῶν παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας*, Matth. IV, 18. coll. Luc. V. Quum Iesus Andream et Simonem vocaret, Ioannes in carcerem iam erat coniectus, Matth. IV, 12. 18. Marc. I, 14. 16. Sed post illam historiam, quam Ioannes hic narrat, Iesus ex Iudaea in Galilaeam profectus est, v. 44. et ex Galilaea Paschatis celebrandi causa Hierosolyma rediit, c. II, 13. vivo adhuc et libere docente Ioanne, c. III, 24. Credibile itaque est, Andream, Petrum, aliosque

aliquam

aliquamdiu usos quidem esse institutione Christi, sed vitae sustinendae causa artem etiam piscatoriam exercuisse, et post expressam demum vocationem ipsi adhaesisse *perpetuos* comites. πρῶτος (v. 42.) *prior.* Videntur enim Andreas et Ioannes Simonem quaesivisse. ἴδιον (pro αὐτοῦ) *suum.* Quum Christus *Simoni* novum imponit cognomen, Κηφᾶς, כֵּיפָא Petrus, (a firmitate Cf. Matth. XVI, 18.) ostendit, se eius ingenium et mores perfecte nosse. Nihili sunt aestimandae disputationes, quomodo Iesus Petrum cognoverit. ἄγειν pro προσάγειν, *adducere.*

44. Τῇ ἐπαύριον — Γαλιλαίαν) *Postero die,* ex quo Simon ad Christum accesserat, vel: non ita multo post, *quum iam redire vellet in Galilaeam*, vel in itinere iam constitutus. Cap. II, 1. Iesus post baptisma se in desertum recepit, tum in Galilaeam reversus Cana se contulit. Ἐξελθεῖν sc. ex Iudaea, in qua adhuc fuerat versatus, circa Iordanis loca. Ἀκολούθει μοι, *sequere me*, eodem sensu positum est, quo v. 37. Sensim sensimque ii, quos Christus sibi eligeret et quibuscum viveret, alio sensu eum secuti discipulique ei addictissimi facti sunt.

45. Ἐκ τῆς — Πέτρου) *Andreae et Simonis patria urbe oriundum;* nam πόλις h. l. significat patriam ut Luc. II, 2. Hi omnes discipuli Ioannis fuisse videntur.

46. Τὸν Ναθαναήλ) *Nathanael* infra c. XXI, 2. nominatur inter alios Apostolos. *Bartholomaeum* fuisse multi credunt, quia Ioannes nusquam Bartholomaei meminerit, reliqui vero Evangelistae nusquam Nathanaelis. Vid. Matth. X, 3. Ὃν ἔγραψε — ἀπὸ Ναζαρέτ) *Invenimus illum de quo scripsit Moses* etc. Messiam nempe;

nempe; *is autem est Iesus* etc. Sicut *Iosephi* filium putabant ex vulgi opinione, sic et ortu Nazarenum, quia vulgo sic vocabatur. Ibi educebatur, Matth. XXI, 11., inde illa opinio. Paucis locis Bethlehemi natus esse dicitur. γράφειν, quod inter alia significat *designare*, *praescribere*, saepissimi de dictis et effatis V. T. quibuscunque dicitur, potissimum de *vaticiniis*, ita ut saepius verti possit: *olim*, *antea praescriptum*, *praedictum est*, e. c. Luc. III, 4. XVI, 31. XXIV, 44. 46. et passim. Iudaei imprimis locum Deuter. XVIII, 15. de Messia explicare solebant.

47. Ἐκ Ναζαρὲτ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι) *Ex Nazareth quid boni exspectari potest?* Ne Propheta quidem aliquis, nedum Messias. Videtur Nazareth male tunc audivisse inter Iudaeos; inde potest intelligi, cur Nathanael sic interrogaverit. Solebant omnino ceteri Iudaei spernere Galilaeae incolas, quia e gentium societate multa vitia contraxerant, et rari inter eos erant doctores. Matth. IV, 13 — 16. ἔρχου καὶ ἴδε) Locutio frequens in *Zohar*. Doctrinam eius ipse auribus et mente percipe. Certiora indicia ex ipsius sermone accipies, quam ex loco originis haberi possint.

48. Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης) *Dignus hic est nomine veri Israelitae.* Non omnes Israelis posteri digni eo nomine, sed qui Iacobi probitatem referunt, Rom. IX, 6. ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι) *ab omni simulatione alienus homo*, homo sincerus. Respicitur elogium Iacobo datum Gen. XXV, 27. אִישׁ תָּם, ubi Graeci ἄπλαστος, *Aquila* ἀτλοῦς. Perhibetur autem Nathanaeli hoc testimonium, quia nihil gratiae dans dixerat, quod sacris litteris conveniens iudicabat. Neque eo

tamen

tamen minus veniebat, si quid posset, certius exploraturus. Voc. *Ἴδε* in Ioanne saepius legitur, quam *ἰδού*, utrumque sequi solet Nominativus.

49. Πόθεν με γινώσκεις;) *Unde me nosti?* scil. indolem meam. Πρὸ — εἶδόν σε) *Antequam Philippus te arcesserat sub ficu versantem, te animadverti.* Ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν, unde eum Philippus solus, nemine conscio, avocaverat. Iudaeis in more fuisse positum, sub ficubus miscere sermones cum amicis, confabulari, meditari, legere, orare, operam dare studiis, ex Talmude discimus. Vid. *Lightfootum* et *Schoettgenium in hor. hebr.* ad h. l. Φωνεῖν h. l. est *avocare, arcessere.* Εἶδόν σε, *animadverti te*, animum tuum cognovi et approbavi. Videtur Nathanael non procul a Iesu sub ficu sedisse. Fieri igitur potuit, ut Iesus Nathanaelem videre, et partem colloquii inter ipsum et Philippum audire posset. Sed haec tantum est coniectura; nec quid Nathanael sub ficu egerit, et quomodo Iesus eius indolem cognoverit, definiri potest. Hoc vero, Iesum hac quoque re se Messiam esse comprobasse, certum est.

50. Σὺ εἶ — Ἰσραήλ) Vide dicta ad Luc. I, 32. quae nostro hoc loco egregie confirmantur. Quanquam enim Nathanael Iesum vocat *filium Dei*, addito tamen ὁ βασ. τοῦ Ἰσρ. confitetur ψιλὸν ἄνθρωπον, ut recte observat *Chrysostomus* ad h. l. Phrasis υἱὸς τοῦ Θεοῦ eundem h. l. exprimit sensum, quem βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. Nondum enim a notione religiosa et morali remota est notio politica.

51. Ὅτι — πιστεύεις;) *Quod tibi significavi te mihi visum sub ficu, ideone mihi fidem addicis?*

ideone tam magnifice de me sentis, meque pro vero Messia habes? Πιστεύειν h. l est alicui confidere, sequi auctoritatem docentis. Μείζω τούτων ὄψει, *maiora et evidentiora argumenta videbis*, sc. huius rei, me esse Messiam. ὄψει, attica forma pro ὄψῃ.

52. Ἀπ' ἄρτι — ἀνθρώπου) *Ab hoc inde tempore vos intellecturos esse, divinos legatos, coelo velut aperto, mecum esse versaturos.* Sensus esse videtur: *Mox certis argumentis cognoscetis, me singulari frui providentia divina;* pleniorem accipietis cognitionem legationis meae ac maiestatis divinae, meque agnoscetis filium Dei, Dominum omnium rerum. Nempe, non proprie sed tropice intelligenda sunt haec verba. Qui proprie explicant, ii nulla exempla proferre possunt, nisi Matth. IV, 11. et Luc. XXII, 43. Sed prior locus huc plane non pertinet. Nam loquitur Iesus de re futura; tentatio autem in deserto tum temporis iam erat res praeterita. Restaret igitur unum illud exemplum Luc. XXII, 43. Sed Christus loquitur de re, non semel, sed saepius, et quidem mox et perpetuo eventura. Est igitur tropus in nostro loco. Genes. XXVIII, 12. similis formula adhibetur, de divini numinis praesentia et maiestate. Ministerium nempe angelorum indicat divinam providentiam, et dicitur Deus mittere angelos suos ad eos homines, quibus singulari auxilio adest, quos singulari providentia tuetur. Ps. XXXIV, 8. XCI, 11. 12. Videtur igitur sensus verborum Christi esse: *A nunc videbitis me singulari frui providentia atque tutela divina.* Exempla huius providentiae singularis satis multa occurrunt in vita Iesu. Saepe enim petitus insidiis, et ab hostibus cinctus, salvus evasit; catervam mercatorum

torum unus e templo eiecit, et nemo ei resistere ausus est; auditae sunt interdum voces coelestes, quibus filius Dei declaratus est etc. Inprimis vero ex miraculis Iesu, ope divina patratis, cognoverunt, eum esse Messiam. Cf. *Lückium* ad h. l. et quam attulit *Lutheri* interpretationem, p. 500. sqq.

CAP. II.

1. Τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ) Nempe post reditum in Galilaeam. Cf. c. I, 44. Alii supplent: *nuptiarum*, alii: *post legationem Hierosolymitanam ad Ioannem Baptistam*, alii referunt ad Christi effatum v. 52. Cap. anteced. γάμος) *Convivium nuptiale*, ut recte vertit Syrus. Ceterum videtur omnino sponsus aut sponsa fuisse e cognatis sive Mariae, sive *Nathanaelis*, qui fuit e Cana Io. XXI, 2. aut alicuius discipulorum Christi. ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας) Vicina fuit Cana Capernaumo, ita tamen ut a lacu Tiberiadis, ad quem Capernaum erat, remotior esset. Discernitur ab alio huius nominis oppido non procul a Iuliade. Cf. *Relandi Palaestina* p. 679. ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ) Videtur *Maria* gessisse partem curae et ministerii, atque iam antea quodam tempore hic versata fuisse; nec enim fuit in societate Iesu perpetua.

2. Ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς) Quia forte non longe aberat. Non autem invitatus est ut Propheta, sed ut popularis, cognatus, et notus. Nec qui cum publicanis et peccatoribus versatus est, ad nuptiale convivium venire recusavit. Οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ) Sectatores illi primo capite nominati, Andreas, Petrus, Philippus, Nathanael, ipseque Ioannes, huius Evangelii scriptor.

Apud epulas nuptiales erat duplex convivarum genus; alii invitati erant, alii sponte accedebant, qui iubebantur dona afferre.

3. Ὑστερήσαντος τοῦ οἴνου) *Quum vinum deficere inciperet*, eoque infundi parcius. Non est credibile omnino vinum defuisse, sed potius non affuisse satis magna copia videtur. Nuptias Iudaeorum per septem vel octo dies celebratas esse constat. Gen. XXIX, 27. Iud. XIV, 15. Cf. *Lightfoot* ad h. l. et *Seldenum* de ux. hebr. II, 7. Οἶνον οὐκ ἔχουσι) Personale pro impersonali. *Vinum deficit;* non est satis magna copia vini. Quaerunt h. l. interpretes, quo consilio Maria haec dixerit? Nulla a Christo hactenus miracula edita fuisse, certum est. Cf. infra com. 11. Sunt, qui ex hoc loco coniecturam ducant, Christum interdum miraculoso modo subvenire solitum fuisse domesticae egestati, quae fuissent miracula privata et domestica, quum istud in Cana primum fuerit inter publica miracula; sed est mera coniectura; nec tam egeni videntur fuisse parentes Iesu, ut miraculis opus fuerit, ad eorum inopiam sublevandam. Maria autem, quae sponsi sponsaeque honori consulere cuperet, omnino verbis, οἶνον οὐκ ἔχουσι, aliisque pluribus, excitare voluit filium, ut ullo modo rem adiuvaret, et sponso succurreret. Miraculum certe mater Iesu non exspectabat.

4. Τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι;) Nonnulli vertunt: *quid negotium mihi exhibes? quid de ista re tu ad me refers?* 2 Sam. XIX, 22. XVI, 10. *Fac me missum.* Alii vertendum esse putant: *Quid hoc ad me et te; noli sollicita esse;* hanc rem nec ego nec tu curare debemus. Quae vero interpretatio discedit ab usu loquendi.

loquendi. Quaestio illa Hebraica: מַה־לִּי וְלָךְ, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, *fac me missum*, non est indignantis et molestius ferentis, sed graviter negantis et avertentis, ut 2 Sam. XVI, 10. ubi Davides fidissimo amico itidem respondet; 2 Chron. XXXV, 21. ubi Aegypti rex Iudaico asseverat, se eius hostem non esse. Nec vox γύναι iram et indignationem indicat, nam apud Graecos haec fuit compellatio et allocutio honestissimarum feminarum. Ita, ut *Dio* Lib. LI. refert, *Augustus* olim ad Cleopatram dixit: θάρσει ὦ γύναι, καὶ θυμὸν ἔχε ἀγαθὸν. Itaque haec Iesu oratio non videtur iusto asperior esse. *Herderus* tamen (*christl. Schriften*, P. III. pag. 132.) existimat, Iesum haec verba protulisse ideo, ut ostenderet, se in rebus ad munus suum pertinentibus a voluntate et nutu matris minime pendere, atque omnino eam cum aliqua indignatione reprehendere voluisse. οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου) *Nondum mihi oportunum videtur*, sc. ferendi opem. Nam ὥρα est καιρὸς, *tempestivum tempus*. Tempus autem edendi miraculum erat, ubi plane omnibus constaret nullum superesse vinum, ne aqua vino admixta crederetur. Alii de tempore discedendi e convivio explicant. At male. Maria enim non cogitaverat de discessu, sed sperabat, fore, ut Iesus inopiae subveniret.

5. Λέγει — ποιήσατε) *Mater autem eius famulos facere iussit, quicquid iuberet.* Λέγειν, ut hebr. אָמַר h. l. est *iubere*. Διάκονοι, *servi*, *famuli*, qui ministrabant, et apparebant ad mensam. Sperabat igitur Maria, filium *opportuno tempore* subventurum esse amicorum inopiae ac verecundiae. Nec tamen inde sequitur, eam exspectasse miraculum naturae vires excedens; nam exiguam tum habuisse videtur notitiam mune-

muneris filio demandati. Potuit etiam haec ideo dicere ministris, quia forte sperabat, vel animus ei praesagiebat, filium quocunque modo, vel emendo, vel mutuando vinum, inopiae indigentium subventurum esse. Severitas enim, qua Iesus se gerebat, quaque dicebat: *οὔπω ἥκει ὥρα μου*, matrem edocere potuit, filium aliquid moliri, etsi quid? nesciret Maria.

6. *Ἦσαν — ἢ τρεῖς*) *Erant autem urnae lapideae sex ibi dispositae propter ablutionem Iudaeorum, quarum quaevis duos vel tres metretas capiebat.* *Ὑδρίαι* dispositae erant non in quibus sedentes lavarentur, sed unde depromta aqua vasis minoribus afferretur ad purgandas subinde non manus tantum, sed et calices. *κατὰ τὸν καθαρισμὸν*) *κατὰ* non raro valet *εἰς*, et ita hic Syrus accepit, alii *propter*, vel *pro more*. Vide Marc. VII, 3. 4. *τῶν Ἰουδαίων*) Hoc addit, quia Christianis scribit, quorum multi ex gentibus vocati. *μετρητὰς*) *Iuvenal.* III, 246. *metretam.* Schol. *vas quod amphoram capit. Fannius: Attica praeterea dicenda est amphora nobis, seu cadus. Hanc facies, nostrae si adieceris unam.* Est mensura liquidorum apud Athenienses maxima, capiens duos et septuaginta sextarios, seu congios duodecim atticos. LXX. *μετρητὴς* ponunt pro בַּת 2 Chron. IV, 5. *Ὑδρία* Ioann. IV, 28. vas est mulieris portatile; eiusdemmodi vasa hic significari possunt, cum *τοῦ γεμίζειν* labor longus fuisse non videatur. Tum rectius inde aestimanda fuerit hydriarum quoque ratio, quam ex voc. *μετρητὴς*, quia modii plurimum differunt in diversis regionibus. *Ἀνὰ* in distributione ita ponitur, ut numerus distributivus exprimatur.

7.

7. Λέγει — ἄνω) Iesus haec vasa aqua repleri iussit, quia alia vasa in promptu non fuerant, vel quia crebris lotionibus evacuata erant. Hoc mandatum dedit non discipulis, sed servis.

8. Ἀντλήσατε νῦν) *Defundite in pocula.* τῷ ἀρχιτρικλίνῳ, *Convivii magistro.* Τρίκλινος οἶκος est conclave ita dictum a tribus spondis seu lectis stratis ad accumbendum. Latini *triclinium* nominarunt. Et ἀρχιτρίκλινος est magister seu praefectus apparatus convivii nuptialis, cui omnis instruendi ornandique triclinii cura incumbit. A Polluce vocatur τραπεζοποιὸς. Apud Graecos et Romanos *architriclinus* erat, qui convivis leges ferebat bibendi. *Cic.* Cat. Mai. 14. *Me vero et magisteria delectant. Schol. In omni convivio legebatur plerumque sorte magister convivii, qui convivis ceteris leges ferebat bibendi.* Varroni *modimperator*, Horatio *arbiter*, Plauto *dictator*, Graecis συμποσιάρχης, βασιλεὺς et στρατηγὸς. Sed h. l. sermo est de praefecto triclinii, qui curam habebat epularum, apparatus ciborum et potus. Is non accumbebat mensae, sed imperabat ministris quod factu opus esset.

9. Contextus huius narrationis, si diligenter eum perpenderis, omnino docet, Evangelistam miraculum narrare voluisse. Ne repetamus, quae vel contra huius facti veritatem, vel ut eius veritas comprobetur, ab Interpretibus scripta sint, conferantur, quae et de hac narratione, et in universum de miraculis in N. T. obviis ingeniose disputavit *Lückius* in Commentar. p. 504. sqq. Γεύεσθαι solet cum Genit. construi, invenitur tamen Accusat. Hebr. VI, 5.; significat *experiri*

riri et cogitatur de *qualitate.* τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον, *aquam vinum factum.* Dici potuisset: *vinum quod aqua fuerat;* sed ideo statim additur parenthesis.

10. Πᾶς ἄνθρωπος) i. e. ἕκαστος. Ferme ita fit. Universalis locutio pro τῷ ἐπὶ πολύ, plerique. ὅταν μεθυσθῶσι) *Postquam large et ad satietatem biberunt.* Sic μεθύειν dicitur apud *Philonem* de Agric. p. 209. E. καλόν γε τοίχων ἐπιμελεῖσθαι, προσόδους ἐκλέγειν, ἐστιᾶσθαι, μεθύειν etc. *bonum est curare domesticos parietes, reditus colligere, convivari, potare etc.* Hesychius: μεθύει, πληρῶται. Notandum est etiam, nihil approbari, sed narrari tantum consuetudinem hominum, qui nuptiis intersunt; haec non esse verba Christi, sed architriclini, nec etiam dici, convivas in his nuptiis fuisse ebrios, quos Iesus auctoritate sua et sapientia ab omni in honestate et turpitudine avocaturus fuisset. ἐλάσσω) minus nobile vinum. σὺ τετήρηκας) Τηρεῖν, *reservare.* Sic existimabat, donec consentiente ministrorum testimonio patefactum erat miraculum.

11. Ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων) *Ab hoc exorsus est Iesus signa sua.* Sic *Isocrates* in panegyrico: ἀλλ' ἀρχὴν μὲν ταύτην ἐποιήσατο τῶν εὐεργεσίων τροφὴν τοῖς δεομένοις εὑρεῖν, vel simplicius ταύτην — σημείων dictum est pro: τοῦτο τὸ πρῶτον σημεῖον ἐποίησε ὁ Ἰησοῦς, *atque hoc primum edidit miraculum Iesus.* Recte affirmat *Chrysostomus*, post baptisma Iesum coepisse patrare miracula, antea nullum edidisse. Nam ante auspicationem muneris supervacanea fuissent. Ex *Lückii* sententia ad h. l. (p. 519.) statuendum potius est, Iesum in baptismate demum vim illam

illam divinam accepisse, qua miracula edere et τὴν δόξαν αὐτοῦ manifestare posset; et inde cognosci, cur tam grave momentum primo Christi post baptisma miraculo inesse Evangelistae sit visum. Σημεῖον (אוֹת), *signum*, h. l. est insigne quoddam factum, quod documento est alicui rei. Σημεῖον distinguitur a voc. τέρας (מוֹפֵת) eo, quod σημεῖον *signum* significet sensu amplissimo, vocabulo τέρας autem *portenti* tantum seu *miraculi* notio insit; Actor. II, 19. Utrumque saepissime coniunctum legitur, e. c. Actor. VII, 36. II, 22. Rom. XV, 19. 2 Thess. II, 9. τὴν δόξαν αὐτοῦ) Maiestatem suam (vid. I, 14.), unde Messias agnosceretur, tanto maior *Mose*, qui sitientibus aquam praestitit, quanto vinum aqua est potius. Et ex aqua vinum faciens, ostendit, se et huius et istius creaturae dominum. ἐπίστευσαν) Sc. firmius. Confirmati sunt discipuli in ea fide, qua iam crediderant, eum esse Messiam.

12. Κατέβη εἰς Καπερναοὺμ) *Profectus est Capernaum.* Καταβαίνειν ponitur, si de itinere in locum maritimum sermo est. Concessit in oppidum celebrius, qualia loca eligi a prophetis solebant. Cf Matth. IV, 13. καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ) Videntur mater et consanguinei *Iesum* quasi a se abeuntem, prosecuti, nam Nazarethi habitabant. De ἀδελφοῖς saepe est disputatum; possunt esse cognati omnino. οὐ πολλὰς ἡμέρας) urgente, ut sequitur paschate.

13. Τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων) τῶν Ἰουδαίων addit Ioannes, quia scribit ecclesiis quae maxima parte ex gentibus collectae erant. ἀνέβη) Haec Ioannis narratio interseri potest Matthaei c. IV, 23. Matthaeus nempe omisit *itinera* Christi *Hierosolymitana*. Quae hic nar-

narrantur, primo anno facta sunt, et quidem, quod verisimillimum est, inter baptisma Christi et captivitatem Ioannis. Temporis ordo, quo facta evenerint, accurate constitui nequit. Id vero certum est, in ordine temporum definiendo Ioanni multo magis quam ceteris Evangelistis fidem esse habendam.

14. Εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας βόας κ. τ. λ.) Τὸ ἱερὸν latius de templo cum omnibus aedificiis adiectis dicitur. *Iesum*, quum venisset ad sacra emendanda, bis conspicuo signo, testatum hoc fecisse, templum, velut sacrorum sedem, purgando, circa initium et circa finem sui muneris, ut, in quo inceperat, in eo se desinere ostenderet, multorum Interpretum parum probabilis est sententia. Haerent nempe in eo, quod reliqui Evangelistae plane alio rerum ordine negotiatorum e templo expulsionem narraverint. Alii semel Iesum hoc fecisse recte existimant, quod multis argumentis confirmare *Zieglerus* conatus est, in *Gableri neuestem theolog. Iournal* Tom. IX. Sed male *Zieglerus* in tempore constituendo ceteris Evangelistis maiorem tribuit auctoritatem, quam Ioanni, cui quippe testi oculato multo maior fides debetur. Cf. *Lückium* p. 552. sqq. pag. 50. seqq. Ioannem non ordinem temporis, sed rerum et loci rationem habuisse existimantem. τοὺς πωλοῦντας) Explicavimus ad Matth. XXI, 12. κερματιστὰς) *Nummularios*, *argentarios*. Vocantur κολλυβισταὶ Matth. XXI, 12.

15. Φραγέλλιον) Latinum nomen *flagelli* ita pronuntiarunt tunc, ut in Matthaeo verbum Φραγελλώσας. ἐκ σχοινίων) Quae forte ibi repererat. Ἐξέβαλεν) *eiecit*, *expulsit*. Sunt qui ita hunc locum intelligant, ut

ut Christus non verberando negotiatores istos eiecerit, sed *exire* tantum *iusserit*. Quo citius autem *greges* expellerentur, inquiunt, Iesum ipsum, usum flagello, manum iniecisse. Verum est quidem, voc. ἐκβάλλειν saepius significare *exire iubere*. At vero h. l. multo magis credibile est, Christum, iusta ira correptum, flagello in *homines* istos egisse quam in *pecudes*. Καὶ τῶν κολλυβιστῶν — σχοινίων) *Et argentariorum nummos disiecit, et mensas evertit.* Τὸ κέρμα est nomen collectivum, quo non unus, sed multi nummi significantur, et quidem argentei et aerei viles, quibus permutabantur nummi pretiosiores. Mensarii Hierosolymis in porticibus templi propterea sedebant, ut arte sua atque pecunia adiuvarent emtionem et venditionem pecudum, aliarumque rerum ad sacrificia necessariarum, inprimis solutionem didrachmorum, seu semisiclorum, et hac permutatione nummorum lucrum faciebant. Proinde necesse est, ut notio vocabuli κέρμα non solum nummos complectatur, quibus permutentur alii, verum etiam eos, qui permutati fuerint, atque nummulariis pro permutatione dati. Vid. *Fischeri* Proluss. p. 264. seqq. Ἐκχέειν h. l. est disiicere, effundendo dissipare.

16. Ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν!) *Auferte ista hinc!* Quod vehementissime egerit in nummularios, mitissime in eos, qui columbas venderent, causa in eo quaerenda videtur, quod οἱ κολλυβισταὶ maxime erant propter artes dolosas puniendi. οἶκον ἐμπορίου) ἐμπόριον locus est mercaturis faciendis idoneus i. e. forum rerum venalium.

17. Ἐμνήσθησαν δὲ — κατέφαγέ με) Lectio κατέφαγέ με magis sensui convenit, quam alia: καταφάγεταί με. *Studium*

Studium domus tuae me consumit. Ps. LXIX, 10. *Bengelius: Revera hostes Iesum postea ob Zelum domus paternae interfecerunt.* Sed videtur potius his verbis inesse descriptio ingentis fervoris, et ardentissimi Zeli pro honore cultus divini: Indignatio e profanatione templi tui me propemodum conficit et enecat. Ad loc. Ps. LXIX, 10. cf. Scholia *E. C. F. Rosenmülleri*, qui sensum verborum ita constituit: *ingens me studium tenet et ardor cultus tui, et ne tibi obtrectetur, tantus quidem omnino, ut totus consumar affectu hoc.* Frequens est irae similitudo cum *igne*. Cf. dictionem אֵשׁ אֹכְלָה de Deo ipso, Deuter. IV, 24.

18. Ἀπεκρίθησαν) עָנָה Hebraeum ut et Graecum ἀποκρίνεσθαι saepe de eo dicitur, qui prior loquitur; potissimum vero elliptice ponitur, sic ut aliquid antecessisse cogitandum est. Οἱ Ἰουδαῖοι sunt praefecti templi aliique primores populi. τὶ σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς;) Quia nempe Iesus castigabat in loco publico vitiosa, a synedrio et sacerdotibus tolerata, hoc pro signo habebant, eum se pro propheta vel Messia gerere velle. At prophetae se tales ostendere debebant aut praedictionibus aut ostentis. Postularunt igitur, ut statim ederet miraculum. Interrogant: *Quale documentum nobis exhibes, haec faciendi potestatem tibi competere?*

19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον — αὐτὸν) Negandum non est, subobscurum esse hoc effatum, ac ne in eius quidem malevola ac derisoria repetitione Matth. XXVI, 61. XXVII, 40. Marc. XIV, 58. XV, 29. ita sensum definitum esse, ut satis appareat; neque inde pendet

sen-

sententia, an eam qui primo audirent, e gestu aliquo vel templum, vel corpus, animi sedem (1 Cor. VI, 19.), monstrante intelligerent, et vellent assequi. Sed eius ingenii oratio solet haud raro vel ab optimis magistris adhiberi, ut audientium facultas intelligendi excitetur. Nonnulli volunt, Christum digito monstrasse suum corpus, quod templum quasi et tabernaculum erat, in quo ὁ λόγος habitabat. Ναὸν ἐγείρειν est, *templum aedificare*, s. *exstruere*, *reficere*. Vid. infra v. 21. Christum vocare, inquiunt, corpus suum templum, quia de templo sermo fuerit, et dare signum se esse Messiam, quia tertio die e mortuis resurrecturus erat. Cf. Matth. XII, 39. Alii monent, λύσατε illud stilo prophetico vocem esse non tam imperantis, quam graviter et cum emphasi praedicentis ea, quae certo futura sint, ut sensus sit: Vos aliquando templum hoc augustum, corpus meum destruetis; sed ego intra trium dierum spatium reviviscam, ac denuo sic aedes haec Dei, meum scilicet corpus, mea vi exsurget et stabit; coll. v. 21. 22. ubi Evangelistae expressis verbis asserit, Iesum corpus suum dixisse templum. Sensum verborum: λύσατε κ. τ. λ. ita constitutum defendunt vet. Interpretum plurimi, inter recentiores autem *Henr. Matth. Aug. Cramer*, in *spicimine animadversionum* in h. l. *Flattus* in *Symbolis ad illustranda graviora quaedam Iesu dicta in Ev. Ioann. Borger De constanti et aequabili Iesu Christi indole, doctrina ac docendi ratione;* et praesertim *Kuinoelius* in *Commentar.* ad h. l. *Flattus* autumat sensum esse hunc: Vos sacrorum contemtores, cum spretis omnibus divinae meae legationis documentis, eo tandem dementiae progressuri fueritis,

fueritis, ut corpus sanctissimae mentis domicilium (1 Cor. VI, 19.) non violetis, sed etiam destruatis, tum demum repente inauditi quidquam eveniet, quod negotii mei divinitatem luce, a vobis non amplius obscuranda, illustrabit.

20. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος) Per XLVI. annos regiis impensis templum aedificatum est; et ne nunc quidem perfecta sunt omnia, quae ad eius ornatum faciant. *Iosephi* Antiq. XV. c. XI, §. 1. De B. Iud. I, 21, 1. Voluit nempe Herodes M. illud a Serobabele conditum templum multo splendidius aedificare. Coepit anno imperii XVIII. Post Herodis mortem nova augmenta et ornamenta subinde addita sunt, sed plus una vice exornatio templi est interrupta. Itaque non liquet, utrum tunc temporis, cum Iesus hoc colloquium cum Iudaeis haberet, opus continuatum sit, an per aliquot iam annos cessaverit. Neque adeo ex comm. 20. verbis concludi potest, tunc temporis accurate annos 46 effluxisse, inde ab eo anno, quo Herodes M. templum restaurare coeperat. Sub Agrippa I. (non II.) demum haec aedificatio absoluta est. Cf. *Pauli* Commentar ad h. l.

21. Ἐκεῖνος — σώματος αὐτοῦ) *Ille autem corpus suum dixerat templum.* Genitivus τοῦ σώματος est ἐξηγητικὸς, sicut fontem Timavi dicimus, et alia multa, vice appositionis. *Henr. Phil. Conr. Henke*, in commentatione: *Ioannes Apostolus nonnullorum Iesu apophthegmatum in evangelio suo et ipse interpres*, repetita in *Sylloge commentationum theologicarum, edita a Pott* et *Ruperti* Vol. I. a. 1800. p. 11. sq. suspicatur, Ioannem ipsum veram sen-

sententiae illius vim, destinatumque magistri sui consilium non bene assecutum esse. *Templum* enim hic nullum facile aliud posse intelligi, quam proprium illud, Hierosolymitanum, de quo nunc sermo erat; templum vero, quod *intra triduum* ponere promiserit, non iam idem illud, nec tantae molis, vel omnino ut veri nominis templum, cogitari posse, ut sensus sit: *Dum tantopere dehonestatis aedem vestram sacram, potius evertite totam; utinamque iam sublatum esset hoc probrum, et melioris disciplinae obstaculum, triduanum opus erit mihi, novum, imo sanctius aliquando, reponere.* Quum autem τὸ σῶμα Χριστοῦ saltem a Paulo saepe *ecclesia Christi* appelletur, idem vir doctus existimat, Ioannem forsan illud suum: haec Iesus *de templo suo*, vel *de sui corporis templo*; accipi voluisse de nova cultorum Dei societate, brevi tempore congreganda. Ex locis in epistolis Pauli 1 Cor. III, 16. 17. VI, 19. 2 Cor. VI, 16. cet. ubi Christiani ναὸς τοῦ Θεοῦ appellantur, imo σῶμα αὐτῶν τοῦ ἁγίου πνεύματος εἶναι, asseritur, satis intelligi existimat *Henkius*, huius generis phrases Iudaicis scriptoribus tum temporis non peregrinas, h. e. apud eos in usu fuisse; eumque usum inter scriptores Iudaicos sequioris etiam aevi non plane exolevisse docet. Exemplum praebent verba Mosis Gerundensis a Grotio ad Io. II, 19. citata: *Sanctuarium sanctuariorum est ipse Messias, sanctificatus de filiis David.* Impugnarunt etiam illam et Iudaeorum et Apostolorum interpretationem *Gurlittus* in *explicatione Evang. Ioannei* c. II, 13.— III, 13. Hamburgi 1805. *Paulus* in Commentar. *Forbergius* in *Animadvv in loca selecta N. T.* Spec. I. 1797. et *Lückius* in Com-

Commentar. p. 542. sqq. Qui omnes in eo consentiunt, *templum* in illo Christi effato v. 19. esse *Symbolum universi religionis Iudaeorum cultus*, quod imprimis comprobatur loco Actor. VI, 13. 14. ubi coniuncta leguntur: καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον et ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς. Novum igitur, quod Iesus dixit, se exstructurum esse templum, nova est religionis institutio, *templum spirituale* nec manibus factum. Quae interpretatio porro comprobatur illa Christi oratione Ioann. IV, 20 — 24. Eruditissime de h. l. disputavit *Lückius*, cuius verba *Kuinoelius* si legisset, fortassis aliter de sententia sua iudicasset. Et sane Christus initio muneris sui Iudaeos, ut eum interficerent, incitare noluit. Si vero dum loqueretur, digito monstrasset *corpus* suum, certe proxime adstantes Iudaei id animadvertisse, nec *omnes* de templo intellexisse necesse est. Neque profecto opus erat, quo se Messiae potentia instructum esse ostenderet, ut, etsi necatum tamen se e sepulcro resurrecturum esse polliceretur; cum *vivens* alia satisque multa ederet miracula. Verbis v. 19. ἐν τρισὶν ἡμέραις inest proverbiale aliquid. Cf. Hos. VI, 2. Hebraeorum שָׁלִשׁ saepe significat id, quod brevi tempore fit.

22. Ὅτε οὖν — ὁ Ἰησοῦς) *Quum igitur in vitam rediisset, discipuli recordati sunt huius dicti, et tum oraculis, tum ipsi illi effato fidem habuerunt.* Ὅτε ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, nam ante eius reditum in vitam sibi persuadere non potuerant, Messiam esse morituram, quia, ut omnes ceteri Iudaei regnum terrenum sperabant. Τῇ γραφῇ) *Vaticiniis.* καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς) Usitata et elegans apud Graecos articuli

post-

postpositivi constructio, quam Atticorum esse dicit Gaza. E. g. χαίρω τῷ λόγῳ, ᾧ εἶπας. Ipse igitur Ioannes ingenue fatetur, se ceterosque Apostolos post Christi resurrectionem tandem effatum illud de *corpore* Iesu intellexisse, simulque ex hoc testimonio apparet, Iesum discipulorum in explicando hoc aenigmate haesitationi interpretatione neutiquam subvenisse.

23. Ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ) Alii Messiam eum esse crediderunt, sed regnum expectabant felix in orbe terrarum, alii eum pro legato divino habuerunt. Verba ἐν τῇ ἑορτῇ omitti poterant et a quibusdam Codd. omittuntur; commemorantur in simplici narratione.

24. Οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς) *Sed Iesus ipse se iis non commisit.* Allusio mutata significatione vocabuli. Non commisit se eorum fidei quotidiano convictu; caute cum iis versatus est, quia probe noverat, multos sibi esse offensos, alios autem res novas moliri, vel non capere eius doctrinam. Quamobrem Iesus et incolumitati suae in urbe, quantum poterat, prospexit, et urbe relicta paulo post in Galilaeam rediit, et in docendo magnam adhibuit cautionem, ne palam divulgarentur tum quidem ea doctrinae suae capita, quibus percipiendis nondum satis praeparati essent animi imperitorum. Cf. Matth. X, 27. Ioann. XVI, 12. Διὰ τὸ αὐτὸν γινώσκειν πάντας) *Quod omnium ingenium bene nosset.* Γινώσκειν τινά, alicuius ingenium, indolem, consilia nosse.

25. Οὐ χρείαν — περὶ τοῦ ἀνθρώπου) *Nec opus erat, ut quis eum de quoquam certiorem redderet.* Non opus fuit ipsi exploratoribus, qui eum certiorem facerent de ullius hominis consiliis et cogitationibus.

Ὁ ἄνθρωπος hic est homo quivis. αὐτὸς — ἀνθρώπῳ) *Ipse enim satis perspexit, quo quisque animo in ipsum esset;* plerosque nempe infirmos, et a meliori cognitione abfuisse. Recte monuerunt Interpretes, ex hoc loco non peti posse argumentum ad comprobandam omniscientiam Christi; neque tamen etiam sermo est, ut plures voluerunt, tantum de animi humani cognitione eximia, sed Ioannes, qui in eo versatur, ut demonstret, Iesum esse Messiam, τὸν Λόγον corpus humanum induisse, haud dubie intelligi voluit singularem ac plane inusitatam animi humani cognitionem, qualis ceterorum hominum nulli a Deo concessa sit.

CAP. III.

1. Colloquio Christi cum Nicodemo, quod nunc sequitur, Ioannes non interfuisse videtur; sed Christum cum discipulis, quae cum Nic. locutus sit, communicasse, non improbabilis est opinio. Ἦν δὲ — Ἰουδαίων) *Nicodemus quidam ex Pharisaeorum secta, senator Iudaeorum* Cohaeret haec historia cum c. II, 25. Declaratur enim exemplo illustri quodam sapientia Iesu et modus disserendi cum aliis de rebus ad religionem pertinentibus. Talmudici non raro loquuntur de *Nicodemo*, filio *Gorionis*, ut ostendit Wetstenius. *Altingius* (Schilo L. IV. 23. 24.) pluribus contendit, Nicodemum Talmudicorum esse eum ipsum, de quo Ioannes in Evangelio scribit. *Pharisaeus* fuit; ergo non alienus ab exspectando Messia, sed falsis opinionibus de regno Messiae terreno imbutus. Ἄρχων, שַׂר, unus τῶν שָׂרִים, Synedrii assessorum. Cf. cap. VII, 50.

Malo

Malo consilio, et insidiandi causa similem Pharisaeis illis ac legum peritis Christum captiose interrogantibus (de quibus Matth. XII, 10. XXII, 16. 18. Luc. X, 25. legitur) Nicodemum accessisse ad Iesum, non est probabile. Infra VII, 50. 51. XIX, 39. Sed homo fuit apertus, simplex, veritatis amicus minimeque fallax. Quare huic Iesus se commisit secure, atque interiorem disciplinam suam ita aperuit, ut ipsa sermonis obscuritate verborumque aenigmatibus teneret attentum, eiusque in animo aculeos relinqueret. Nec, quam de Nicodemo conceperat, opinio doctorem fefellit. Idem enim saepius Iesum adiit (quod colligi posse videtur ex XIX, 39.), et in consilio Senatorum inventus est unus, qui illi patrocinaretur, iam tum propterea suspectus collegis, VII, 50—52., et in curando illius funere Iosepho adiutor fuit, XIX, 38—40.; qua quidem re nunc iam declarare audebat, se esse ex sectatoribus Iesu. Optime hunc locum illustravit *Knappius* in Commentat. *in Colloquium Christi cum Nicodemo de natura atque usu disciplinae suae*, *Ioann.* III, 1—21., repetita in eiusd. *Scriptis varii argumenti* T. I. p. 183. sqq. ed. 2.

2. Νυκτὸς) Ne offenderet Collegas, Iesu iam male volentes. Est autem *νυκτὸς* pro *διὰ νυκτὸς*, *noctu*. οἴδαμεν) aut alios comprehendit, idem cum Nicodemo sentientes, aut habet significationem singularis numeri. Sed cum plurali οἴδαμεν pluralis ὑμᾶς v. 7. respondeat, satius est, sic interpretari: *Ego cum aliis intelligo, te esse legatum Dei.* Cf. XII, 42. οὐδεὶς γὰρ ταῦτα — μετ' αὐτοῦ) *Nam ista tam miranda facere, quae tu facis, nemo potest, nisi a Deo adiutus.* Nicodemus autem miraculis permotus ita censuit. In qua argumen-

tatione nihil inerat, ut recte monuit *Knappius*, quod Iesu displiceret, ut qui ipse propter edita a se miracula sibi fidem haberi vellet, e. c. Io. XI, 41. sqq.

3. Ἀπεκρίθη — αὐτῷ) Ioannes (qui saepius parcus est verborum) dubio procul *excerpta* modo colloquii Iesu cum Nicodemo instituti dedit, et multa omisit. Verbum ἀποκρίνεσθαι in principio sermonis saepe redundare, notum est. Quum autem Nicodemus, ut edoceretur, ad Iesum venisset, hic ad quaestionem quandam propositam, a Ioanne omissam, respondere videtur. Nicodemum enim plura locutum esse, nemo facile dubitaverit. Quid autem Nicodemus ex Iesu quaerere voluerit, haesitant interpretes. Plerique statuunt, eum quaerere voluisse *de modo salutis tenendae*, de *aditu ad regnum Dei*, cuius quidem eo tempore toties mentio fieret in sermonibus Iesu et Ioannis Baptistae. *Tittmannus* contra (Melet. II.) putat, Nicodemum ex Iesu rescire voluisse, *quisnam futurus esset Messias*, (de quo variabat multitudinis opinio,) *quidnam demum ab eo exspectari posset?* Mihi utrumque verum esse videtur. Nam in illa Nicodemi quaestione, quidnam Messias esset praestiturus, quid ab eo exspectari posset, inerat etiam altera illa quaestio, quaenam *salus* ab eo esset exspectanda, et quo modo illa salus ab hominibus posset impetrari? Quaestionem Nicodemi praetermittere poterat Ioannes, quod, qualis fuerit, e responsione Christi sponte intelligitur. Respondet Iesus: ἀμὴν — τοῦ Θεοῦ) *Sanctissime tibi affirmo, qui denuo natus non fuerit, eum non posse regnum Dei videre.* Recte monent interpretes, Dominum hoc toto loco *proxime* respexisse ad Iudaeos eorumque perversas opiniones de Messia,

Messia, et corrigere voluisse falsam illam ideam, quasi ad posteros Abrahami solos pertinerent beneficia Messiae, et Iudaei iam propter Abrahamum, generis sui auctorem, Deo essent grati et accepti. Cf. not. ad Matth. III, 9. Quod autem nonnulli addunt, ad solos Iudaeos pertinuisse hanc Iesu institutionem Nicodemo datam de via ineunda iis, qui velint potiri felicitate regni Messiani, id falsum esse arbitror. Opus fuit Iudaico populo ingenti mutatione non tantum opinionum de Messia, sed etiam in universum *ingenti mutatione animorum, quoad universam sentiendi vivendique rationem.* Hac autem animi mentisque immutatione omnibus omnium temporum hominibus prave sentientibus opus esse, si velint potiri felicitate per Christum parata, quis dubitet? Quaerunt interpretes de significatu adverbii ἄνωθεν, an h. l. vertendum sit *superne* (i. q. ἐκ Θεοῦ γεννηθῆναι, Io. I, 2.) an vero *denuo*? Interdum significat quidem et apud hunc Evangelistam et alibi, *superne*, ut mox com. 31. et infra c. XIX, 11. Iac. I, 17. III, 15. Sed hoc loco valere videtur *denuo*. Verisimile est, Iesum Rabbinice dixisse: חָדָשׁ, vel תּוּב, *iterum, rursus.* Nam etsi paulo post (ait *Knappius*), v. 5. 6. 8. ἡ γέννησις ἐκ πνεύματος, h. e. ἐκ Θεοῦ, commemoratur, tamen e Nicodemi responsione v. 4. patet, Christum in superiore oratione nondum perspicue mentionem fecisse regenerationis *coelestis.* Neque enim de ea quidquam memorat Nicodemus, sed Christi verba, γεννηθῆναι ἄνωθεν, sic interpretatur: εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς δεύτερον κ. τ. λ. Postea demum Christus eandem iterans sententiam, v. 5. haec addidit verba: ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, ut iam apertius declararet, se loqui de ea gene-

generatione, quae *coelestis* seu *divinae* originis sit. Versio *Copt.* *Nisi homo genitus sit altera vice.* *Syr:* מן דריש. Nicodemus significatu vocis dubio falli non potuit, quum in Hebraeo aut Syriaco non sit ea ambiguitas. Obscure loquitur Christus ad acuendam attentionem Nicodemi. *Denuo nascitur is*, cuius sentiendi ratio prorsus immutatur; qui ex conditione habituque deteriore ac tristiore in meliorem et laetabiliorem transfertur. Ex quo genere est ἡ παλιγγενεσία τῶν ὅλων e disciplina Stoicorum, ἡ παλιγγενεσία πατρίδος, apud *Ioseph. Ant.* IX, 3, 9. et ἡ παλιγγ. *Ciceronis, Epp. ad Att.* VI, 6. Salutaris haec immutatio mentis ac vitae alibi etiam ἐπιστροφὴ vocitatur, item ἀνακαίνωσις, μετάνοια, ἁγιασμὸς τοῦ πνεύματος. Enimvero in omni religione hoc spectari debet maxime, ut homo emendetur *intrinsecus*, seu, ut ex σάρκινῳ et ψύχινῳ fiat πνευματικὸς. Nicodemus hunc Iesu sermonem intelligere potuit; etenim non solum Iudaeis, sed gentibus etiam solenne fuit, sacrorum initiationem *regenerationis* vocabulo significare. *Ialkut Rubenis* fol. 70. 4. *R. Iose dixit: Proselytus quis factus, est sicut parvulus modo natus.* Verum nova haec generatio, quam Christus memorat, non ad perfectionem refertur, sed ad ipsa initia et prima quasi rudimenta vitae Christianae. Nam negando dicit Dominus: οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ) *Non potest particeps fieri regni Dei.* Ἰδεῖν hic est participem fieri. Etenim verba *videndi* Hebraeis saepe de *fructu* dicuntur, quem quis percipit ex aliqua re; veluti Ps. XXXVI, 10. XC, 15. Per *regnum Dei* vero intelligit primum beneficia singula, iura, commoda, praemia, tum hac in vita tum in futura suis tribuenda sectatoribus; deinde

officia

officia et cultum Deo atque Iesu Christo praestandum. Qui ergo regni Dei consortes fiunt, iidem ipsi sunt, qui Christo fidem habent et ad Dei voluntatem vitam suam obsequenter componunt. Vid. *Knappium* l. l. et cf. *Lückium* p. 575. sqq.

4. Πῶς — καὶ γεννηθῆναι;) *Quomodo, quaeso, aliquis, praesertim senex, renascatur? Num forte matris uterum repetere ei licet, ut iterum inde procedat?* „Nicodemo, provectae quidem aetatis doctori, sed eius rei usu nondum sic, ut par erat, exercito, adeo obscura ea videbantur, quae audiverat (v. 3.), ut inconcinnum daret responsum. Videlicet nec illa regeneratio Proselytorum (siquidem de ista Nicodemus cogitavit), nec interior haec et moralis, convenire talem in virum videbatur, qui Iudaeus esset natus quique iam innocentiae existimatione et sacrae eruditionis laude inter aequales longe excelleret. Itaque rem sibi narrari, quae incredibilis videatur ac prope similis portenti, hac responsione ostendit.“ *Knappius.* Ex aliorum Interpretum sententia Nicodemus vim phraseos γεννηθῆναι ἄνωθεν bene intellexit; sed an fieri possit, ut homo senex quoad universam sentiendi vivendique rationem immutaretur, id erat, de quo dubitabat. Putant igitur, sensum verborum Nicodemi esse hunc: *Quomodo fieri potest, ut homo senex factus, in cuius mente sensus pravi iam radices egerunt, se ita mutet, ut novam plane sumat indolem*, plane aliam sentiendi agendique rationem? Quemadmodum non fieri potest, ut aliquis physice renascatur, sic quoque impossibile est, ut aliquis moraliter renascatur. Nicodemus igitur in ea opinione fuisse videtur, Iesum nimium postulare a Iudaeis;

daeis; non fieri posse, ut Iudaei spem suam regni terreni iam nunc abiiciant; parcendum itaque esse hominum imbecillitati. Hunc verborum sensum retinuit *Kuinoelius*, qui vocabulo γέρων nationem Iudaicam, adsuetam opinionibus istis, quas Iesus abiiciendas dixerat, respici opinatus est. At vero quum Iesus v. 3. ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, non adiiceret, quae ad intellectum faciant, sed, audito demum Nicodemi inconcinno responso, eadem repetita verba: ἐὰν μή τις γεννηθῇ illustraturus adderet: ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος (v. 5.), longe probabilius est, Nicodemum de regeneratione physica cogitasse. His verbis, ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, quae v. 5. primum addidit, Nicodemo quasi lumen praefertur ad ea perspicienda, quae ipsi antehac nimis obscure dicta videbantur. Et si conferas v. 6., ubi in Domini oratione *physicae* nascentiae opponitur illa per *spiritum*; si legas tandem v. 10. verba: σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος κ. τ. λ.; palam est, Nicodemum Christi doctrinam de παλιγγενεσία spirituali nondum attigisse.

5. Ἀπεκρίθη — τοῦ Θεοῦ) *Iterum confirmavit Iesus sanctissime: nisi quis per doctrinam divinam in baptismate susceptam renascatur* (mente et moribus mutetur) *non potest particeps fieri beneficiorum regni Messiani.* Respondet Iesus, necessariam esse hanc regenerationem vel mentis immutationem, et effici posse etiam per Deum. Sine ea nemo potest adire regnum Dei; hinc patet *necessitas.* Effici autem *potest* haec mutatio ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, *per aquam et Spiritum.* Πνεῦμα, quum τῇ σαρκὶ opponitur, plerumque *insignem Dei potentiam* indicat, quae a novitate efficiendi, effectaeque rei magni-

magnitudine plurimum admirabilitatis habeat, avocetque hominem ad ea mente complectenda, quae naturae universae hominisque conditionem longe superant. Vid. *Mori* dissert. *de notione Spiritus practica* in dissertatt. theologicis et philologicis, (Lips. 1787. 8.) p. 332. s. Hinc, quicquid fit per πνεῦμα, per πνεῦμα ἅγιον s. τοῦ Θεοῦ, id spectatur semper ut res effectionis divinae. Nostro igitur loco intelligitur vis divina in animis hominum per doctrinam divinam se explicans, adeoque *doctrina divina ipsa*, vel *Christi religio*, per quam illa vis divina se exserit. Sic Christus infra c. VI, 63. doctrinam suam expresse vocat πνεῦμα, eamque τῷ σαρκὶ opponit. Locus nostro simillimus est Tit. III, 5. et cf. Rom. VIII, 14. sqq. Τὸ ὕδωρ est *baptisma*. Quomodo autem per *aquam* fiat regeneratio, facile intelligent, qui meminerint, iam antiquissima aetate lustralem aquam in illis purificationibus, quae ad religionem pertinerent, eo consilio esse adhibitam, ut homines ad sacra initiarentur, ac purgarentur ab idololatriae et vitiorum sordibus. Primum huius rei vestigium Genes. XXV, 2. reperitur, coll. Ezech. XXXVI, 25. Iudaeos autem in ea opinione fuisse constat, ut Messiam eiusque praeconem nova sacra *baptismate* auspicaturos esse existimarent; vid. Io. I, 25. Sic Nicodemus vocem ὕδωρ intelligere potuit. Nam Ioannes Baptista non multo ante baptizaverat, et baptisma suum appellaverat βάπτισμα μετανοίας, Luc. III, 3. Deinde etiam Christus ipse una cum discipulis suis, vivo adhuc Ioanne, baptizabat, quo baptismate homines obstringebantur ad fidem doctrinae ipsius habendam. Io. III, 22. sq. In baptismate signum inest et adiumentum fidei. Quapropter suscipiendi

cipiendi baptismatis necessitatem Iesus tum alibi urget, tum hic iniungit Nicodemo (hominum laudis adhuc cupidiori quam Dei c. XII, 42. 43.), exigitque ab eo, ut se quoque suscepto baptismate disciplinae christianae addictum palam profiteatur. Cf. Luc. VII, 29. 30. Ergo ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος *regeneratur*, qui per baptisma se obstringit ad amplectendam doctrinam divinam, et per eam ratione opinionum, sensuum morumque corrigitur et emendatur. Nempe homines sibi relicti sapiunt τὰ σαρκικὰ, quae sunt corporis; ea tantum quaerunt, quae auribus, oculis et corpori sunt grata. Doctrina Christi autem mentes nostras abducit a rebus corporeis, caducis, ad coelestia, aeterna, quae, utpote πνευματικὰ, non percipiuntur sensibus. Cum vero ea sit hominum perversitas, ut Dei dissimiles sint, eos necesse est *regenerari* intrinsecus, h. e. ita transformari et animo et moribus, ut Dei similes redditi, rursus ab eo amari possint. Sed tanta res est, ut humanis viribus perfici nequeat. Quamobrem omnis animi emendatio et morum correctio sacris in literis constanter ad *Spiritus sancti* seu *Dei* auxilium referuntur. Non satis idoneis rationibus utuntur, qui cum *Tellero* (im Wörterbuch des N. T. sub voce *gebohren*) per aquam et Spiritum intelligunt *aquam spiritualem*, sc. Evangelium.

6. Τὸ γεγεννημένον — πνεῦμά ἐστι) *Quod ex carne nascitur, caro est; et quod nascitur ex spiritu, spiritus est.* Per *carnem* intelligitur natura hominis, homo, cum omni sua imperfectione morali, sensuum et cupiditatum corporearum imperio subiectus, infirmus. Natus ex talibus parentibus, in quibus est illa imperfectio moralis, est σαρκικὸς, similis eorum paren-

parentum. Et illa quidem *imbecillitatis* et *fragilitatis* notio inde est orta, quod omne *corpus animale* sine animo ac spiritu nihil potest, eoque exstincto interit continuo et putrescit. Iudaeis בָּשָׂר, σάρξ, *et* τὸ σαρκικὸν saepissime dicitur omnis *deterior hominis conditio*, eaque vel *externa*, corporis imbecillitas, vel *interior*, vitiositas, cuius origo ad corpus potissimum refertur. Respicit Iesus ad Iudaeorum opinionem, qua iam propter natales ex maioribus se existimabant Deo esse carissimos et probatissimos; et per *carnem* intelligitur natura hominis simpliciter, seu nascentia naturalis, ut sensus sit: Sin tibi sensu physico regenerari concessum esset, quid commodi inde haberes? nam progenies genitori est similis, et omnia, quae nascantur ex carne, aliam nullam nisi carnis conditionem nancisci possunt. Plurimi Interpretes statuunt Ioannem scripsisse genere neutro τὸ γεγεννημένον, pro masculino (πάντες οἱ γεγεννημένοι), et substantiva σάρξ et πνεῦμα putant vim obtinere adiectivorum σαρκικὸς, πνευματικὸς. Quam vero generum enallagen refutavit *Lückius*, recte monens, Ioannem voces illas edidisse sensu generali, et huic inesse ad res speciales accommodatio. καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι) *Quod nascitur ex spiritu, spiritus est.* τῷ σαρκὶ, hominis naturae vitiosae, opponitur τὸ πνεῦμα, *natura divina*, ex qua quicquid nascatur, itidem eius indolem accepisse necesse est. Accommodationem si feceris, sensus erit hic: *Quicunque per vim divinam immutati sunt, illi demum habent divinam ingenii indolem*, divinam sentiendi agendique rationem; exoptant et studiose quaerunt meliora, perfectiora bona, quae non percipiuntur auribus, oculis et aliis corporis sensibus; coele-

coelestibus et aeternis magis delectantur, quam terrenis et caducis huius vitae commodis et voluptatibus. Describitur mortalium conditio melior eaque laetior, in qua collocari oporteat eos, qui salvi esse velint. Utuntur autem sacri sriptores gravibus plerumque vocabulis et sententiis de hac animi conformatione. Cum enim homo quidam adeo immutetur, ut non cognoscas eundem esse, illum *renasci* dicunt, *μεταμορφοῦσθαι τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς* (Rom. XII, 2.) et *transire a morte ad vitam*, 1. Io. III, 14. coll. Ephes. II, 1. 3. 5. Rom. VI, 5. 6.

7. Ac Nicodemus, cui nova haec erant atque inaudita, ne fronte quidem (ait *Knappius*) occultare animi sententiam potuit. Nam antequam quaestionem illam, v. 9. afferret, vultu aut gestu videtur indicium fecisse, se et dubitare et mirari. Christus, huic quaestioni occurrens, coeptum sermonem sic continuat: Μὴ θαυμάσῃς) Non debet incredibile tibi videri quod dixi, ideo quod haec nativitas in oculos non incurrit, ut ista naturalis. Ὑμᾶς non tam ad Nicodemum, quam potius ad omnem populum pertinere videtur; quanquam Nicodemus etiam nondum abiecerat omnia praeiudicia. Sensus: Neminem excipio: etiam te ac tui similes renasci oportet. Una hac lege, quam dixi, aditus ad regnum divinum per disciplinam et tibi et aliis patet.

8. Τὸ πνεῦμα, ὅπου θέλει, πνεῖ) *Ventus ubicunque voluerit spirat.* Perturbaverat Nicodemum sermo Christi de *Spiritu*, quia nihil huiusmodi *sensibus unquam perceperat* Haec enim Nicodemo causa dubitandi fuit; quae ideo iusta reprehensione non caruit, quod ille dictis viri, cuius divinam auctoritatem antea

ipse

ipse agnovisset, (v. 2.), nunc iam fidem negabat. Simili itaque rem illustrat Christus, desumto a venti impetu. Omittit nempe incorporea, quae ille capere non poterat, et exemplum sumit de πνεύματος significatu physico, quo veluti est medium quoddam inter corpus et incorporeum. Nam πνεῦμα h. l. est ἄνεμος; רוּחַ *ventus*, ut Gen. VIII, 1. Eccles. XI, 5. Obvia erat et valde apposita haec comparatio, cum vocabulum רוּחַ *ventum* pariter ac *spiritum* significaret; eademque etiam subest c. XX, 22., ubi narratur, Christum, emisso in Apostolos *halitu* seu *spiritu oris sui*, dixisse: λάβετε πνεῦμα ἅγιον. Quibus verbis indicatur, hunc *afflatum* ipsis pro symbolo esse, unde omen capere debeant de conferendis in ipsos Spiritus sancti dotibus. More Hebraeorum omniumque paene gentium, res incorporeae, quae, etsi fugiant aciem oculorum, tamen ex effectibus agnoscantur, *vento* et aëri comparari solent. Cf. *Xenoph. Memor. Socr.* IV, 3. 14. Ostendit Christus et alia esse, quae non conspiciantur, revera tamen existant. Vento autem voluntas tribuitur per Prosopopoeiam, quemadmodum et ventus et mare dicuntur *obsequi* Christo iubenti. Sensus est: Non potest prohiberi ventus, quin huc illuc feratur. φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις) *auditur sonus*, *strepitus;* hebr. קוֹל. Cf. 1 Reg. XIX, 12. ubi de Iovae praesentia leguntur verba: קוֹל דְּמָמָה דַקָּה. οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται) *Non cernitur origo eius*, unde oriatur. καὶ ποῦ ὑπάγει) *quo abeat*, quo se proripiat abiens. ποῦ h. l. est *quo*. Hoc vult: Nescitur, ubi desinat ventus; non magis exitus eius quam origo in conspectum venit. Etsi certum est ventum flare, tamen in hac re quaedam mira

mira et obscura esse solent. οὕτως — πνεύματος) *Sic etiam se habet res cum eo, qui e spiritu natus*, per religionis doctrinam quoad animum et mores mutatus est. Emendatio nostra est certa; nam experimur eam, sed sunt in ea quaedam obscura et mirabilia. Nemo, qui se in melius mutatum sentit, definire potest, quo puncto haec mutatio coeperit, quomodo sit progressa, quomodo vires ad hanc vel illam virtutem exercendam sint roboratae; neque enim ut perspiciat necesse est. „In verbis ὅπου θέλει πνεῖ, simul inest significatio arbitrii divini, quod liberrimum sit, nec ullis se terminis circumscribi patiatur. Qui enim beneficia divina sibi deberi putant, exclusis ac remotis exteris (quae tum exitialis Iudaeorum opinio fuit), ii sane fines terminosque ipsi Deo constituunt, nec illius stant arbitrio sed suo. His ergo discendum est, Spiritum Dei non arceri terrae cuiusdam finibus, aut sorte nascendi hominum, aliisve externis rebus: sed eius afflatum ad omnes sine ullo discrimine terrarum et gentium pertinere, dummodo dociles sese divinae disciplinae praebeant.“ *Knappius.*

9. Πῶς — γενέσθαι;) *Quomodo haec evenire possunt?* Haesitantis est. Tanta est Nicodemi in tuendis, quae hactenus secutus erat, praeceptis, perseverantia, ut post tam manifestum exemplum nondum hanc Christi orationem intelligat. Non repugnat quidem, sed sententiam sermonis non penitus assequitur, et planius exponi cupit. Vix fieri posse existimavit, populo persuaderi posse, ut praeiudicia sua abiiciat; nec vidit, quomodo nova generatio in Iudaeos conveniret, qui meliores essent ceteris gentibus regeneratione indignis;

et

et vero in doctorem, qui rerum divinarum scientia et pietate suis praestaret popularibus.

10. Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ) Formula loquendi Iudaicis valde usitata, e. g. *Midrasch Mischle* IX, 2. *Nedarim* f. 49, 2. Sensus est: *Tu* ex eruditione notus *ille* et clarus *Israëlitarum doctor es, et haec nescis?* Talia ignorare tantum magistrum dedecet. Nam haec scire et oportet et opus est: quae si doctori incognita sunt, quid vulgi ignorantiam miramur? Recte *Chrysostomus*: οὐδαμοῦ πονηρίαν κατηγορεῖ τοῦ ἀνδρὸς, ἀλλ' εὐήθειαν καὶ ἀφέλειαν μόνον, *stultitiam et simplicitatem. Malitiae* indicium nec in eius obiectionibus, nec in Christi responsionibus ullum deprehendimus. Sed ignorantiam viri iure reprehendit Iesus, quod non potuerit diiudicare hoc, nempe per Deum id fieri posse, quod non possit per homines. Nam in V. T. haud raro tale aliquid dicitur, e. c. quum Deus promittit, se novum cor daturum esse, aut quum Davides precatur: *Da mihi cor novum.* Ps. LI, 12.

11. Ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν) *Quod scimus, id docemus.* Cum Iesus statim v. 12. de se in Singulari loquitur, consentaneum esse videtur, eum h. l. *plurium* atque inter ceteros vates praecipue *Ioannis Bapt.* respectu loqui, qui secum consentiant, scil. *de nova hominum generatione.* καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν) *Rem certissime sic se habere scimus.* Nam *vidisse* dicimus, quae plane perspeximus, quaeque comperta habemus et explorata, vid. v. 32. et cf. supra I, 18. Verba λαλεῖν et μαρτυρεῖν dicuntur de *docendo*, hoc tamen discrimine, quod μαρτυρεῖν de iis adhibetur, qui quae doceant ita habent perspecta, ut eorum doctrina testi-

testimonio historico aequipolleat. καὶ οὐ λαμβάνετε) *Vos tamen testimonium nostrum assensu vestro non probatis.* Καί, *et tamen.* Λαμβάνειν, *assensu probare.* In Plurali, οὐ λαμβάνετε, loquitur Christus, ut significet, ad *plures* haec pertinere, Nicodemo similes, vid. v. 2. Sententia verborum haec est: „Si cui de divina auctoritate magistri plane persuasum fuerit, is, si sibi ipsi constet, credat necesse est, verissima esse, quae ille doceat; nec ei affirmanti fidem derogare poterit. Nihil enim affirmabit ille, nisi quod cognitum perspectumque habet. Sed vos tamen, qui vatibus multum tribuere videmini, dictis fidem negatis: id quod vel meo et Ioannis exemplo denuo confirmatur.“ *Knappius.*

12. Εἰ τὰ ἐπίγεια — πιστεύσετε;) *Si mihi de rebus humanis disserenti fidem non habetis, multo minus fidem habebitis disserenti de rebus coelestibus.* Quae sint τὰ ἐπίγεια, τὰ ἐπουράνια, dubitant interpretes. *Chrysostomus* τὰ ἐπίγεια vult esse *Baptismum, qui in terra perficitur: Grotius, res divinas, comparatione a rebus humanis* (naturali nativitate, vento) *ducta, explicatas; Semlerus ea, quae iam tunc in terra inter homines fieri incepissent.* Videntur autem ἐπίγεια esse, *quae in terra fiunt, quae experiri possunt homines*, e. c. *regeneratio* per Christum, de qua in praecedentibus fuerat sermo; haec enim fit in his terris, et cognoscitur interiori nostro sensu. Τὰ ἐπουράνια autem videntur esse *sublimiora;* ab hominum captu remota, e. c. arctissima Christi cum summo Deo consuetudo et familiaritas, vita eius sublimior post resurrectionem: arcana Dei consilia de salute humani generis procuranda

per

per filium Dei etc. Sensus: Si mihi ne in his quidem rebus fidem tribuitis, moremque geritis, quae in terra vobis peragenda praecepi, multo minus exspectari potest, ut illa credatis, quae de consiliis Dei adhuc incognitis expositurus sum. Neque enim his rebus percipiendis idoneus est, qui illis fidem abrogat.

13. Καὶ οὐδεὶς — οὐρανῷ) *At nemo in coelo* (apud Deum) *fuit* (nemo haec perspicit,) *praeter eum, qui e coelo descendit*, (qui coelitus venit) *Messias, qui cum Deo est coniunctus.* De se loqui Christum, clarum est. Nexus horum verborum cum praecedentibus a variis varie constituitur. Cohaerent autem cum illis: (v. 11.) ὅτι ὃ οἴδαμεν — μαρτυροῦμεν etc., ut sensus sit: *Ego solus haec talia perfectissime scio; quia praeter me nemo in coelo cum Deo versatus est, divini particeps consilii.* Cf. c. I, 18. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε κ. τ. λ. quae quidem verba plane consonant dictis Christi c. VI, 46. et VII, 29. cet. Verba igitur: Οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν vertenda sunt: *Nemo ascendit in coelum*, i. e. nemo unquam mortalium in coelo, apud Deum fuit; ergo nulli mortalium arcana Dei consilia sunt nota et perspecta. Quoad sensum non differt eorum interpretatio, qui phrasin ἀναβαίνειν εἰς τὸν οὐρανὸν tropice intelligunt, ut denotet: *res abstrusiores et veluti in gremio Dei reconditas penetrare ac manifestare*, ut Deut. XXX, 12. Rom. X, 6. Proverb. XXX, 4. Baruch. III, 29. „Quae enim homines latent ac soli Deo cognita sunt, ea *coelestia* dicuntur, vel *in coelo abdita:* et qui res obscuras atque in vulgus ignotas callent penitusque perspectas habent, iidem *in coelo fuisse*, *coelum adiisse*, et scientiam rerum *de coelo derivasse* perhi-

bentur." *Knappius.* Falluntur, qui his verbis Οὐδ. ἀναβ. εἰς τὸν οὐρ. ad Christi ascensum in coelum, post opus salutare in terris transactum, respici putant. Nam Christus hoc dicit, ante se coelum adire neminem *potuisse* (non dicit ἀναβήτεται sed ἀναβέβηκεν,) eo quidem consilio, ut coelestem doctrinam inde in terram afferret. Εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς) *nisi ego solus, qui e coelo descendi*, ut nempe illa ἐπουράνια doceam et explicem. Ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, alibi pro simplici pronomine ponitur, nunc autem Messiam indicat. Cf. Matth. VIII, 20. Conferri potest *Io. Christoph. Doederlein* Commentatio *de vi et usu formulae, Christum e coelo venisse*, in opuscc. theologicis (Ienae 1789.) pag. 59. s. Verba ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ in praesenti explicari debent, alioquin nihil praecipui dixisset Christus. Sensus est: Ego, qui a Deo missus de coelo veni, etiam dum his in terris vivam, cum Patre permaneo coniunctus, summa mihi cum Deo intercedit consuetudo et familiaritas. Si Christianorum πολίτευμα dicitur esse in coelo, quanto magis Christi, qui semper introspexit Patris intima. Sed qui ὁ ὢν pro ὃς ἦν positum putant, et interpretantur: *Qui erat in coelo* antequam ad terram descenderet, ii certe nihil faciunt, quod usui loquendi repugnet. Nam Hebraei participio praesentis utuntur etiam ad exprimendum imperfectum et plusquamperfectum. Cf. c. IX, 25. XIX, 38. 2 Cor VIII, 9. et imprimis Ioann. VI, 62. Verum nostro loco magis convenit vim praesentis retineri.

14. Καὶ καθὼς — ἀνθρώπου) *Atqui ut Moses olim in sublime erexit serpentem in deserto, ita Messiam oportet erigi.* Explicat nunc Iesus Nicodemo, *quis et quidnam Messias sit?* sc. non libertatis publicae

Iu-

Iudaeorum vindex et restaurator, non rex terrenus, qualem gens Iudaica tum exspectabat, sed auctor salutis aeternae. Igitur Iesus Messiam *evehendum* esse ostendit ex terra, idque dicit, in antecessum significans, quo leti genere ipse esset moriturus. Instituit comparationem inter se et serpentem aeneum, a Mose in deserto Israelitis eo consilio perticae impositum, ut morsi a basiliscis, eum adspicientes, sanarentur. Num. XXI, 8. 9. Non autem probabile est, sola contemplatione serpentis sanatos esse Israelitas, sed videntur sanati esse, quod fidem habebant promissis divinis, per Mosen factis; et hanc fidem confirmavit serpentis adspectus. Sic etiam si Iesum audimus atque Apostolos, iis tantum contingit, ut renascantur atque ad beatitatem aeternam perveniant, qui Christo, sua morte peccata nostra expianti, fidem habent. *Eckermannus* (*theolog. Beiträge*, Tom. I. Part. 2. p. 46.) existimat, extitisse aliquem, qui *φάρμακα* adversus morsum basiliscorum praeberet, et Israelitas hoc signo tantum monitos esse, ut se illic conferrent, uterenturque his remediis. Verum de hac re nihil commemorat Moses. *Ὄφις* est aenea serpentis imago, tanquam *σύμβολον σωτηρίας*. *Ὑψοῦν* est omnino *erigere*, *elevare*, *loco alto proponere*; *ὑψωθῆναι* igitur simili modo erit explicandum. Per se, si contextus ratio non habetur, potest ad maiestatem Messiae referri; unde fuerunt, qui ad reditum Christi in coelum respici existimarent. Alii rectius referunt ad supplicium eius in cruce, in qua suspensus sit, ut credentes in eum vitam aeternam consequerentur, maxime propter locum c. XII, 32—34. Illo in loco quidem anceps est verbi *ὑψοῦσθαι* sensus; nam potest de crucis supplicio, sed potest etiam de

alto honoris fastigio intelligi. V. d. *Henkii* commentat. supra laudatam, et cf *Neues theol. Iournal*, Tom. II. pag. 84. s. Sed id mirum videri non potest. Christus enim Chaldaice loquens, sine dubio usurpavit verbum זקף, quod Hebraeis atque Aramaeis proprie significat *attollere*, *allevare* latissimo sensu; sed transfertur deinde a Chaldaeis et Syris ad eos, qui in patibulo vel cruce suspendio plectuntur. Verbis: ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, indicatur, fieri id e *decreto Dei;* eodem sensu aliis in locis legitur: ἵνα πληρωθῇ ἡ γραφὴ ita, ut ad V. T. vaticinia respiciatur. At vero „divinum illud consilium de salute generis humani per meam in cruce mortem reparanda (Io. VI, 51.) adhuc in coelo latet, praeter me nemini cognitum: sed si illud patefecero, vos mihi fidem negaturos certe scio, „dicere vult Christus. Quotus enim quisque Iudaeorum tum inventus est, qui crederet, ὅτι ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν κατὰ τὰς γραφάς? Quin hoc ipsum illis argumento fuit, Iesum non esse Messiam (Io. XII, 34. 1 Cor. I, 23.); ipsique adeo Apostoli diu a Christo instituti, nec perceperunt haec (Marc. IX, 32.), nec ferre potuerunt.“ *Knappius.*

15. Ἵνα πᾶς — αἰώνιον) *Ut quicunque ei fidem habuerit, non miser sit, sed felicitatem aeternam consequatur.* Οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτὸν sunt, qui ipsi fidem habent, eum sectantur, ut Messiam venerantur. Πίστις in crucifixo posita est via τῆς σωτηρίας et vitae aeternae, id quod saepe in Epp. Paulin. legitur. Ἀπολλύσθαι dicuntur, qui versantur in summo periculo, vel miseri redduntur, poenis afficiuntur; h. l. inprimis sermo est de futuri aevi miseria. Huic miseriae opponitur ζωὴ αἰώνιος, *felicitas aeterna.*

Nam

Nam ζωὴ saepe est felicitas. Αἰώνιον dicitur, quicquid ad αἰῶνα pertinet, et usurpatur de praeterito et de futuro tempore. Indicatur hac sententia consilium divinum de salute hominum per Messiam procuranda negando et affirmando.

16. Οὕτω γὰρ — ἔδωκεν) *Tanto enim favore complexus est Deus homines, ut iis daret carissimum suum filium.* Utrum Iesus haec in colloquio cum Nicodemo, an alio tempore dixerit, an fortasse ex pio animo scribentis, uberiusque quae praecedebant explicantis, affluxerint, dissentiunt Interprr. Recentiorum plures statuunt, ab hoc inde versu Ioannem sui ipsius cogitata proferre, et monent, Iesum nunquam in sermonibus suis denominatione μονογενὴς usum esse. Itaque v. 15. abrumpi colloquium subito; unde patere, Ioannem nonnisi summam eius exhibuisse. Contra *Knappius*, veteribus Interpretibus adstipulatus, observavit haec: Ne unum quidem exemplum afferri poterit, ex quo appareat, Ioannem eorum, quos loquentes fecerit, sermonibus, sua sic vel interposuisse, vel subiunxisse, ut plane nullam eius rei significationem daret. Quin contra huius scriptoris perpetuo in more illud est positum, ut, vel interloquens aliorum sermoni, vel ante expositis quaedam subnectens, claris id indiciis ostendat. Vere ista dici, non dubitabunt, qui singula haec, ex eodem illo et consimili genere loca, diligenter expenderint: I, 16—18. II, 17. 21. 22. VI, 6. VII, 39. VIII, 27. X, 6. XI, 2. 30. 51. 52. XII, 16. 33. 37—43. *Knappius* igitur contendit, Christum ipsum sermonem suum cum Nicodemo habitum continuare et sic pergere v. 16., ut doceat, ea in re, quam modo commemoraverat, singularem Dei Patris

amorem,

amorem, quo ille genus humanum amplectatur, elucere, qualis alibi etiam in *Filio* praedicatur (c. X, 11. 15. XV, 13.): utrumque eo consilio, ut et Patrem et Filium, qui prius tantopere nos adamarint, grato et obsequente animo redamemus, 1 Io. IV, 19. Ὁ κόσμος varie usurpatur in N. T., inprimis, ut hoc loco, *de universo genere humano.* Quod etiam apparet e comm. 15. Ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων et cf. 1 Tim. III, 4. 2 Petr. III, 9. 1 Io. II, 2. Οὕτως, *tantopere.* Ἀγαπᾶν de omni favore et amoris documentis usurpatur. Ὁ υἱὸς ὁ μονογενής, *filius unicus, isque dilectissimus,* cui nec parem habet quemquam, nec sibi cariorem. Ἔδωκεν, duplici modo explicari potest, nimirum, ut subintelligatur θανάτῳ, seu εἰς τὸν θάνατον, *ut eum morti traderet,* vel, ut repetatur vocabulum κόσμος, atque adeo idem sit quod ἀπέστειλεν αὐτὸν εἰς τὸν κόσμον, *misit, concessit eum hominibus.* Priori interpretationi tum proxime antecedens oratio v. 14. magis favet, tum similis plane sententia Pauli Rom. VIII, 32. Sed latius patet, totumque opus Christi complectitur formula illa: ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς τὸν κόσμον, qua Iesus statim v. 17. ipse utitur (similiter 1 Io. IV, 9.), significatione vero *piacularis victimae* nequaquam exclusa. Ἵνα πᾶς — αἰώνιον) Vid. dicta ad v. 15.

17. Οὐ γὰρ — δι' αὐτοῦ) *Neque enim filium ad homines misit, ut in iudicium eos vocaret, sed ut ipsius ope felicitatem consequerentur.* Iudaei putabant, Messiam, quum advenerit, gentes omnes novis suppliciorum generibus et portentis inusitatis in lacum ignis perpetui esse deiecturum. Hoc fuit *illud odium humani generis,* quod solent Scriptores graeci et romani

romani Iudaeis tribuere. Hunc Iudaeorum errorem Iesus corrigit. Κρίνειν saepius quidem est, quod κατακρίνειν, *condemnare*, et ex adiuncto, *infelicem reddere*. Sed quum e Christi doctrina ii tantum miseri fiant, qui Messiae fidem constanter denegaverint; quicunque autem animi renascentia sese veram in Messiae beneficiis ponere fidem ostenderint, a iudicio liberati quiescant in Patris amore ac benignitate, ideo contextui magis convenit, Verbum κρίνειν simpliciter verti: *in iudicium*, *in ius vocare*. Sensus verborum sic erit constituendus: Deus filium suum ad homines misit, non ut eos, *quales sint*, *in ius vocaret*, sed ut quicunque voluerint et ipsi crediderint renasci faceret, eosque a *iure* immunes soli Dei *benignitati* commendaret. Cf. c. XII, 47. Σωθῆναι h. l. significat: *eam felicitatem*, salutem *consequi*, quae a Messia expectanda est.

18. Ὁ πιστεύων — τοῦ θεοῦ) *Iam qui ei fidem habet, non iudicatur; qui ei fidem denegat, iam iudicatus est, quia unicum Dei filium non sectatur.* Ἤδη κέκριται, *iam iudicatus est*; non demum est iudicandus; *culpam contrahit*, dum oculos claudit, et sibi viam salutis, quam Messias monstratum venerat, praecludit. In quemcunque enim iudicium agi opus est, eum peccasse in eaque animi perversa conditione permansisse necesse est, ex qua Messiae auxilio se liberari non est passus. Dictum est vetus: *Illo nocens se damnat, quo peccat die.* Sic in legibus Romanis: *ipse te poenae subdidisti.* ὅτι — τοῦ θεοῦ) *Eam ipsam ob causam, quia unico Dei filio fidem non habet.* ὄνομα ex Hebraismo redundat.

19. Αὕτη — τὰ ἔργα) *Hoc autem est iudicium, quod, quum lux ad homines missus esset, hi tenebras prae-*

praetulerunt luci; nam facta eorum erant prava. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίτις, *hoc est iudicium*, vel: haec est causa, cur magna pars hominum iudicio subiicitur, nec a poenis peccatorum liberari potest. Solet Ioannes demonstrativum Pronomen sive evidentiae, sive illustrationis causa saepius usurpare, ut infra c. XVII, 3. De vocc. φῶς et σκότος vid. supra notata ad c. I, 4. 5. 9. τὸ φῶς est lucis, melioris cognitionis auctor, ipse Messias. Is ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, missus est et venit ad homines. Ἀγαπᾷν ex usu hebraicae linguae est *praeferre*, et τὸ σκότος inscitia cum vitiositate ei adiuncta. Dicit itaque Christus: *Causa, cur gravissima poena digni sint huiusmodi homines, haec est, quod scientes in inscitiae et vitiorum tenebris perseverare volunt.* Qui nempe in tenebris versatur eo tempore, quum lumen deest, aliqua venia est dignus: qui vero exorta luce tenebras sectatur, malum profecto pravumque animum prodit. Cf. infra XV, 22. ἦν γὰρ — ἔργα) *Quia mores eorum erant vitiosi et pessimi.* Ἔργα sunt studia hominis, non tantum actiones, sed etiam cogitandi, iudicandi et sentiendi ratio, consilia, studia, proposita, conatus Ratio redditur, cur Iudaeorum magna pars Iesum tanquam Christum et Messiam admittere noluerit. Iudaei praeferebant doctrinae Iesu suas opiniones de Messia, spem suam et exspectationem vanam, idque *propter male facta sua*, i. e. propter mores suos pessimos, propter opiniones et cupiditates terrenas, quibus irretiti tenebantur.

20. Πᾶς γὰρ — ἔργα αὐτοῦ) *Qui enim mala patrat, is lucem odit, neque ad illam accedit, ne facta eius in conspectum veniant.* Τὸ φαῦλον Grae-

Graecis dicitur, quicquid in suo genere est *vile, leve*, deinde *pravum*, moraliter malum. Ὁ φαῦλα πράσσων non is est simpliciter, qui *peccat*, sed qui peccatis *studet*, *sciens ac volens peccat*, ut 1 Io. III, 4. 8. 9. Μισεῖ τὸ φῶς, *aversatur lucem*. Καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, *neque ad illam accedit*. Quicunque ita vitiis immersi sunt, ut virtutem iam odisse consueverint, ii *divinam illam lucem* (φῶς) fugiunt, nec se renasci cupiunt. Eiusmodi homines appellantur τέκνα τοῦ διαβόλου 1 Io. III, 10. Ἐλέγχειν *manifestare, patefacere, ostendere quale quid sit;* hinc etiam *reprehendere*, ex adiuncto. Paulus in eodem fere argumento versatus est Ephes. V, 11. sqq.

21. Ὁ δὲ ποιῶν — εἰργασμένα) *Sed quicunque veritatem facit, is ad lucem accedit, ut eius facta manifesta fiant; etenim in Deo sunt facta.* Ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν opponitur τῷ φαῦλα πράσσοντι, v. 20. Sic Tob. XIII, 6. ποιήσαι ἐνώπιον θεοῦ ἀλήθειαν. Phrasis vero ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν convenit quidem in significatu cum illa: ποιεῖν δικαιοσύνην 1 Io. III, 10., ut spectetur *vitae integritas studiumque virtutis;* sed fons et origo τῆς δικαιοσύνης est ἡ ἀλήθεια, et ποιῶν τὴν ἀλήθειαν est is, *qui totus est in veritate*, i. e. qui luce illa divina, quam Dei benignitas in Christo nobis exhibuit, ita animum suum illustrari passus est, ut eo modo, quem Christus praescripsit, renatus, omnem et sentiendi et agendi rationem ad veritatem componat. Is igitur ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, *venit ad lucem*, nec iterum eam deserit; namque iucunda bonae menti et bonae conscientiae lux est. Accedit ad doctorem divinum eo consilio, ut continuo studio ab eo discat, quid agendum, quid fugiendum,

et

et an viam his doctrinis consentaneam egerit. ὅτι — εἰργασμένα) *quia in Deo sunt facta* i. e. ex Deo, seu e voluntate Dei profecta, legibus divinis consentanea. Ἐν θεῷ, idem quod κατὰ θεόν, vel κατὰ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, 1 Io. V, 14. Nam ἐν respondet Hebraeorum ב, quam particulam Alexandrini interpretes Gen. I, 26. expresserunt κατά. Εἰργασμένα, pro πεποιημένα.

22. Μετὰ — Ἰουδαίαν γῆν) *Posthaec Iesus comitantibus discipulis suis in Iudaeam abiit*, in regionem circa Hierosolyma; nam colloquium illud cum Nicodemo in ipsa urbe Hierosolymorum habitum erat. *Terra Iudae* vocatur, ut *desertum* Iudae, pars illa, quae sic dividitur a Galilaea, Samaria etc. καὶ ἐκεῖ διέτριβε μετ' αὐτῶν, *et ibi aliquamdiu cum iis commoratus est.* Διατρίβειν, per ellipsin nominis χρόνου significat tempus *terere*, *commorari*, *versari in aliquo loco.* ἐβάπτιζεν) per discipulos, c. IV, 2. Ceteri Evangelistae ea de re nihil tradunt. Paulus quoque Evangelium praedicabat, baptizabat autem plerumque per alios. Publice igitur in novam sectatorum suorum societatem adscivit eos, qui doctrinae eius fidem dabant.

23. Ἦν δὲ — Σαλείμ) Hieronymus: *Salem oppidum est iuxta Scythopolin, quod usque hodie appellatur Salem.* Iudith IV, 1. Eo autem ivit Ioannes, non alio, ut videtur, consilio, quam ut pluribus locis officio suo fungens populum ad poenitentiam et baptisma invitaret. Quum tamen admodum difficile sit intelligi, quomodo Ioannes Baptista pergere potuerit baptizare, cum audivisset, Iesum quoque baptizare et coetum colligere, ideo *Semlerus* coniecit, Ioannem ipsum

post

post Christum baptizatum alios non baptizasse, sed eius illi discipuli, qui partium studiosi iam cum Pharisaeis communia habebant consilia. De Ioannis baptismate et de ratione, quae Christum inter et Baptistam intercedebat, disputavit *Lückius* in Commentar. ubi cf. p. 615. sqq. Aliis Salem videtur esse is locus, qui Ios. XV, 32. vocatur Schilchim, et Aenon is, qui ibidem vocatur Ain, ad confinia Edomitarum. Hoc saltem certum esse videtur, Σαλεὶμ non cis Iordanem, in Iudaea, sed trans Iordanem in Peraea sitam fuisse. Quod inde etiam verisimile fit, quod ibi fuit aula Herodis, a cuius satellitibus Ioannes prehensus fuit. ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ) Intellige non rivos multos, sed simpliciter aquae copiam, tantam scilicet, in qua facile corpus humanum mersaretur, quo tum more baptisma peragebatur.

24. Οὔπω γὰρ — ὁ Ἰωάννης) ostendit, eas hic a se res narratas, quae Ioannis captivitatem antecesserunt, quum ceteri Evangelistae miraculorum Christi inde ferme initium faciant, nec referant, quemquam a discipulis Iesu baptizatum esse, Ioanne adhuc vivente.

25. Ἐγένετο — καθαρισμοῦ) *Orta est igitur disputatio a discipulis Ioannis cum Iudaeis* (s. Iudaeo quodam) *de baptismate.* Post ἐγένετο οὖν nonnulli supplent τισὶν, eo sensu, quod nonnullis tantum Ioannis discipulis orta sit disputatio. Sed phrasis ἐγένετο ἐκ τινὸς notat: *Orta est ab aliquo veluti ab auctore.* ζήτησις, *altercatio*, disceptatio. Pro μετὰ Ἰουδαίων plerique Codd. graeci legunt Ἰουδαίου, ut sensus sit, Iudaeo cuidam, puta a discipulis Christi baptizato, hanc quaestionem movisse Ioannis discipulos. Περὶ καθαρισμοῦ *de baptismate*, sacra ablutione, sc. Ioannis

Ioannis et Iesu (nam sequitur v. 26. οὗτος βαπτίζει coll. 2 Petr. I, 9.), sicut et Iosephus verbo καθαίρειν utitur, in narrando baptismate Ioannis. Discipuli Ioannis praeferebant magistri sui baptisma, et fortassis etiam volebant efficere, ut is pro Messia haberetur. Saltem invidebant Christo et discipulis eius, atque populo persuadere conabantur, praeceptoris sui baptisma esse dignitatis maioris baptismate discipulorum Iesu, quippe ipse a Ioanne fuerit baptizatus. Vide supra ad c. I, 6. annotata. Tales etiam fuisse videntur ii, quorum fit mentio Act. XIX, 1—5.

26. Ὃς ἦν μετὰ σοῦ) *Qui nuper erat apud te*, qui tecum versabatur; quem tu baptizabas. πέραν τοῦ Ἰορδάνου) i. e. in traiectu Iordanis, ut hic Syrus, in Bethabara, c. I, 28. ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας) Quem tu pro tua modestia elogio tuo ornasti; μαρτυρεῖν, *laudare aliquem*, Luc IV, 22. ἴδε, οὗτος βαπτίζει,) Quasi dicant: in tuas partes involat, adeo ut hoc ipsum nobis ad extenuationem tuae auctoritatis obiiciatur. καὶ πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτὸν) Hyperbole: plures ad eum veniunt, quam ad te, quasi novitatis studio. Indignabundi ista narrant. Quanquam enim Ioannes commendavit iis alium, post se venturum, sc. Iesum, hi tamen eius mentem non accurate intellexisse videntur.

27. Οὐ δύναται — οὐρανοῦ) *Nemini licet sibi ipsi quid arrogare, nisi ipsi a Deo concessum fuerit.* Λαμβάνειν, *sumere sibi* Ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *a Deo*, ut Luc. XV, 18. Non arrogo mihi, inquit Ioannes, maiorem auctoritatem, quam Deum mihi concessisse scio. Alii putant, de Iesu loqui Ioannem, quasi dixisset: Non arrogaturus esset sibi Iesus munus baptizandi,

nisi

nisi id ei a Deo esset concessum. Potest utraque interpretatio locum habere, et huius comm. verba et ad Iesum, cuius sane haec sit auctoritas, et ad Baptistam, qui haud quidquam, quod ipsi demandatum non sit, sibi vindicet, propius pertinere possunt. Bene *Tittmanus:* (Melet. III. p. 41.) Hac sententia universali et usu vulgari trita innuere voluit (Ioannes) nec se sibi sumere posse, quae Deus non dederit, nec Iesum, quae a Deo non habeat; itaque quae ab illo gerantur, contingere auctore Deo.

28. Αὐτοὶ — ἔμπροσθεν ἐκείνου) *Vos ipsi mihi testes eritis, me noluisse pro Messia haberi, imo dixisse, me missum esse tanquam eius praecursorem.* Αὐτοὶ, ut latinum *ipsi*, cum emphasi quadam iunctum est verbis: ὑμεῖς μοι μαρτυρεῖτε. Μαρτυρεῖτε, *testari poteritis;* nam videtur esse futurum contractum. Ἀλλ' ὅτι, aut ἀλλὰ est: *imo*, ut repetatur εἶπον, aut ὅτι redundat. Sensus est: Ipsi hac ipsa, qua me compellastis, oratione, professi estis, me agnovisse, Iesum esse me maiorem, et quidem immense, me non esse Messiam, sed tantum eius praeconem. Cf. c. I, 29. s.

29. Ὁ ἔχων — πεπλήρωται) *Sponsus est, qui habet sponsam; amicus autem eius* (paranymphus) *qui adstat, et audit eum adesse, laetatur, quod vocem sponsi audivit: tale gaudium perfectissimum mihi contigit.* Sensus est: Quemadmodum paranymphus, qui inferior est sponso, laetatur de adventu sponsi: ita ego quoque, inferior Messia, laetor, me eius esse ministrum. Ὁ φίλος τοῦ νυμφίου est *Paranymphus*, Hebraeis dictus בְּנֵי שׁוּשְׁבִין, *filius laetitiae.* Paranymphus apud Hebraeos amico sponsam procurabat, de forma

et

et virtutibus eius testimonium ferebat et in gratiam desponsatorum cum iisdem nuptiarum tempore, et post aliquantisper commorabatur, praecipue quoque honori sponsae et novae maritae consulturus. *Cetuvoth.* f. 12. 1. *Olim in Iudaea duos paranymphos constituebant, unum sponso, alterum sponsae, ut illis ministrarent, quando in Chuppam* (conclave in quo est lectus coniugalis) *ingrediuntur.* Multa loca veterum Iudaeorum laudat *Wetsten.* Cf. *Lightfoot* Hor. Hebr. et Talm. ad Io. II, 1. Ὁ ἑστηκὼς pertinet ad sequens ἀκούων, q. d.: Ego non nisi ὁ φίλος Messiae sum, quippe qui appaream attentusque exspectem, usque dum voce e cubiculo emissa sponsus laetitiam profiteatur: qua voce audita ingens est gaudium meum, non mei solius causa, sed quod aliorum saluti est consultum. Alii ad voc. ἑστηκὼς subaudiunt: ὁ ἐπὶ τῇ θύρᾳ, ut sit sensus: qui adstat cubiculi foribus. χαρᾷ χαίρειν simpliciter est *laetari.* αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται) Hic tacita est apodosis. *Consummatum est gaudium meum.* Declarat igitur Ioannes his verbis, non sibi, sed Christo primarias partes deberi, sicuti in nuptiis sponsus primum locum obtineat; tantum abesse, ut ex rebus Christi praeclare gestis dolorem sentiat, ut potius de eo florente ac inclarescente gaudeat. Insuper est notandum, iam in V. T. ecclesiam, ut eius intimus cum Deo intelligatur connexus, describi tamquam *nuptam* Deo *uxorem,* vid. Hos. II, 19. Et Christus ipse *sponso* se comparavit Matth. IX, 15. XXV, 1. Paulus etiam in Ep. ad Ephes. c. V. similitudinem adhibuit de Christo, ecclesiae *coniuge,* qui illam diligat eique prospiciat. Cf. etiam *das alte und neue Morgenl.* T. V. p. 227. sqq.

30. Ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν) Fama, et quod vos invidetis, discipulorum copia, et auctoritate. ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι) *Meam famam iam minui oportet.* Lubens a provincia mea abeo. Aequum est, ut auctoritas et fama Iesu in dies magis magisque illustretur, discipulorumque copia augeatur, meum autem nomen minuatur atque obscuretur.

31. Dissentiunt Interpretes, cui verba, quae sequuntur v. 31—36. sint tribuenda. Nonnulli ad Evangelistam referunt auctorem, qui suum iudicium verbis Baptistae adiecerit, nam ea, quae sequuntur, a Baptista prolata esse, non est verisimile: plerique vero Baptistae orationem continuatam statuunt, quia oratio coniuncta est cum superioribus, nec quicquam eam distinguit ab illis. Sed prior sententia praeferenda videtur; nam Baptista de sublimiori natura Christi nondum cogitasse videtur. Egregie vero, si vv. 31—36. Evangelistae verba legimus, consentiunt cum Prologo cap. I. Eadem fere argumentandi ratione, qua hoc loco, etiam alias usus est. Vid. 1 Io. I, 10. V, 10. coll. h. l. v. 33. et aperte respexit verba Christi, quae leguntur c. III, 13. Ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος) i. e. *filius Dei*, qui nimirum *Dei iussu* venit, ad homines novis beneficiis afficiendos. Ἄνωθεν idem valet quod ἐκ οὐρανοῦ, ἐκ Θεοῦ, Io. XIX, 11. Iac. I, 17. Est igitur ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος vel is, ὃν ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς (infra v. 34.), a Deo missus et ablegatus, vel potius celsissimus Dei filius, omnibus Prophetis et legatis divinis multo superior. ἐπάνω πάντων ἐστίν) *Superat omnes alios*, etiam prophetas, divinorum consiliorum intelligentia, sanctitate, atque dignitate; non est unus e multis, qui in his terris vivere solent, sed plane singularis, omnium cel-

celsissimus. ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς — λαλεῖ) *Qui enim nonnisi humanum ortum habet, is vilioris conditionis est, et doctrinam minus praestantem tradit.* Est in his verbis πλοκή. Primo loco ἐκ τῆς γῆς εἶναι significat nonnisi humanum ortum habere; nam opponitur τῷ ἄνωθεν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔρχεσθαι, altero loco significatur incommodum, quod originem sequitur, vilior conditio. Ἐκ τῆς γῆς λαλεῖν, *imperfectiorem doctrinam tradere*, non satis graviter et plene, et copiose docere. Sensus idem est, qui cap. I, 26. 27. ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος, i. e. ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, ut Paulus loquitur 1 Cor. XV, 47. Ego, inquit Ioannes, qui nil nisi homo sum, exigua tantum et paucula doceo; ille autem, qui est originis coelestis et de coelo missus, excellentiora et maiora docet, et quidem ea, quae accuratissime habet cognita. Quodsi vero haec verba sunt Evangelistae, sensus est: Ioannes erat merus homo, Christus est Dominus ἐξ οὐρανοῦ, ergo doctrina eius est multo praestantior. Baptista quoque doctor prodierat a Deo excitatus, nec autem cognita habuerat arcana Dei consilia (τὰ ἐπουράνια v. 13.). Verba hui. v. ἐπάνω πάντων ἐστί. Καί (v. 32.), a nonnullis nec sine idoneis argumentis spuria habentur. Cf. *Lückium* p. 622. sq.

32. Καὶ ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε) Quod didicit sublimioris sapientiae, a Deo scilicet, quod plene et perfecte cognitum habet. Vid. supra c. III, 11. et infra cap. V, 19. τοῦτο μαρτυρεῖ) *Hoc docet*, prodit hominibus. Solus citra errorem τὰ τοῦ Θεοῦ et intelligendi et tradendi facultate eminet Io. VIII, 26—29. Sensus: qui a terra est oriundus, loquitur, quae in terra didicit, vel quae ipsi Deus revelare voluit; qui vero de coelo

coelo venit coelestia docet eaque auditu visuque cognita. καὶ τὴν — λαμβάνει) *Et tamen pauci doctrinam eius probant;* paucos habet sectatores. Cf. supra c. I, 5. coll. XII, 37. καὶ h. l. non est particula copulativa, sed adversativa: *tamen.* Οὐδείς, ut in communi vita: *nemo fere*, i. e. pauci. Ἡ μαρτυρία τοῦ Χριστοῦ, *doctrina Christi*, hebr. עֵדוּת, Ps. XIX, 8. Ita lex Mosaica, totaque disciplina et forma reipublicae Iudaicae vocatur μαρτυρία, Sirac. XLV, 21. λαμβάνειν, *recipere, fide et obsequio amplecti.* Haec interpretatio contextui bene respondet. *Kypke* explicat: *Et testimonium eius nemo suscipit*, i. e. non obstante summa personae Christi eminentia, doctrinaeque eius praestantia et certitudine, nemo fere reperitur, qui munus illud in se suscipiat, de illo divinaque eius origine et missione publicum dicendi testimonium; nondum habet μάρτυρας αὐτοῦ, uti postea Act. I, 8. Io. XV, 26. 27. Μαρτυρία αὐτοῦ, *testimonium de illo*, sc. Iesu. Λαμβάνειν *suscipere*, uti Matth. X, 38. Hebr. VII, 5. Sed nimis artificiosa videtur esse haec interpretatio.

33. Ὁ λαβὼν — ἀληθής ἐστιν) *Qui autem doctrinam eius assensu suo comprobat, ille confirmat Deum esse veracem.* Deo credit, qui Christo credit. Christo habere fidem idem est, atque ipsi Deo habere fidem. Io. XIV, 1. Σφραγίζειν est primo *obsignare, nota insignire.* et quia id, quod hac insignitur, est certum et exploratum, hinc tropice est *confirmare.* Quare *Chrysostomus* interpretatur: ἔδειξεν, *ostendit, confirmat, profitetur.* Sic etiam ἐπισφραγίζεσθαι, *confirmare*, haud raro est apud *Philonem*, e. g. de Ios. p. 556. E. missus a Iosepho domesticorum

quidam ad persequendos in itinere fratres, ἄσθματος πλήρης, ἐπεσφραγίσασθε, εἶπε, καὶ τὰς πρωτέρας καθ' αὐτῶν αἰτίας, *anhelus cursu*, *confirmatis*, *inquit*, *priora crimina*. *Confirmat* autem et gratus profitetur is, qui doctrinam Christi approbat, ὅτι θεὸς ἀληθής ἐστιν, *Deum esse veracem*, stetisse promissis de Messia mittendo, atque eo ipso debitum honorem exhibet Deo.

34. Ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεὸς) Subaud. *ille*, Iesus, Messias, quem Deus misit, diu antea promissum. τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ λαλεῖ) *Nihil nisi divina loquitur*, doctrina eius tota divina est. Ratio redditur, cur is, qui doctrinam Christi comprobat, censendus sit etiam honorare quasi veracitatem Dei. Nempe doctrina Christi non est alia nisi Dei doctrina. οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν (sc. αὐτῷ) ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα) *Non enim huic parce admetitus est Deus dotes et virtutes.* Οὐκ ἐκ μέτρου (οὐκ μετρίως), *non ad demensum*, *non parce*, *modice*, i. e. largissime, in immensum. Τὸ πνεῦμα h. l significat omnes dotes et facultates Christo proprias, non tantum doctrinae perfectissimam scientiam. Δίδωσι pro aoristo vel imperfecto positum est. *Vajikra* R. XV. Rabbi Achan dixit: *etiam spiritus sanctus non habitavit super prophetas, nisi mensura quadam: quidam enim librum unum, quidam duos vaticiniorum ediderunt* etc.

35. Ὁ πατὴρ — χειρὶ αὐτοῦ) *Pater ita amat filium, ut omnia eius potestati tradiderit.* Ἐν pro εἰς, ut saepe. In *manum tradere* est simpliciter tradere, vel potestati alicuius aliquid permittere; nam χείρ, ut יָד Hebraeis est potestas. Per quem Deus

omnia

omnia creavit, I, 3., ei etiam τὴν κρίσιν περὶ πάντων dedit potestatemque concessit, in mundum iudicium agendi. Minus recte alii sermonem esse putant de sola doctrina Christi eiusque tradendae facultate.

36. Ὁ πιστεύων — ἐπ' αὐτὸν) *Qui filio* (Messiae) *fidem habet, consequetur felicitatem aeternam, qui autem filio non habet fidem, is non fruetur felicitate, sed ira Dei manebit super eo.* Πιστεύειν εἰς τὸν υἱὸν, *fidem habere filio*, eum pro Messia agnoscere, eumque sectari. Ἔχει, pro fut. ἕξει, nam sequitur ὄψεται. Ἀπειθεῖν multo graviori sensu dicitur, quam οὐ πιστεύειν. Etenim ἀπειθοῦσι ii sunt, qui lucem illam divinam non comprobant atque adeo ei resistunt eumque impugnant. Ὄψεσθαι, ut θεωρεῖν loan. VIII, 51. *experiri, usu cognoscere, frui*, idem quod ἔχειν ζωὴν αἰώνιον. Ὀργὴ θεοῦ, *ira divina*. Dicitur autem Deum irasci, cum iudicium agit in homines. At vero ut homines a iudicio divino liberarentur, hunc in finem misit Deus filium suum. Vid. dicta ad v. 17. 18. Nostrum igitur est, omnibus animi viribus in hoc intendere, ut Christi beneficiis renati Dei consequamur gratiam atque benignitatem. Namque super iis, qui *tenebras diligant* (v. 19.) et luci divinae resistant, μένει ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ, in eos ex iustitia sua aget Deus, ut iis poenae peccatorum sint daturae. Fides in Christum aufert peccatum; infidelitas relinquit peccatum: *manet* autem quod non tollitur. Natura quidem sumus omnes *filii irae*, nec nisi fide in Christum ab ea ira liberamur (Actor. IV, 12.); itaque qui increduli sunt, de iis dici potest, *iram Dei in eos manere*, quatenus ab ea non liberantur.

CAP. IV.

1. Ὡς οὖν — ἢ Ἰωάννης) *Quum igitur Dominus cognovisset, Pharisaeis innotuisse, quod Iesus plures discipulos colligeret et initiaret quam Ioannes.* Ὁ κύριος h. l. significat *magistrum*, doctorem, ut Io. XIII, 13. consuetudine Iudaeorum, qui et ipsi doctores suos sic appellare solebant. Οἱ Φαρισαῖοι h. l. videntur esse assessores Synedrii, e secta Pharisaeorum, quorum quidam Ioanni favebant, quia antiquam disciplinam minus repudiabat, fortassis etiam, quia ex sacerdotali familia natus erat. Cognoverunt, Iesum colligere plures discipulos; quod haud dubie aegre ferebant, et doctrinae illius impediendae operam dabant. Ἰησοῦς pleonastice, vel pro αὐτὸς positum est, ut saepe apud Hebraeos; potest etiam ὅτι exordium esse eorum, quae fama spargerentur. Ποιεῖν μαθητάς, *facere*, i. e. *comparare, colligere sibi discipulos.*

2. Καίτοιγε — οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ) *Quanquam Iesus non ipse, sed discipuli eius baptisma administrabant.* Cur Iesus ipse non baptizaverit, certo definiri non potest. Fortassis noluit administrare hunc ritum ipse, ne dissidia excitarentur ab iis, qui magistri baptisma discipulorum baptismati praeferrent, sive quod munus docendi gravius esset, quam baptizandi. Non videntur discipuli omnes ad Iesum accedentes sacro baptismatis ritu initiasse, nec servasse hunc morem perpetuo.

3. Ἀφῆκε — Γαλιλαίαν) *Relicta Iudaea, rediit in Galilaeam;* ne ipse aut discipuli iam comprehenderentur. (c. VIII, 1.) *Synedrii* enim auctoritas Hierosolymis multum valebat. Iesus igitur se subduxit, et secessit

secessit brevissimo itinere Samariam peragrans in Galilaeam, ubi minor religionis publicae cura fuit. Subduxit se autem periculo non metu mortis, sed quia sciebat, nondum adesse tempus moriendi, munere docendi adhuc per aliquot tempus esse fungendum. Miraculosis sui servandi modis uti noluit, quia non sui sed aliorum hominum causa a Patre acceperat facultatem patrandi miracula. Illo tempore vero Ioannes iam in vincla coniectus esse videtur.

4. Ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας) *Iosephus* Ant. XX, 6, 1. refert, morem fuisse Galilaeis, in diebus festis Hierosolyma euntibus, per regionem Samariae iter facere. Et in Vita §. 52. *Omnino necesse erat*, (πάντως ἔδει) volentibus celeriter Hierosolyma proficisci, per eam (Samariam) transire; sic enim tribus diebus e Galilaea Hierosolyma pervenitur. Cf. not. ad Luc. XVII, 11.

5. Εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας) i. e. *prope* urbem aliquam Samaritanam, aut in suburbia. Cf. infra com. 8. 28. 30. λεγομένην Συχὰρ) Plures codices habent Συχὰρ. Variis nominibus ista urbs appellata fuit. In V. T. est *Sichem*, in portione tribus Ephraim, Ios. XX, 7. Sita fuit haec urbs inter montes *Garizim* et *Ebal*, in planitie multis fontibus irrigua, Iud. IX, 7. Postea vocata est Salem, More, Mabortha, et Neapolis. *Ioseph.* de B. I. IV, 8, 1. Hinc Samaritani, qui More incolebant, per contemtum vocabantur ὁ λαὸς ὁ μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις. Porro quum Habac. II, 18. idolum vocetur שֶׁקֶר מוֹרֶה, Iudaei occasionem inde arripuerunt inflectendi vocem Sichem in *Sychar* (nam שֶׁקֶר *mendacium* et *idolum* significat), vel ex

Ies.

Ies. XXVIII, 1. 7. ubi Ephraimitae, quorum metropolis tunc Samaria erat, cum temulentis, שִׁכֹּרֵי אֶפְרַיִם comparantur. Hoc nomine, tum usitato utitur Ioannes. Testatur etiam *Iosephus* Ant. XI, 8, 6. hanc urbem, (quae ibi vocatur *Sicima*,) fuisse aliquando μητρόπολιν Samariae, et incolas illius seriem generis sui duxisse a Iosepho, Iacobi filio. De odio Iudaeorum in Samaritanos res est nota. Reliquiae gentis Samaritanae in Palaestina et Aegypto hodie supersunt. Memorabiles sunt litterae Samaritanorum ad *Iosephum Scaligerum*, et Sichemitarum ad *Iobum Ludolfum*. Vid. Repert. Litterat. bibl. et orient. Tom. XIII. 257. sqq. Cf. etiam *Wineri bibl. Realwörterbuch* sub voc. *Sichem*. πλησίον τοῦ χωρίου — τῷ υἱῷ αὐτοῦ) *iuxta praedium, quod dedit Iacobus Iosepho, filio suo.* Respicitur locus Genes. XLVIII, 22. ubi Iacobus moribundus ita loquens inducitur: *Ego tibi dedi partem terrae prae fratribus tuis, quam cepi e manu Amoraeorum gladio meo et arcu meo.* Non intelligit tantum agrum, quem prope Sichem emerat (Gen. XXXIII, 18.), nam *emere* non est armis acquirere; sed totum agrum Sichemitarum, quem ob stupratam Dinam sibi Simeon et Levi armis suis acquisiverunt. Dicit autem Iacobus, *se* illum agrum armis acquisivisse, quum pater et posteri quasi homo unus habeantur. Vid. E. F. C. *Rosenmülleri Scholia* ad h. l., ubi docemur, Hebr. voc. שְׁכֶם esse nomen appellativum, non autem Nom. propr. urbis cuiusdam Σίκιμα ut LXX. reddiderunt. Nec hoc Ioannis loco de urbe *Sichem* sermo est, nam ab urbe diserte distinguitur χωρίον Iosepho datum.

6. Πηγὴ τοῦ Ἰακώβ) Puteus est situs ad austrum ab urbe, ut notant locorum periti. A Iacobo effossum hunc puteum, ex sacris scriptis non constabat, sed vetere fama, ut alia multa. Hodie peregrinantibus adhuc ostenditur, ut referunt itinerariorum scriptores, *Maundrell*, *Thompson* et alii. Cf. *Paulus Sammlung merkwürd. Reisen in d. Orient* T. I. p. 273. ὁ οὖν — τῇ πηγῇ) *Iesus igitur fatigatus ex itinere consedit ad eum fontem.* Κοπιᾷν significatu neutrali est *fatigari*, *fatigatum esse.* Particula οὕτως h. l. est plane *otiosa* et *illativa.* Nostri dicunt: *So setzte er sich nieder.* Ita saepe *Iosephus*, e. g. Ant. V, 1, 26. et ib. VIII, 11, 1. ἐπεὶ σὲ μέγαν ἐκ μικροῦ καὶ μηδὲν ὄντος ἐποίησα — οὕτως σὲ πάλιν καθαιρήσω, *quia te magnum e parvo et de nihilo feci — te e medio tollam.* Ἐπὶ τῇ πηγῇ, *ad, iuxta puteum.* ὥρα ἦν ὡσεὶ ἕκτη) Causa affertur, cur a cibos ex urbe afferendos discipulos amandaverit Iesus; (v. 8.) nam ordinaria prandii hora apud Iudaeos erat hora sexta.

7. Γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας) *Mulier Samaritana*, Σαμαρεῖτις, ut mox loquitur *Ioannes*, v. 9. Samaritanorum religioni addicta; nam Samaria h. l. non est nomen urbis sed provinciae. Veniebat e proxima urbe Sichem, quae ab urbe Samaria duo distabat milliaria. ἀντλῆσαι ὕδωρ) Cum hydria scilicet, ut moris erat; infra comm. 28.

8. Οἱ γὰρ μαθηταὶ — ἀγοράσωσι) His verbis Ioannes monere voluit lectores, Iesum absentibus discipulis, solum cum muliere locutum esse.

9. Ἰουδαῖος ὤν) Ex vestitu haud dubie id colligi poterat. οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις) *Non amice utuntur*, i. e. non est consuetudo victus, esus et potus Iudaeis cum Samaritis. *Emere* quidem necessaria licebat, non autem beneficium a Samarita ullum accipere. *Hieros. Avodah Zara*, fol. 44. 4. Tam atrox erat Iudaeorum in Samaritanos odium, ut eos ne salutare quidem permitterent, atque adeo nomen Samaritani instar convicii esset. *Sanhedrin* fol. 104. 1. *Si quis Cuthaeum in domum suam recipit, eique ministrat, ille causa est, ut filii ipsius in exsilium abire cogantur. Tanchuma* fol. 43. 1. *Dicunt, qui edit frustum Samaritani, est ut edens carnem porci.* Huius odii plures erant causae; praecipua tamen ducta erat a cultu religioso Samaritanorum, quem instituerant in monte Garizim. Vid. etiam not. ad. Luc. IX, 53. Ceterum Samaritanorum alii erant oriundi e reliquiis Israelitarum in exsilium non abductis, alii e gentilibus, qui ex Assyriae regionibus, nominatim ex *Cutha* (unde etiam Iudaei Samaritanos *Cuthaeos* dicebant) in vacuas veterum incolarum sedes novi coloni venerant; alii denique Samaritanorum erant ex Iudaeis, qui ad illos defecerant.

10. Εἰ ἤδεις — ὕδωρ ζῶν) *Si divinum beneficium intelligeres, et quis sit, qui potum petit, tu eum rogasses, et aquam vivam ab eo accepisses.* Ἡ δωρεὰ τοῦ θεοῦ, *beneficium divinum. Si intelligeres*, quantum hoc sit beneficium — occasio nempe, quam tibi nunc Deus praestat quantumvis Samaritidi. τίς ἐστιν) *Quis — quantusque;* sc. Messiam esse, quem tu hic vides. Messiam videre et audire, maximum erat Dei beneficium.

ὕδωρ

ὕδωρ ζῶν) *Aquam vivam*, מַיִם חַיִּים Gen. XXVI, 19., i. e. ex *fonte salientem, perennem*, *Quellwasser*. Opponitur ὕδωρ ζῶν (ζωοποιοῦν) non tantum aquae in puteo, ex quo haurire volebat mulier, sed omnino aquae physicae. Nam in puteo quoque hoc Iacobi fuisse videtur aqua viva, e venis terrae ebulliens, ut ex responso mulieris v. 11. patescit. Ut accuratius oppositae sententiae appareant, haud improbabiliter sumitur, Iacobi puteum cisternam quidem fuisse, aqua pluviali repletam, verum etiam in profundo habuisse fontem e terra salientem. Nam ex longo tempore, utque videtur, perpetuo atque per totum annum, homines in illa regione habitantes puteo illo usi erant. Allegorice Iesus intelligit doctrinam suam, quae eorum, qui veritatem et virtutem sitiunt, appetitum satiare, quae animo vim suppeditare, eumque exhilarare atque beare possit. Sic enim solet Iesus a rebus corporeis venire ad *res morales*. *Targum* in Cantic. IV, 15. *Occupantur in verbis legis, quae comparantur puteo aquae viventis*. Unde patet, in usu fuisse eius generis *allegoriam*.

11. Κύριε — ζῶν) Mulier non intellexit sermonem Iesu. Videtur credidisse, esse eum virum magni nominis et honoris, a quo si gloriari possit, aquam ipsi (e puteo) haustam et impertitam fuisse, operae esse pretium. Itaque honorifice iam appellat: *Domine* πόθεν οὖν — ζῶν;) *Unde igitur depromere possis aquam salientem?* Ex hoc puteo, inquit mulier, non potest hauriri aqua viva, quia nunc nonnisi aqua pluviali est repletus. Qui autem in profundo putei latet fons vivus, ex eo quo haurire posses, haustrum tibi deest. Dicitur puteus ille esse 105 pedes altus.

12.

12. Μὴ σὺ — θρέμματα αὐτοῦ) *Num tu maior* (peritior) *es generis nostri auctore, qui nobis hunc puteum reliquit, ex quo ipse cum liberis et pecudibus bibit.* Iacobus putabatur esse conditor gentis Samaritanae, inprimis Iosephus pro patre gentis habebatur. Cf. *Joseph.* Antiqq. IV, 14. XI, 8. Μείζων, i. e. sapientior et peritior ad inveniendas meliores aquas circa hunc locum. Num tu, inquit, melius Iacobo, gentis nostrae auctore, loci huius naturam nosti? Nefas est hunc puteum contemnere aut alium quaerere. Ἔδωκεν, reliquit effossum, monstravit posteris, tanquam quo nullum in his locis esset melior. καὶ αὐτὸς — τὰ θρέμματα αὐτοῦ) Probat aquae et salubritatem et copiam. υἱοὶ αὐτῦ non tantum sunt filii seu liberi, sed omnino omnes eius domestici. θρέμματα αὐτοῦ, צֹאנוֹ, *pecudes eius*, vel ut alii volunt, *domestici eius*, servi et ancillae; nam θρέμμα a τρέφω, *alumnos* proprie notat. De *domesticis* autem usurpari hanc vocem, multis studuit probare *Kypkius* ad h. l. Sed recte *Kuinoelius* dixit: gregum commemoratio conveniens erat vitae generi Iacobi, agebat enim vitam pastoritiam; praeterea femina illa has aquas non solum a salubritate, sed etiam a copia commendare volebat, quia suffecerant ad numerosos greges Iacobi alendos.

13. Πᾶς ὁ πίνων — διψήσει πάλιν) *Quicunque hanc* (putei) *aquam bibit, rursus sitiet.* Non contemno patriarcham illum; sed illam aquam cur tandem tanti facis? Nam ea non sitim ita restinguit, ut nunquam sitias postea. Non disertis verbis profitetur, se esse Iacobo excellentiorem, sed dicit, se maius posse beneficium tribuere.

14.

14. Ὃς δ' ἂν — εἰς τὸν αἰῶνα) *Qui autem biberit ex ea aqua, quam ego ei dabo, is nunquam sitim posthac sentiet.* Aqua viva, quam Iesus promittit, est eius doctrina. Doctrinae iucundae, salubres, ideo comparantur cum aquis, quia in Orientis regionibus rariores sunt fontes vivi, eamque ob causam aquae vivae copia magni beneficii loco reputatur. Unde πίνειν ἐκ τοῦ ὕδατος τινὸς Rabbinis est, *esse discipulum alicuius docilem.* Sic *Targum* Ies. XII, 3. verba, *et haurietis aquas*, interpretatur: *et accipietis doctrinam cum gaudio.* Cf. Ies. LV, 1. Qui mea imbutus est doctrina, inquit Christus, is alios doctores haud desiderabit; fruetur eiusmodi bonis, quae animum reficiunt et beatum reddunt. Haec bona continentur notitia Dei salutari, animi tranquillitate, virtute integra, spe certa felicitatis aeternae etc. Hanc aquam *bibit*, qui doctrinam discit, ei convenienter vivit, et bona illa appetit, atque sibi acquirit. Is igitur, qui hoc facit, *nunquam posthac sitiet;* non indigebit alia institutione ad vitam tranquillam et beatam; possidebit potius eiusmodi bona, e quibus nascetur felicitas verissima et perfectissima, et in hac et in futura vita. ἀλλὰ — εἰς ζωὴν αἰώνιον) *Sed aqua, quam dabo, fiet in eo fons scaturiens ad vitam aeternam*; fiet ei fons verae et aeternae felicitatis. Πηγὴ ὕδατος involvit notionem salubritatis, et vero etiam copiae, multitudinis. Continuatur Allegoria. Sicuti qui fontem intus habeat, nunquam sitiret; ita qui hanc aquam (doctrinam meam) habuerit, fruetur bonis copiosissimis, perpetuis et aeternis, quibus efficitur felicitas copiosissima et aeterna. Ergo hic *aqua* est id quod creditur ad salutem, quod semel haustum amplius hauriendum non est, sed retinendum tantum.

Nihil

Nihil est quod ei adici possit; aliter quam in humanae sapientiae praeceptis, quorum nunquam finis est: ideo quo magis ea bibitur, eo magis crescit sitis. Emphasis est in voce *saliet:* solent enim aquae salire ad altitudinem usque originis suae. Ceterum similes loci sunt cap. VI, 35. VII, 38.

15. Ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ ἔρχωμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν) *Ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Inopiam suam tacite ostendit, quae cogat subire laborem, quo levari mallet. Falluntur, qui putent, feminam per ludibrium Christo ita respondisse.

16. Φώνησον τὸν ἄνδρα σου) *Arcesse maritum tuum.* Ἀνήρ, maritus legitimus. Cur Iesus eius maritum adesse voluerit, dubitant interpretes. Videtur tamen mulierem alia ratione a corporeis ad altiora erigere et demonstrare voluisse, se legatum esse divinum, quia femina priorem sermonem non intellexerat.

17. Οὐκ ἔχω ἄνδρα) *Non habeo virum.* ἔχειν de coniugali consuetudine adhibetur. Mulier illa eo confidentius dixit, se maritum non habere, quo minus in mentem ei veniebat, suspicari, peregrinum *ex Iudaeis*, quocum versaretur, novisse domesticas res mulieris Samaritanae.

18. Οὐκ ἔστι σου ἀνήρ) *Non est maritus tuus.* Videtur haec femina olim quinque habuisse maritos, legitimo thoro sibi iunctos; quibus defunctis vel a quibus facto divortio dimissa, consuetudinem inhonestam inierat cum sexto aliquo. Οὐκ ἔστι σου ἀνήρ) scil. secundum legem. Etenim si mulier illa legitime desponsata, sed nondum a sponso in domum deducta fuis-

fuisset (ut nonnulli putant): Iesus non dicere potuisset ὃν ἔχεις, i. e. quocum coniuncta vivis, quo ut marito uteris. Nullo modo, si contextum perpenderis, fieri potest, ut femina Samaritana omni culpa levitatis vitaeque inordinate actae exsolvatur. Nec si honesta ratione viro aut nupta aut desponsata fuerit, mulier loquax id reticuisset; sic vero omnino, fortassis erubescens, se ullo modo cum viro iunctam esse abnegavit.

19. Θεωρῶ ὅτι προφήτης εἶ σὺ) *Intelligo te vatem esse*, virum divinum cui Deus abscondita revelavit. Quia scilicet mihi in memoriam revocas vitam meam, cui tamen nec tu, nec alius Iudaeorum interfuit. Prophetarum est, abdita revelare. Ergo mulier quaestionem ei proponit, velut inexplicabilem de loco modoque adorandi Deum, atque ab eo edoceri cupit. Bis vero ostendit haec mulier, Dei contemtricem se non esse, et cum crimina agnoscat, et cum non de rebus levibus, sed de his, quae ad Deum eiusque cultum pertinerent, eum consulat.

20. Οἱ πατέρες — προσεκύνησαν) *Maiores nostri in hoc monte sacra publica fecerunt.* Προσκυνεῖν h. l. est *sacra publica facere.* Nam Deum adorare precibus licebat ubique et Iudaeis et Samaritanis, nec disceptabant de interno cultu; sed dissensus inter utramque gentem erat de loco, ubi sacra publica rite essent facienda. Hoc sensu verbum προσκυνεῖν Alexandrini usurparunt 2 Reg. XVII, 36. coll. 35. XVIII, 22. Quum mulier dicit: ἐν τούτῳ τῷ ὄρει, digitis monstrat montem *Garizim*, prope Sichem, ubi templum Sanbelletes struxerat *Alexandri M.* temporibus; et quanquam id templum diruerat Hyrcanus, sacra tamen ibidem

ibidem eodem more fieri non desierant. Cf. *Iosephi* Ant. XIII, c. 2. et 3. In codicibus Hebraicis Deut. XXVII, 4. (vid. Scholia ad h. l.) legitur: erigetis lapides istos, quos ego praecipio vobis hodie, in monte *Ebal;* Samaritani habent pro Ebal, *Garizim.* Mulier defendit cultum Samaritanorum auctoritate maiorum. Per maiores intellexisse videtur Samaritana Abrahamum, Isaacum et Iacobum. Hos enim Samaritani maiores suos iactaverunt. In vicinia illius montis Abrahamus aram exstruxit, Gen. XII, 6. 7. et ibidem Iacobus oblato sacrificio Deum adoravit, XXXIII, 20. Alii innui putant maiores Samaritanorum, qui in illo monte temporibus Manassis cultum religiosum constituerint. καὶ ὑμεῖς — προσκυνεῖν) Iterum intellige adorare oblatis victimis, aliisque ritibus publicis, quod uno tantum in loco, in eo nempe quem suo tempore designaturus esset ipse, fieri Deus voluerat. Deut. XII, 14. 26. Cf. 1 Sam. VII. 1 Reg. IX, 3.

21. Πίστευσόν μοι) Quando me pro Propheta habes; in quo non falleris. ἔρχεται ὥρα — προσκυνήσετε) *Tempus veniet, quo neque in hoc loco, neque Hierosolymis sacra facietis Patri* Ἔρχεται) Praesens pro proxime futuro. Instat iam iam insignis sacrorum minus ingenuorum commutatio, sublata legis illius auctoritate, quae necessitatem atque officium cultus certo loco adstringendi introduxerat. Mox intelligent homines, nec monte Garizim nec templo Hierosolymitano opus esse ad colendum verum Deum, omnium Patrem. Non posthac sub temporis et loci observatione cultus exhibebitur Deo. τῷ πατρί) Tacite novi foederis suavitatem innuit, quum Deum *patrem* vocat. Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6.

22.

22. Ὑμεῖς — Ἰουδαίων ἐστί) Est modus loquendi plane singularis, cuius vix extant exempla. Plerique interpretantur: *Vos*, Samaritani, *colitis*, *quem haud novistis; nos autem*, Iudaei, *quem novimus; nam e Iudaeis Messias vel soter prodibit.* *Grotius:* Credibile mihi videtur, sicut *vidisse Deum* Filius dicitur, quod arcana eius noverit, ita *novisse Deum* dici Iudaeos, quia voluntatem eius, ubi et quomodo coli vellet, non ex Lege tantum cognoverant, sed et ex Prophetis, quos Samaritae reiiciebant. Prophetarum autem monitu templum Hierosolymis struere proposuerat Davides, struxit Salomo. *Henkius* (in commentatione: *Ioannes Ap. apophth. Iesu interpres* p. 15. b.) mavult illud ὑμεῖς ad *Samaritanos et Iudaeos* simul, ad utramque dissentientium a se invicem gentium vel sectarum partem, ἡμεῖς ad ipsum dicentem, Iesum ad discipulos referre, (cf. Io. III, 11.) sive ad illos omnes, quos paullo post ἀληθινοὺς προσκυνητὰς vocat: *Utrimque vos erratis; neutri adhuc, quamdiu talia quidem disputatis, recte cognostis Deum; meae haec provinciae res est, iustam stabilire Dei notitiam, et multi iam sunt praeter me, qui eam teneant:* ὅτι ἡ σωτηρία ἐξ Ἰουδαίων, *nam e Iudaeis omnino proditura erat salus, vel salutifera rerum conversio.* Sed, ut recte monuit *Kuinoelius*, femina Samaritana, ad cuius interrogationem Iesus respondet, voce ὑμεῖς Iesum reliquosque Iudaeos innuerat v. 20., ut adeo propter orationis seriem admitti non possit haec interpretatio, neque Christi discipuli aderant. Satis ergo obscure Christus locutus esset, si voce ἡμεῖς se et discipulos intelligi voluisset. Itaque Iesus voce ἡμεῖς se ipsum populumque suum, et voce ὑμεῖς mulierem eius-

eiusque gentem significat. Verba ὃ οὐκ οἴδατε sunt qui intelligant de idololatria, cui Samaritae addicti fuerint. Parum recte. Etenim inde a Manassis tempore ad normam legis Mosaicae Deo sacra faciebant. Criminationes Iudaeorum, Samaritas in monte Garizim idola coluisse, fabulae sunt, quae ex odio acerrimo exoriebantur. Pro ὃ οὐκ οἴδατε nonnulli suspicantur legendum esse ᾧ οὐκ, alii οὗ, alii subaudiunt κατὰ (καθ' ὅ); sed statim comm. 24. προσκυνεῖν cum Accusat. sine Praepos. legitur. In verbis igitur: ὃ οὐκ οἴδατε et ἡμεῖς προσκ. ὃ οἴδαμεν ipsum adorationis obiectum Christus spectavit scil. Deum. Quoniam vero Samaritae non habuerunt integram divini cultus rationem, Deique per Prophetas cognitionem, igitur etiam Messiae et salutis hominibus afferendae notio apud eos obscura erat. Quare Iesus adiecit: ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. Nos a nostris Prophetis certiores redditi scimus, e populo Iudaeorum salutem proventuram esse. Nam inter illos post structum templum perpetua mansit sacerdotum et Prophetarum successio, quibus Deus ad voluntatem suam revelandam usus est. Et Iudaei, inquit, habent vaticinia, ex ipsis Deum decrevisse σωτηρίαν afferre hominibus, i. e. meliorem cognitionem, qualis et qua ratione Deus sit adorandus, nimirum cultu mere spirituali.

23. Ἀλλ' ἔρχεται — ἀληθείᾳ) *Verum tempus erit, et iam nunc adest, quo veri cultores patrem in spiritu et veritate sint adoraturi.* Νῦν significat tempus de proximo imminens, quasi dicat: *erit, imo iamiam erit.* Ἀλλὰ refer ad id, quod praecessit, de adoratione neutri templo adstringenda. Ostendit Christus, lites de loco, ubi Deus publice colendus esset,

nullius

nullius esse momenti. Non *locum* tantum, sed et colendi *modum* mutandum esse οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ) *perfectiores, digniores* adoratores. Sic ἀληθεια haud raro etiam in *Clementis Al.* et *Origenis* scriptis, ex usu Platonicorum. Ἀληθινὸς in N. T plerumque is dicitur, qui talis est, qualis esse debet. Intelliguntur igitur cultores Dei, qui non faciunt sacra vel in templo Hierosolymitano, vel in monte Garizim, sed qui Deum colunt modo perfectiori. Προσκυνεῖν autem nunc non amplius de publico cultu dicitur, sed de eo, qui proprie est cultus. ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ) *in spiritu et veritate.* Πνεῦμα vulgo vertunt: *animus, mens,* et ἐν πνεύματι interpretantur: πνευματικῶς, atque sic demum ἀληθῶς. At vero voc. πνεῦμα in Ioannis scriptis non simpliciter est *animus*, sed *animus divina luce collustratus*, ut significetur *vita spiritualis* eaque sublimior, qualis hominibus solet inesse iis, qui cum Deo per Christum intime coniuncti firmiter sibi persuaserunt, pios animi sensus et verae virtutis studium praecipue placere Deo. Ἀλήθεια absolute opponitur erroribus et quibuscunque falsis de Deo opinionibus. Vid. dicta ad cap. III, 21. τοιοῦτους ζητεῖ) *Tales summe amat et desiderat;* ἀσπάζεται, ut dixit *Philo.* Hanc ob causam, ut eiusmodi veros Dei adoratores faceret hominum quam multos, venit coelitus ὁ Λόγος in hunc mundum, et veritatis lucem nobis tradidit, I, 9.

24. Πνεῦμα ὁ θεὸς) Inversa propositio, pro: ὁ θεός ἐστι πνεῦμα, *Spiritus*, ab omni compositione, materia ac corpore, vel subtilissimo, liber; vel potius: *Deus est mens perfectissima, potentissima, omniscia, sapientissima, optima.* Notio enim simplicitatis

metaphysica, quamvis in se vera, ignota erat illius temporis hominibus, nec cadit in homines indoctos et intelligentiam vulgi. Locum tamen habet in scriptoribus sacris notio popularis, (Luc. XXIV, 37—39.) et notio τοῦ ἀοράτου, τοῦ ἀσωμάτου. *Spiritum* et *spirituale*, si in sacris literis de Deo legatur, non subtiliter dici, sed *variis modis naturam perfectionemque divinam* exprimere, multis docet *Morus*, in dissert. *de Deo, spiritu, ad popularem intelligentiam accommodate describendo.* Vid eius dissertatt. theol. et philolog. p. 328. sqq. Καὶ τοὺς — δεῖ προσκυνεῖν) *Vult igitur a suis in spiritu et veritate coli.* Duplici sensu vocabulum πνεῦμα sumitur hoc commate. Deus est πνεῦμα, i. e. ἀσώματος. Eum colere debemus ἐν πνεύματι, i. e. ἐν τῷ νῷ, *mente* τῷ ἐν ἡμῖν ἀσωμάτῳ, non ablutione et ornatu corporis, non sacrificiis et externis ritibus, ut Iudaei et Samaritani solebant. Hic enim erat imperfectus, non verus et perfectior cultus. Cf. Ps. L, 8—10. Rom. XII, 1. Εν πνεύματι autem colimus Deum, Πνεῦμα, naturam intelligentem, dum facta illa immutatione, ex qua vita spiritualis nascitur (vid. comm. anteced.), menti nostrae insunt rectae sententiae de Deo, creante, conservante aliudque beneficium per religionem libere tribuente, idemque recta iudicia de nobis ipsis, qui simus, cur simus, quid agendum, quo tendendum sit; dum porro his sententiis et iudiciis congruos sensus erga Deum, nos et alios sumimus, hisque convenienter agimus. Has tales sententias ubique colligere, ac inde ortos sensus ubique exprimere possumus, nec necesse est per Dei hominisque naturam, ut eos per adspectabilia signa expromamus. Deus enim est omniscius, ideoque ei

omnium

omnium hominum recti sensus, recta facta, et horum cum illis nexus patent. Sic ostendit Iesus, non esse, quod mulier se de veteri illa controversia torqueat, quum brevi cessaturum sit omnino id privilegium, de quo certabatur. Iesus universam consecravit terram, ut sit Dei templum. Christus ipse docuit doctrinae suae dociles omnes verissimam Patris adorationem, et ex animi morte nos revocavit ad vitam spiritualem, ut ad exemplum suum immutati ac secum coniuncti Deo Patri reconciliemur. Vid. infra XIV, 20. „*Sed o mortales*, inquit *Semlerus*, *ubi tandem fuerunt tot per secula tam digni, tam perfecti adoratores! Quam multi et ossa imaginesque sanctorum, et consecratam hostiam invocare atque adorare didicerunt.*“ Cf. etiam *Lückium* ad h. l. p. 653. sqq.

25. Οἶδα, ὅτι Μεσσίας ἔρχεται) His mulieris verbis colligitur, et Samaritanos illo ipso tempore exspectasse Messiam, cum haec speret, se ab eo docendam haec omnia. Quum vero Samaritae libros tantum Mosis habuerint pro sacris, videtur praecipue respiciendus esse locus Deut. XVIII, 15. verum etiam admittenda *traditio*. Locum Gen. XLIX, 10. hodierni Samaritani non explicant de Messia, ut patet ex eorum Commentariis, qui in Bibliothecis latent. De Messiae exspectatione inter Samaritanos cf. *Gesenii* Commentat. *de Samar. theologia* p. 45. adde Eiusdem *Carmina Samaritana e Codicibus Londin. et Gothanis*, Lips. 1824. p. 75. nota 33. et *Eichhornii Repert. für bibl. u. morgenl. Litter.* T. IX. p. 27. XIII. p. 265. ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα) *Omnia nos docebit. Maimonides* tr. de Regibus: *Tunc* (quum Messias venerit) *res occultae et profundae apertae erunt omnibus.*

Ad hunc Messiam, inquit mulier, disceptationem nostram deferemus. Videntur igitur Samaritani eo tempore multo rectius de Messia statuisse, quam Iudaei ipsi; exspectabant enim ab eo bona spiritualia, cuiusmodi erat uberior rerum divinarum scientia.

26. Ἐγώ εἰμι) scil. ἐκεῖνος, ὁ Χριστὸς, ut infra XVIII, 5. Bene *Bengelius* observat: Nusquam directius ipsis discipulis de se dixit. Animadvertebat enim Samaritarum veritatis cognoscendae studium, et quod minus ad seditiones proclives essent quam Iudaei. Magnum vero praemium simplicitati mulieris redditur, quod ei primum Iesus dignitatem suam cognitam facit.

27. Ἐπὶ τούτῳ) sc. τῷ πράγματι, ῥήματι. *Dum loquitur Iesus*, ut Syrus interpretatur. ἐθαύμασαν (optimi Codd. habent ἐθαύμαζον), ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει) Solent Rabbini praecipere, non fas esse doctori cum muliere solum loqui, e. g. *Ioma* f. 240. 2. *Ne colloquatur quis cum femina in platea, imo nec cum propria uxore.* Plura loca *Wetstenius* laudat. Fortassis autem discipuli mirati sunt, quod Christus loqueretur cum femina paupercula, vel, ut visum est aliis, cum Samaritide, quod tum nefas duxissent discipuli ex sententia Iudaeorum. Accedit, quod discipuli non poterant coniicere sermonis materiam. Nam Iesus nihil nisi coelestia solitus est loqui, quorum discendorum avidam esse Samaritidem credere non poterant. οὐδεὶς μέντοι εἶπε) Reverentia vetabat esse curiosos. τί ζητεῖς;) *Quid ab ea poscis? Quid*, vel *cur loqueris cum illa?* Alii censuere verb. ζητεῖν signif. *disceptare.*

28. Ἀφῆκεν οὖν τὴν ὑδρίαν) Ostenditur animus accensus rerum divinarum studio ita, ut id ipsum oblivisceretur, ob quod venerat. λέγει τοῖς ἀνθρώποις, scil. τοῖς ἐκεῖ, incolis, hominibus, qui ei obviam erant; ut in vita communi loqui solemus.

29. Πάντα ὅσα ἐποίησα) Vitae meae seriem, quam scire humanitus non potuit. De praecipua parte haec intelligenda esse, in promtu est. Mulieri ipsi persuasum fuisse videtur, Iesum esse Messiam, sed prudenter addubitandi modo dicebat: μήτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός; ne in re tanta imperita mulier iudicare videretur, sed ut omne iudicium iis relinqueret, quos ad iudicandum invitaret.

30. Ἤρχοντο) sc. paulo post, aliquo tempore interiecto. Nondum enim venerant, quum Iesus cum discipulis loqueretur. Vid. v. 35. 40.

31. Ἐν τῷ μεταξύ, sc. χρόνῳ, *interea* Ἠρώτων — φάγε) *Rogarunt discipuli magistrum, ut cibis vesceretur*, non dubitantes, quin ex multo itinere famem contraxisset. Ἐρωτᾶν pro *rogare* passim occurrit, ut c. IV, 40, 47. XVI, 19. Luc. IV, 38.

32. Ἐγὼ — οὐκ οἴδατε) *Sunt mihi alimenta vobis ignota, quibus nunc fruor* ἔχω φαγεῖν, *edendum habeo*, ut ἔχοντα λαλῆσαι, *qui habebat, quid dicendum*, Act. XXIII, 18. *Animi cibo vescor;* magna voluptate fruor ex eo negotio, quod vos ignoratis, et nihil curatis, ἣν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε. Sic Cic. Tusc. V, 23. *Mens* (Archimedis) *rationibus agitandis exquirendisque alebatur, cum oblectatione sollertiae — qui unus suavissimus pastus animorum. Plaut.* Cistellar. IV, 2, 54. *Istuc mihi cibus est, quod fabulare.*

Iesus

Iesus vero, improprie illa dicta esse v. 34. manifeste declarat. Pro more suo usurpat vocabula, quae res corporeas designant, eaque transfert ad rem spiritualem. Vult sibi hoc: mihi nunc aliud propositum est, quod ad mentem et animum pertinet, idque non minus necesse et iucundum est, quam ciborum usus esse solet corpori, de quo tamen vobis non constat.

33. Μήτις) An quis ex urbe, nobis insciis? Hoc ideo dicunt, quia mirantur differri prandium. Igitur de quo cibo Iesus loquebatur discipuli parum intellexerunt. Quare Dominus, quae intelligi vellet, claris verbis comm. sequ. explicat.

34. Ἐμὸν — τοῦ πέμψαντός με) *Meus cibus est, quod exsequor voluntatem eius qui me misit.* Quae phrasis indicat primum necessitatem faciendi ea, quae pater velit, et deinde suavitatem ex eo percipiendam, omnisque argumentationis ratio haec est: Sicuti homini necessarius est cibus, sic necesse mihi est, facere, quae sint officii a Deo mihi iniuncti; et sicuti homines appetunt cibum, ita ut eo delectentur, ita ego cibi potusque captus oblivione iis tantum delector, quae voluntati divinae sint consentanea. καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον) *Ut negotium ab eo mihi demandatum perficiam.* Quidam *Futurum* interpretantur, sed videtur simplicior constructio per ἵνα, ut τελειώσω sit Coniunct. Aoristi. Ἔργον θεοῦ vocat Christus negotium sibi a Deo demandatum. Cogitandum autem est de toto Christi ad hominum salutem opere perficiendo. Nam iusto angustiori sensu verba capiunt, qui hoc loco, ubi Christus sermone prophetico de munere suo loquitur, nihil nisi Samaritanorum institutionem spectari putent; neque

probar

probari potest, Iesum his verbis significare voluisse, per mulierem istam plures Samaritanos permotum iri, ut adirent ipsum.

35. Οὐχ ὑμεῖς — ἔρχεται;) Quae sequntur, ea cohaerent cum proxime antecedentibus. Dixerat nempe Iesus, nihil sibi iucundius esse negotio a Patre sibi demandato. Nunc exemplo suo discipulos ad simile studium excitat, iisque mentem eandem in obeundo munere ipsis demandando instillare cupit. Quare sic exorditur: *Vos dicitis post quatuor menses instare messem.* Possunt haec verba ita accipi, ut tum, quum Iesus haec diceret, quatuor menses fuerint ad messem. τετράμηνον, scil. διάστημα. Possunt etiam posita esse pro: λέγουσι, *vulgo dicunt*, ut sensus sit: *Vulgo dicitur, inter sementem et messem esse intervallum mensium quatuor.* Sed tota narratio ipsa demonstrat, res plane ita, ut gerebantur, referri. Perquam probabile est, Iesum, qui a rebus obviis imagines desumere soleret, eminus conspexisse hominem, qui sementem faceret, atque ea, quae h. l. leguntur, dixisse mense Decembri, cum hordeorum facerent sementem. Sicut a cibo corporis ad cibum animi, ita a messe temporali ad spiritualem transit. A fine sementis autem ad initium messis numerabantur menses quatuor. Cf. *Pauli* Commentar. ad h. l. Quidquid sit, hoc certum est, Christum haec ideo dixisse, quia suum et discipulorum laborem cum semente, praemia autem laborum cum messe comparare voluit. Sicut agricola laborum molestias lenire solet spe praemiorum proxime futurorum, ita, inquit Iesus, nos etiam spe praemiorum alacres in gerendis rebus nostris esse oportet. ἰδοὺ — θερισμὸν ἤδη) *Ego vero vobis dico: adspicite agros, ut iam*

ad

ad messem flavescant. Quae hic dicuntur de *agris ad messem flavescentibus*, non posse accipi proprie, in promtu est; nam antea dictum erat, post quatuor menses instare messem. Ergo *agri* vel potius *segetes agrorum* erunt homines tum temporis viventes, *messis* autem, conversio hominum ad religionem. Videbat nempe Iesus Samaritanos a muliere evocatos ex urbe magno numero adventantes, comm. 30. Hos digitis monstrans discipulis, dicit: Considerate quaeso hanc turbam adventantium ad nos. *Iam nunc* spes est largae messis. Multi horum olim doctrinam meam amplectentur etc. De hominibus igitur sermo est, quorum institutio et emendatio sit quasi sementis et messis doctorum *βασιλείας τοῦ Θεοῦ*. Sensis vero elatis Dominus discipulorum animos ad tenerrimum hunc muneris saluberrimi amorem est excitaturus; q. d.: Advertite quaeso mentem, intelligetis enim, ad cognoscendam doctrinam divinam paratos esse homines, quibus instituendis et ad fidem mihi habendam adducendis laborum fructus percipere possitis. Vocatio gentium innuitur, et *τὰς χώρας* dicit diversos populos, qui, ut segetes ad messem, parati essent ad fidem. Quod hic de agris dicitur, *ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμόν*, id Latinis est *albescere*, *flavescere*. *Ovid.* Fast. V, 357. *An quia maturis albescit messis aristis?* *Virgil.* Eccl. IV, 28. *Molli paullatim flavescet campus arista.* *Servius: albescet.* Similes sunt parabolae sementis et agri Matth. IX, 37. XIII, 3. etc. Vid. imprimis Marc. IV, 27.

36. *Ὁ θερίζων — αἰώνιον*) *Messor praemium accipit, dum colligit fructum ad felicitatem aeternam.* Καὶ ante *ὁ θερίζων* deest in nonnullis codicibus; omittitur etiam ab *Origene* et *Cyrillo*. Miscetur *ἀπόδοσις* com-

comparationi, ut Luc. IX, 62. et alibi saepe. Nam plena oratio esset: *Sicut messor mercedem accipit: ita et vos, Apostoli mei, hoc praemium reportabitis, ut* (per doctrinam meam) *homines perducatis ad felicitatem aeternam.* Quod in comparatione est συνάγειν καρπὸν, *colligere fruges*, id in apodosi est homines perducere ad religionem. ὁ θερίζων μισθὸν λαμβάνει, *qui metit mercedem accipit*, quatenus labor eius tantam habet vim, ut homines fidem Iesu Christo habeant. Verbis autem εἰς ζωὴν αἰώνιον apertius ostendit, nunc non agi de messe propria, sed de fructibus felicitatis aeternae comparandis. ἵνα — ὁ θερίζων) *Ita et sator et messor pariter gaudebunt.* Sator est Christus, qui semen doctrinae primus sparsit. Messores sunt Apostoli, qui perfecerunt quod Iesus multo labore inchoaverat. Cf. v. 38.

37. Ἐν γὰρ — ἀληθινός) *Nam et hic illud proverbium applicari potest.* Ἐν τούτῳ sc. πράγματι. Ὁ λόγος ἐστὶν ἀληθινὸς, *Dictum illud vetus locum habet.* Ita et Latini loquuntur. *Ter.* Eun. IV, 5, 6. *Verbum hercle hoc verum est* etc. ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων) *Alius serit, alius metit.* Proverbium, quod et apud Graecos obtinuisse notatum est. *Aristoph.* Equit. 391. τ' ἀλλότριον ἀμῶν θέρος, *alienam metens segetem.* Sensus: alius laborat, alius fructus percipit; saepius is, qui laboravit, fructum alii committit. Neque tamen Hebraei hoc proverbio semper in malam partem usi sunt; cf. Deuter. XXIV, 13. Comparatio etiam fieri potest inter Vetus et Novum Testamentum. Prophetae enim in V. T. quasi gravem hyemem passi euntes ac flentes miserunt promissionum laborumque suorum semina; Apostoli ceteri-

que

que Christi discipuli illorum quodammodo mercedem ac fructum congregant, utpote qui promissionum, quae ad illos factae sunt, praesentes suscipiunt effectum. Nec tamen illi suo privantur gaudio aut fructu, quemadmodum in his terrenis, si alium seminare contingat, alium metere, non simul gaudent, sed tristitia et damnum est non metenti. In spiritualibus enim longe diversa ratio est. Hic una cum messoribus congaudent seminantes, omnesque communem capiunt fructum, vitam aeternam. Proverbium illud de se etiam verum esse, Christus statim comm. seq. ostendit.

38. Ἐγὼ — κεκοπιάκατε) *Ego vos iam mitto in messem, quae sine vestro labore succreverat.* Κοπιᾷν h. l. est *agrum colere, arare, serere.* His verbis eos magis excitat. Facilius enim fructus colliguntur, quam seruntur. Praeterita ἀπέστειλα et εἰσεληλύθατε vim habent Futur., more Hebraeorum. Etenim illo tempore praesentes adhuc erant discipuli. ἄλλοι κεκοπιάκασι) *Aliorum* (meo et Ioannis et Prophetarum) *multo labore semen iactum est.* εἰς τὸν κόπον αὐτῶν) i. e. *in arvum ab ipsis laboratum.* Antecedens pro consequente. Quomodo apud Poëtam: *Sata laeta, boumque labores.* 2 Cor. X, 15. Vult Christus dicere: Ego seminavi, primus docui, nullum laborem subterfugi, vos iam operarios ad metendum conduxi, ut mecum gaudeatis. Christus sementem fecerat fundamenta religionis et ecclesiae in his terris ponendo; neque tamen metebat, i. e. non videbat, dum in his terris viveret, fructus laboris; non videbat ecclesiam in ipsa Iudaea, multo minus latam propagationem doctrinae suae extra Palaestinam. Sed haec omnia videbant Apostoli, qui missi a Christo metebant fructus,

fructus, quos non conseverant. Iamque etiam his verbis Iesus animo moesto implicuit mortis suae praesagium. Nunc vero redit oratio ad Samaritanos.

39. Ἐκ δὲ — Σαμαρειτῶν) *Multi Samaritae ex illa urbe habuerunt eum pro Messia.* Nam hoc est nostro loco: πιστεύειν εἰς Ἰησοῦν. Alia multa de ratione muneris eius ignorabant. Ὁ λόγος τῆς γυναικὸς, *sermo mulieris*, i. e. eius narratio.

40. Μεῖναι παρ' αὐτοῖς) *Ut apud ipsos diverteret.* καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας) Non plus biduo illis indulsit, ut rem temperaret, ne aut Samaritas discendi avidos contemnere, aut Iudaeis praeferre videretur. Discipulis antehac vetuerat morari in Samaritanis oppidis, sed ad tempus. Ipse nulla lege eos adire vetabatur.

41. Διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ) *Propter institutionem ipsius.* Sine miraculis, quod magnam in Samaritis docilitatem monstrat, praesagium eius, quod a gentibus erat exspectandum. Iudaei ne miraculis quidem credebant.

42. Οὐκ ἔτι διὰ τὴν σὴν λαλιὰν) i. e. *non tam ob* sermonem tuum, *narrationem tuam;* loquendi genere et in aliis et in his maxime scriptoribus usitato. καὶ οἴδαμεν) ex rebus salubribus auditis. ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου) Messiam esse Servatorem τοῦ κόσμου, humani generis, Samaritani fatentur; rectius quam Iudaei, qui Messiam tantum suae gentis Servatorem fore sperabant. Vocabulum ὁ Χριστὸς, quod plures Codd. omittunt, grammaticorum additamentum sapit.

43. Εἰς τὴν Γαλιλαίαν) Sed non abiit in oppidum *Nazareth* seu in πατρίδα, Luc. IV, 16. sqq. Vel: abiit

abiit *in agrum Galilaeae*, non in oppida, sicut vox Ἰουδαία sumitur supra c. III, 22. Quae statim seq. comm. indigitantur, Christi baptisma inter et primum Paschatos festum facta esse videntur.

44. Αὐτὸς γὰρ Ἰησοῦς ἐμαρτύρησεν — οὐκ ἔχει) *Ipse enim Iesus professus erat, nullum prophetam in patria honorari.* Cf. Luc. IV, 24. Matth. XIII, 57. Marc. VI, 4. Ratio in his verbis redditur, cur Iesus in reliquam Galilaeam, non vero Nazaretham, urbem patriam profectus sit. Ideo nempe Nazaretham non ivit, quod ibi se contemni sciret, ob memoriam humilis educationis; sicut ipse dixerat. Cf. notata Luc IV, 24. Ἡ πατρίς, *patria urbs*, ut fere semper in N. T. non *regio natalis*. *Ruinoelius* aliique de tota Galilaea cogitandum esse existimant. Particulam γὰρ idem valere dicunt ac Hebraeorum כִּי, et vertendam esse quamquam. Sic difficultatem tollere studeat, quae inde nascitur, quod Iesus a Galilaeis lubenter nunc receptus et tamen ab iisdem repudiatus dicitur. Errant vero, qui particulis γὰρ et כִּי eandem omnino tribuant significationem. Verum enimvero tota narratio bene se habet, et γὰρ immutatam retinet notionem suam, dummodo πατρὶς de urbe Nazaretha intelligatur. Quae interpretatio multis locis commendatur, in quibus Nazaretha, Christi patria, significatur; vid. Matth. II, 23. Ioann. I, 46. 47. XVIII, 5. 7. Actor. X, 38. Dubio caret locus Luc. IV, 23. ποίησον καὶ ὧδε ἐν τῇ πατρίδι σου. Firmatur nostro loco haec τῆς πατρίδος significatio vocabulo ei adiuncto ἰδία (πατρὶς) i. e. ea terrae cuiusdam pars, quae sensu peculiari alicui est propria. Cf. V, 18. πατέρα ἴδιον. Neque haec voc

voc. πατρὶς notio aliis scriptoribus est inusitata. *Ioseph. Antiqq.* X, 7, 3. πατρίδα, λεγομένην Ἀναθώθ· *Philo de virtut.* T. II. p. 587. ἔστι δέ μοι Ἱεροσόλυμα πατρίς. Ceterum hic quidem ea attingi videntur, quae statim ab initio muneris Iesu facta esse a Luca l. l. copiosius narrantur. Neque tamen, ut recte monuit *Lückius* ad h. l. p. 665., inde certo colligitur (quod *Paulus* sumit), Ioannem supplevisse tantum ea, quae Lucas narraverit. Parum enim credibile est, Lucae Evangelium, ab initio viro privato addictum, tam celeriter publicatum lectumque esse in diversis regionibus, ut id suis lectoribus cognitum esse Ioannes sibi persuadere potuerit. Illud etiam ἐμαρτύρησε non habet certi temporis notam: itaque nihil obstat, quo minus id post aliquanto, imo saepius Christus dixerit. Matth. XIII, 57. Marc. VI, 4. Facile igitur Ioannes attingere tantum potuit, quod omnibus iam sciret innotuisse.

45. Ἐδέξαντο) *Hospitaliter, benigne exceperunt.* Neque enim tantum illis testimonium redditur, quantum Samaritis. πάντα ἑωρακότες) Tardiores Samaritis, qui nullis conspectis miraculis, fidem ei adhibuerant.

46. Καὶ ἦν τις βασιλικὸς) Repetenda est ἀπὸ τοῦ κοινοῦ vocula ὅπου, hoc sensu: *ubi ex aqua vinum fecerat, et ubi regius ille Capernaumo ad Iesum quaerendum profectus, tum forte aderat.* Βασιλικὸς non denotat eum, qui *e familia regia oriundus*, sed tantum, qui *in famulitio et ministerio Regis sit, aulicum.* Apud Iosephum certe, ubi sexcenties haec vox occurrit, nunquam aliter usurpatur, e. g. Ant. XVII, 10, 3. τῶν βασιλικῶν τὸ πλεῖστον ἠθροίλησαν πρὸς

πρὸς αὐτοὺς. *Maxima pars militum regiorum ad eos (Iudaeos sc.) se conferunt.* De vita Iosephi §. 72. προεκαλούμην τοὺς βασιλικοὺς εἰς μάχην. Plura loca habet *Krebsius*, qui monet: Si Iosephus *e familia regia oriundos* indicare vult, aliis vocibus utitur, e. g. De B. Iud. II, 5, 3. οἱ τοῦ βασιλέως συγγενεῖς, *Regis cognati*, et προσήκοντες Ἡρώδῃ κατὰ γένος, *consanguinei Herodis*, nunquam autem iidem βασιλικοὶ a Iosepho vocantur. Βασιλικὸς igitur h. l. est *regius minister*, et quidem, ut plurimi putant Regis, vel tetrarchae Herodis Antipae, qui interdum etiam βασιλεὺς vocatur, Matth. XIV, 9. Quoniam vero Capernaumi habitasse dicitur, probabile est *Michaeli*, hominem hunc fuisse in famulitio imperatoris Romani; nam is Graecis dicebatur βατιλεὺς, vel Βασιλικὸς fuisse nomen proprium viri; quae posterior sententia locum habere non potest. Ioannes hoc dicturus scripsisset: ἦν τις ὀνόματι Βασιλικός. Versu 49. autem articulus ὁ proponitur. Potest vero etiam ad voc. βασιλικὸς suppleri στρατιώτης, ut indicetur *praefectus militum*. Nomen βασιλ. de militibus a Iosepho adhiberi comprobavit *Wetstenius*. Sitne vero ὁ βασιλικὸς Iudaeus an homo gentilis, hoc discerni non potest. ἐν Καπερναούμ) Sive hoc ad patrem, sive ad filium referas, sive ad utrumque, omnino tenendum est, hunc regium ministrum non in Cana, sed Capernaumi habitasse, unde mox ipsi famuli occurrunt. Dissentiunt etiam Interpretes quod attinet hanc nostram narrationem et illas similes Matth. VIII, 5. sqq. et Luc. VII, 1. sqq. Etenim sunt, qui statuant, idem factum ab omnibus tradi, eosque tantum in tempore aliisque rebus discrepare. Sic *Semlerus* (*Ego*, inquit, *ausim statuere*, *unam*

unam eandemque historiam describi, etsi alibi aliter atque aliter) et *Seyffarthus: Beitrag zur Sprachcharakteristik des Iohannes*, p. 159. At vero, diversam h. l. historiam ab ea, quae a Matth. et Luc. relata legitur, referri, cum *Kuinoelio* et *Lückio* est statuendum. Matthaeum et Lucam unum idemque retulisse factum, nemo dubitat. Ioannis vero narrationem, si cum illis contuleris, plura habere discrepantia quam similia, facile intelligitur. Ut alia taceamus, quantam ὁ ἑκατοντάρχος ille in Christo posuit fidem, ita ut Iesus dicat: οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον (Luc. VII, 9.); et quam tardus hic est βασιλικὸς ad credendam vim Christi divinam, quae etiam aegrotum alio loco commorantem sanare possit. Imprimis legenda sunt, quae monuit *Lückius* ad h. l. p. 667. sqq.

47. Ἠρώτα) *Rogabat.* Itaque declarat hac fiducia rogandi, se id iam firmiter statuere, quod Iesus hoc efficere posset et vellet. ἤμελλε γαρ ἀποθνήσκειν) *Proximus erat morti*, ut vertit Syrus. Est autem ἤμελλε Attico augmento; nam commune est ἔμελλε.

48. 49. Ἐὰν σημεῖα — πιστεύσητε) Videtur Christus hoc ideo dixisse, quod fortassis crederet homo, eum praesentem quidem, non vero absentem sanare posse aegrotos. Sic verbum ἴδητε pronunciandum esset cum accentu. *Storrius* (in dissert. exeget. p. 83.) vertit: Nisi miracula *iamiam* videritis, non credetis (ea, Luc. VI, 29.); non prius creditis miracula, quam oculis ea videritis, non creditis nisi visa; aut, si verbum πιστεύειν simpliciter accipere malis: non *mihi* confidetis ante quam *videritis* miracula. Iesum his verbis adstantes allocutum esse Galilaeos, qui conspectis demum miraculis, quae in Iudaea fecerat, maiorem opinionem de

de eo concipere coeperint, plurimorum Interprr. est sententia. Sed Christi sermonem *regium ministrum* attigisse aut *solum* (solemus enim nonnunquam *unum* hominem in Plurali alloqui, cogitatis in animo simul aliis quibusdam, qui illi sint similes, aut certe eum *prae ceteris*, ex orationis contextu concludi potest. Nam ὁ βασιλικὸς statim comm. 49. Christo repetitis precibus instat, ut secum veniat ad filium sanandum, priusquam moriatur Tandem cum Iesus ei asseverasset, aegrotum iam sanitatem recuperasse, homo ille fidem credendique facultatem habebat. Praeterea h. l. bene tenendum est, Dominum nullo modo eos vituperare voluisse, qui propter miracula a se patrata fidem ipsi haberent; cf. Matth. XI, 20—24. Ioann. XII, 37. XV, 24. Verum enimvero eiusmodi tantum homines castigare voluit, qui solummodo propter miracula de dignitate Messiae sibi persuaderent.

50. 51. Πορεύου) quod Iudaei dicunt, *Vade in pace*, i. e. *bono animo esto.* ζῇ) sc. ἀπὸ τοῦ νόσου τούτου, *valet;* locutione Hebraeis usitatissima. Sic חיה usurpatur Ios. V, 8. Iesai. XXXVIII, 1. Ἀπήντησαν αὐτῷ) In itinere Cana Capernaumum.

52. Τὴν ὥραν) Ut intelligeret, an congrueret in id tempus, quo Christum ipsum bono animo esse iusserat. κομψότερον ἔσχε) *meliuscule se habuit. Hesychius:* κομψότερον, βελτιώτερον, ἐλαφρότερον. Cf. *Arrian. Epictet.* III, 10. κομψῶς ἔχεις. Pro χθὲς, *heri*, Codd. Alexandrinae et Constantinopolitanae recensionis praestantissimi habent ἐχθὲς. χθὲς est forma adverbii Attica. ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός) Non paullatim revaluit, sed subito eum reliquit febris.

43. Ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ) Sc. *id factum sit:* ac proinde non scientiam tantum Christi, sed et potentiam agnoscit. ἐπίστευσεν αὐτὸς) ipse eum pro Messia habuit, eiusque doctrinam amplexus est.

54. Τοῦτο πάλιν δεύτερον) Refer ad id quod sequitur: ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Nam Hierosolymis plura fecerat. Cogitari debet alterum miraculorum eorum, quae Iesus Canae edidit. Respicit Ioannes ad ea, quae supra c. II, 11. scripserat. Πάλιν redundat. Solent Hebraei aeque ac Graeci et Latini scriptores haud raro voces idem valentes coniungere, ita, ut alterutrum redundet.

CAP. V.

1. Μετὰ — Ἱεροσόλυμα) *Post haec, quum festum Iudaeorum celebraretur, profectus est Iesus Hierosolyma.* Quis hic dies festus fuerit, de eo inter doctos non convenit. *Irenaeus* L. II, c. 39. paschale hoc festum ait. Hoc nomine designatur Pascha Matth. XXVI, 5. XXVII, 15. Abest quidem articulus ἡ in Editionibus, sed habent codices nonnulli; et ἑορτὴ sine articulo, pascha significans, reperitur Marc. XV, 6. Luc. XXIII, 17. Alii intelligunt aut Pentecosten, aut festum Purim, aut festum Encaeniorum, aut demum tabernaculorum frondeorum. Quamquam in tanta opinionum diversitate certi quid definiri haud potest, quia Ioannes ipse nihil amplius significavit, proxime tamen ad veritatem accedere videntur, qui aut *Pascha* aut *Purim* fuisse illam ἑορτὴν opinantur. Festum Paschatos significari comprobare studuerunt *Paulus* in Comment. T. I. p. 446. 901. sqq. (edit secundae) et *Süskind*

in *Bengelii* Archiv. T. I. p. 156. sqq. Praeplacuit etiam haec sententia *Kuinoelio* ad h. l., in cuius Commentario cf. varias interpretum tam veterum quam recentiorum opiniones diligenter recensitas. Obstare quidem alii dicunt c. VI, 4. ubi iterum Pascha appropinquasse dicitur; neque enim verisimile esse, res integro anno gestas uno Cap. V. esse comprehensas. At vero nemo nescit, Evangelistas non omnes res a Iesu gestas sed Ἀπομνημονεύματα tantum scribere voluisse. Hac vero sententia admissa, a Ioanne memorata sunt tria saltem, vel quatuor Paschata, quae Iesus Hierosolymis celebravit, nempe primum II, 13. secundum V, 1., tertium VI, 4., quartum XIII, 1; ut adeo Iesus munere doctoris per tres annos cum dimidio functus sit. Cf. *Eichhornii Einl.* T. I. p. 645. Alteram vero sententiam, esse scil. ἑορτὴ nostro loco festum *Purim*, defendit *Hug Einl.* T. II. p. 197. sqq. et placuit *Lückio* in Commentario T. II. p. 6. sqq. ubi dicta cf.

2. Ἔστι δὲ — ἐπὶ τῇ προβατικῇ, κολυμβήθρα) *Sunt autem Hierosolymis ad portam oviariam thermae.* Ἔστι h. l. positum est pro ἦν. Nam Ioannes Evangelium suum sine dubio post excidium Hierosolymorum scripsit. Magna est hic et in sequentibus lectionis varietas. Versiones quaedam et veteres Doctores nonnulli hic, omissis vocibus ἐπὶ τῇ, legunt προβατικὴ κολυμβήθρα, in nominandi casu, atque adeo vocem προβατικὴ non ad loci designationem, *portam* scilicet *oviariam*, ubi fuerint illae thermae, sed ad descriptionem earum referunt. In editionibus nonnullis impressis legitur: ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, in *dandi* casu. Ex communiori sententia κολυμβήθρα rectius

rectus sumitur casu non tertio, sed primo, et προβατικὴ suppletur πύλη, ut sit sensus: *Est autem apud portam oviariam balneum. Oviaria*, vel *probatica* dicebatur haec porta, propter forum ovium, tum quoque, quia oves per eam portam ad templum deductae sunt. Memoratur Nehem. III, 1. 12. et XII, 11. 16. Κολυμβήθρα proprie est *piscina* a κολυμβᾶν *natare;* sed h. l. piscina vocatur catachrestice, (ut Grotius interpretatur,) *lavacrum*, vel aedificium super thermas, seu aquas medicatas exstructum, ubi homines se lavant. Habuit enim quinque porticus, adeoque non tam pecudibus, quam hominibus lavandis adhibita est haec κολυμβήθρα. Verosimilis est eorum sententia, qui *thermas*, sive aquas medicatas fuisse existimant, quae ex voluntate Dei vim suam nonnisi statis temporibus exseruerint. Quod multarum est thermarum, ut statis temporibus singularem quandam vim exerceant. Hoc pluribus exemplis iam docuit *Bartholinus* in libro *de Paralyticis N. T.* Lips. 1685. ed. 3. ἡ ἐπιλεγομένη ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ) Ἑβραϊστὶ accipiendum esse de dialecto Syro-Chaldaica, ea aetate Hierosolymis recepta, vix est quod moneamus. Syrus exprimit בֵּית חִסְדָּא, *domus beneficentiae*, et *Nosocomium* videtur intellexisse. *Wagenseilius* in Notis ad *Sota* p. 308. cum *Calvino*, *Gomaro* aliisque autumat aquas illas fuisse eas, quibus Sacerdotes manus suas pedesque aut *victimas* abluerent, et quae e labro aeneo quotidie evacuabantur, ex templo manantes, et hinc in urbe alicubi stagnantes. Praeterea *Relandus* in Palaestina (p. 857.) suspicatur, *aquas, quae lavandis victimis inservierunt, in conclavi lavantium, collectas fuisse certo loco, et illa pro sanctis habitas, adeoque*

salubribus. Non alienus est ab hac sententia *Michaelis*, qui hoc *balneum animale* fuisse suspicatur, et *Richteri* dissertationem *de balneo animali* (in eius *quatuor dissertatt. medicis, in usum theologorum et philologorum seorsim editis*, Goettingae 1775.) laudat. In *Latinis* antiquis libris legitur *Betzetha* et *Belzetha*, forsan ex Iosepho, cuius loca vero huc non pertinere videntur. De *B. I.* Lib. V, c. 4. §. 2. II, 5, 15. V, 8, 1. etc. Ubi locorum hoc balneum fuerit, vix ac ne vix quidem definiri poterit. Nec in *Iosepho*, nec in aliis scriptoribus Iudaeorum huius lavacri fit mentio. Ioannes, qui non fuit excidii Hieros. testis ocularis, et a patria, cum Evangelium conscriberet, remotus viveret, non omnia plane diruta putasse, adeoque ita locutus esse videtur, ac si porta illa adhuc staret. Vid. *Eichhorn Einl.* T. II. p. 257. Cui coniecturas nosse volupe est, adeat *Michaelem* et *Kuinoelium* ad h. l. Hodiernum ostenditur piscina Bethesda, exsiccata tamen, ad Septentrionem templi, contigua areae templi et portae Stephani, teste *Maundrellio*, in *Pauli Sammlung der merkwürdigsten Reisen* T I. p. 135. An vero sit illa piscina, cuius Ioannes meminit, id valde incertum, et ne credibile quidem est. Πέντε στοὰς ἔχουσα, *quinque habens porticus* aut οἴκους, conclavia, cellulas, in quibus delitescerent aegroti, commotionem aquarum exspectantes.

3. 4. Voc. πολὺ e Codd. praestantissimis abest. Ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν) *expectantium aquae commotionem.* Haec aquarum commotio est haud obscurum indicium *thermarum*; fuisse autem thermas Hierosolymis, ostendit Ligthfootus, in Chorographia Matthaeo praemissa, Cap. LXXIV. Ceterum

locus

locus hic (v. 3. 4.) ἐκδεχομένων — νοσήματι valde est suspectus. A codicibus nonnullis totus abest, *asteriscis* (signo additamenti) notatur in tribus codicibus; *obelo* (dubitationis signo) notatur in duobus, abest a MS. *coptico* et *armeno*, a codice *latino brixiensi* et duobus aliis; in Syra posteriore est partim asteriscus, partim obelus. *Semlerus* itaque putat esse hunc Versum ex additamento eorum, qui aquarum medicarum miraculum exornare studuissent. *Millius* nominatim ex Evangelio secundum Hebraeos huc relatum putat. Certe antiquissima est huius commatis lectio; *Tertullianus* enim in Lib. de Baptismate diserte huius loci meminit; sed haec vel ex sua sententia addidisse, vel ab aliis iam traditione accepisse videtur: non enim totum locum inseruit suo libro, sed simpliciter dicit, lacum ibi fuisse, qui per angelum vim salubrem accepisset. Vid. *Mori recitationes in Ev. Ioannis* ad h. l. Quum vero testium antiquissimorum consensus fortuitus haberi nequeat, et verba ipsa ingenio cogitandique rationi Ioannis repugnent; recte Interpretes recentiores omnes in eo consentiunt, ut superstitiosam hanc commatis 7. interpretationem tanquam spuriam, nec a Ioanne adiectam reiiciant. Nullum hoc additamentum fontem habet, nisi traditionem, etsi antiquissimam, sic fortasis, ut iam Evangelistarum aetate illa vulgi opinio narrationi genuinae sit admixta. Recte etiam notatur, Ioannem in Evang. suo nusquam *morborum* causas ad genios malos retulisse, ideoque vix credibile esse, eum hic *sanationem* morborum angelo cuidam bono tanquam sanatori tribuisse. Si locus esset genuinus, sensus non esse posset, conspectum esse corporis oculis angelum; sed locutus esset Ioannes cum Iudaeorum vulgo, cui per-

persuasum esset, talia a Deo non nisi per angelos agi Si enim oculis conspectus esset angelus, Sadducaei vix potuissent negare angelorum existentiam. Iudaei ad potestates inconspicuas, i. e. ad angelos omnia referre solebant, etiam quae ex causis naturalibus oriuntur. *Vajikra* R. VI. in Exod. XXIV, 5. *Schekalim* Hier. V, 5. κατὰ καιρὸν) Rom. V, 6. opponitur παρὰ καιρὸν Hebr. XI, 11. Denotat igitur *in tempore, opportune, certo tempore*, circa pascha, ut Veteres crediderunt. Quodsi medica illa vis huius aquae repetenda esset a visceribus et sanguine victimarum, quae, ut quotidie, ita inprimis tempore festo in ea lota, hanc virtutem in eam effundere valuerint, quam sententiam *Henr Hammondus* praeeuntibus veteribus nonnullis, a *Theophylacto* laudatis, probavit, i. e. si balneum fuit animale, ratio reddi posset, cur illa vis κατὰ καιρὸν, inprimis circa Pascha se exseruerit, nam in festo Paschali ingens copia pecudum mactabatur, teste *Iosepho* de B Iud. Lib. VI, 9, 2. Sed haec sunt vana commenta. Vid. *Michaelis* ad h. l. p. 52. κατέβαινεν ἐν τῇ κολ.) i. e. εἰς τὴν κολυμβήθραν. Pro κατέβαινεν pauci codices et versio quoque Aethiopica habent ἐλούετο. ἐτάραξε τὸ ὕδωρ) *Aquas commovit.* Angelo tribuitur, quod ex causis naturalibus oriebatur. Fontium medicatorum vis maxime tum se exserit, quum aqua ebullit, aut quum bullae e venis subterraneis protruduntur. ὁ οὖν πρῶτος — νοσήματι) *Qui igitur primus post turbationem aquae se immisit, is sanitatem recuperavit, quocunque detinebatur morbo.* Num subito, an post aliquot tempus aegroti convaluerint, haud intelligitur; nam v. 4. verbis ὑγιὴς ἐγένετο non additur εὐθέως aut παραχρῆμα. Distinguunt Medici,

Medici, inprimis *Hippocrates* (de morbo sacro, de morbis mulierum, de morbis epidemicis Lib. V. et alibi) inter ἔχεσθαι νόσῳ, et κατέχεσθαι. Per prius morbos incipientes, et quasi instabiles, per posterius vero contumaces et chronicos indicant. Sic latini distinguunt inter *morbo corripi*, et *obsideri*. Itaque h. l. intelliguntur aegroti, morbis chronicis laborantes.

5. Ἦν δὲ — ἀσθενείᾳ) *Ibi versabatur tum homo, qui per duodequadraginta annos morbo laboraverat.* Ἐπεῖ pertinet ad ἦν, non vero iungitur cum sequentibus, quasi isto in loco et porticu exspectaverit annos XXXVIII, sed tot annos laboraverat morbo. Quod apparet ex v. 6. Ἔχειν, si de tempore dicitur, significat *agere*, *transigere*. — *Paulus* in Comment. ad Io. p. 263. sqq. coniecit, aegrotum illum gravem morbum *simulasse* tantum, quo largiorem stipem cogeret, Iesum eum abire iussisse, et sic porro. At vero desiderantur ullius momenti argumenta, quae hominem fallaciosum prodant. Ne uno quidem verbo, quod obiurgationem exhibeat, Iesus aegrotum corrigit. Potius Dominus v. 8. eadem verborum formula, quae saepius ei est solennis, cum graviter adiacentem sanum reddit (Matth. IX, 6. Marc. II, 9. 11. Luc. V, 24.), usus, hominem illum surgere iubet, eumque, ut in posterum melius valetudini suae consulat, praeterlapso iam aliquo tempore, v. 14. graviter commonet. Aperte etiam *Pauli* coniecturae repugnant verba v. sq. καὶ γνοὺς κ. τ. λ.

6. Κατακείμενον) *Iacentem*, quod se movere nequiret. ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει) Subaudi τοῦ ἀσθενήματος, *eum diu aegrotasse*. Verbis quae sequuntur: θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι; minime opus est ut subau-

subaudiatur: *licet sit Sabbatum.* Sensu omnino simplicissimo accipienda est Christi interrogatio, qua aegroti attentionem excitare simulque ex eius responsione cognoscere voluit, num fidem haberet. Similis quaestio legitur Marc. X, 51.

7. Κύριε, ἄνθρωπον — κολυμβήθραν) *Domine, neminem habeo, qui, quando aqua fuerit commota, me in eam demittat.* Βάλλειν h. l. est *demittere.* Tacite plus respondet, quam si expresse respondisset, quasi dicat: imo hoc unicum ago, ut saner, sed neminem invenio, qui mei misereatur. Ad morbum accedebat inopia, ut nec comitem sibi comparare posset. ἐν ᾧ δὲ) *Interea dum.* Subauditur χρόνῳ Sic *Plato* in Convivio: ἐν ᾧ δ' ἄν ἐγὼ λέγω. ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει) *alius ante me descendit*, et aquam privat vi sua salutari. Maximi igitur momenti ductum est, *primum* sese aquae immergere, cum ea ebullire coepisset. Aegrotus, ignarus quocum colloquatur, de aqua salubri disputat, queriturque, quod non in eam tempestive iniiciatur.

8. Ἆρον τὸν κράββατόν σου) *Aufer lectum tuum.* Κράββατος est lectus humilior et vilior, loris subtentus, unum hominem tantum capiens. Mos erat *Christi* ut peracto miraculo, aliquid testimonii causa imperaret. Idem hic fecit. *Tollere* lectulum die sabbati, ex recepta Iudaeorum opinione, non licebat. Vid. *Michaelis*, *Mos. Recht*, T. IV. §. 195. 196. et cf. loca Exod. c. XX. Ier. XVII, 21. 22. Neh. XIII, 15. sqq. Sed Christus pro imperio hic egit, ut Dominus Sabbati, Matth. XII, 8. Marc. III, 28. Hoc testimonio divinae potentiae sabbatum sanctificabatur, non profanabatur.

9.

9. Καὶ εὐθέως — περιπάτει) *Statimque ita convaluit homo, ut, lectulo suo sublato, incedere posset.* Περιπατεῖν non est *abire domum*, sed *ambulare, incedere.* ἦν δὲ — ἡμέρα) His verbis transitus fit ad sequentia.

10. Ἰουδαῖοι) Ex primoribus, synedrii assessoribus, ut et infra comm. 15. οὐκ ἔξεστί σοι ἆραι τὸν κράββατον) Αἴρειν h. l. est *portare.* Hoc dixerunt more suo cavillantes circa ritus. Sed recepta erat apud eos sententia, ad imperium prophetae posse violari Sabbatum exemplo eorum, qui ad Iosuae imperium Sabbato Ierichuntem oppugnaverunt. *Sanhedrin* fol. 90. 1. *Dixit R. Abhu, dixisse Ioannem: Omnino si tibi dixerit propheta, transgredere verba legis, audi illum, excepta idololatria* etc. Ad hanc magistrorum sententiam homo sanatus tacite provocare videtur comm. seq. Aliud Rabbinorum dictum sonat: *omnis conservatio vitae pellit sabbatum* Sed quibus occasionibus oblatis sabbatum violari licitum esset, tam multifaria praecepta implicitasque clausellas Pharisaei et Legisperiti exhibuerant, ut plerumque pro lubitu, sitne aliquis innocens reusve, discernere possent. Ceterum eos, qui hic hominem sanatum interrogabant, rei gestae non interfuisse, cognoscitur ex ipsa eorum quaestione et ex v. 12.

13. Ὁ γὰρ Ἰησοῦς ἐξένευσεν) *Iesus inde declinaverat, sive deflexerat, secesserat,* quod multitudo hominum illo in loco esset. Ἐξένευσεν non derivandum ab ἐκνεύειν, sed potius ab ἐκνεῖν, cuius prima et propria significatio est *enatare*; deinde est etiam *ex malis emergere, instantique periculo liberari:* tertius denique significatus, isque huic loco conveniens, hic

hic est, ut simpliciter *abire*, *secedere* denotet. Sic *Ioseph.* Ant. VII, 4, 2. ὁ Δαυίδης — ἐκνεύσας εἰς τι χωρίον, *Davides quum in agrum quendam secessisset.* Notat tamen *Loesnerus*, νεύειν etiam et ἀνακάμπτειν eadem notione poni, e. g. *Philo* L. III. de vita Mosis p. 666. C. 690. E. ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ) *Quia magna ibi erat populi turba.* Nolebat Dominus se plausu vulgi excipi, quemadmodum eundem alia vice, facto secessu, evitabat, Io. VI, 15. Fortasse etiam turbas et dissensiones inter praesentes exoriturus praevertere voluit

14. Μετὰ ταῦτα) incertum, an aliquot dies post; de eodem die vix videtur posse intelligi. μηκέτι ἁμάρτανε) sc. isto modo tam indigno et insigni; apud Iudaeos enim ἁμαρτάνειν fere de peccato eminenti sumitur, ut c. VIII, 11. χεῖρόν τι) Insanabilis morbus, aut moriendi quaedam foeda necessitas. His verbis Iesus homini in memoriam revocare voluit peccata, quibus hunc morbum sibi contraxerat Hoc ipso autem ostendit, se esse prophetam, ut qui non tantum futura, sed etiam praeterita sciret. Neutiquam h. l. statuendum est, Iesum secutum esse vulgarem illam Iudaeorum opinionem, qua morbos omnes poenas peccatorum existimabant.

15. Τοῖς Ἰουδαίοις) sc. primoribus. Quo animo ille homo id indicatum iverit, incertum est. Bono tamen consilio, ut nempe grato animo celebraret beneficii auctorem, id eum fecisse, credibile est. Quare recuperatam sanitatem laudat, non autem mandatum de tollendo grabbato commemorat. Forsan etiam reverentia synedrii ducebatur, ut nomen Iesu, quod in templo cognoverat, iis deferret. Alii aliter.

16.

16. Καὶ διὰ — σαββάτῳ) *Illi igitur Iesum persecuti sunt, quod Sabbati die haec fecerit.* Effecisse videntur illi Synedri, ut Iesus a Synedrio in ius vocaretur. Nam διώκειν haud raro est verbum forense, et iudiciale, significans *accusare, litem intendere,* ut Matth. V, 11. Sed potest etiam de insidiis privatis intelligi. Verba: ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι ex hoc Versu delenda sunt, quia in plerisque versionibus antiquis, et multis codicibus desunt. Videntur e v. 18. huc esse illata.

17. Ἀπεκρίνατο αὐτοῖς) Sunt quibus Iesus a Synedrio citatus esse videatur, ut responderet; nam ἀποκρίνεσθαι proprie de iis dicitur, qui in iudicium vocati respondent. Sed hoc quoque loco non est, quod de alia quam privata disputatione cogitari cogat. Ioannes vero huius responsionis Christi summam tantum attulit. Ὁ πατήρ — ἐργάζομαι) Particula καθὼς deesse videtur: *Quemadmodum pater meus ad hunc usque diem operatur; ita et mihi negotia mea quovis die peragenda sunt.* Deus ἐργάζεται, dum omnia conservat et gubernat. Nullum est ei Sabbatum; id tantum ad homines pertinet. Hoc Patris mei exemplum, inquit Christus, ego imitor. Uti illi nulla quies est, nullum Sabbatum, ita nec mihi. Quum Christus Deum nominat *suum* patrem, non simpliciter *Patrem*, innuit Deum *peculiari modo* suum esse Patrem. Hoc maxime offendit magnates. Simul igitur tacite profitetur, se esse *filium Dei* sensu peculiari, (v. 19.) i. e. Messiam, quem Iudaei nomine filii Dei insignire solebant. Vid. Matth. XVI, 16. Sensus igitur est: *Quemadmodum Pater meus ad hoc usque tempus opus suum facit: ita et ego filius eius, Dei, patris mei personam in his terris agens, semper et ubique, ad nullam locorum*

locorum et temporum necessitatem adstrictus, o us meum facio, et beneficia tribuo. Sine dubio Iudaei accusationem suam contra Iesum afferebant e locis Genes. II, 1—3. et Exod. XX, 10. 11.

18. Ἔλυε τὸ σάββατον) *Violavit sabbatum.* Ipsorum iudicio. De locutione cf. Matth. V, 19. ἀλλὰ καὶ — θεὸν) Recte Iudaei existimabant, Iesum velle pro filio Dei haberi sensu quodam eximio; se esse Deo familiarem, et accuratissime eius consilia nosse. ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ) *Qua re parem se Deo ferret,* sibi licere praedicans, quidquid Deo licet, e. g. Sabbato opus facere, v. 17. et eadem facere posse, quae Deus potest, e. g. valetudinem homini desperato morbo laboranti verbo restituere, atque sic eodem iure agere, quo Deus agit. Non de aequalitate essentiae, sed auctoritatis et iuris est sermo.

19. Ἀπεκρίνατο οὖν ὁ Ἰησοῦς) Porro confirmat Iesus, se esse filium Dei, Messiam, et falsas Iudaeorum opiniones de vera Messiae provincia refutat. Quia negabant eum iure Messiae uti posse, quia non esset Messias ille, quem finxerant sibi maxime faventem, propterea corrigere vult eorum errorem, et ostendere, amplissimam esse Messiae formulam. Οὐ δύναται — ὁμοίως ποιεῖ) *non potest filius quicquam facere suo arbitratu, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecunque enim ille fecerit, haec et filius similiter facit.* Illud οὐ δύναται moraliter est intelligendum, et recte a Chrysostomo explicatur: ἀδύνατον καὶ ἀνεγκλήτον ἐστιν ἐμὲ ποιῆσαί τι ἐναντίον τῷ πατρὶ. Alii οὐ δύναται exprimendum statuerunt, *non vult;* alii plane redundare putant. Quicquid sit, hoc est certum, Iesum animum

animum exhibere Deo subiectissimum, ad Patris voluntatem sese studiosissime conformantem (VI, 38.); ut igitur multum absit, ut Deo omni ex parte se parem ferret. Omnia, quae de sua agendi ratione Iesus profitetur, stricte revocanda sunt ad intimam illam coniunctionem unanimitatemque, quae intercedit Deum inter et Christum. Ἀφ' ἑαυτοῦ, i. e. iniussu, suopte arbitratu. Sic infra c. VII, 17. XII, 48. Ὁ υἱός, *filius* ille μονογενής; patri intimus, c. I, 18. qui eius voluntatem perfectissime novit. Is non potest abuti suo iure, aut contra Dei voluntatem consiliumque aliquid hominibus docendo praeire. Verba ἐὰν μή τι non excipiunt, sed ἐὰν μὴ hic est pro ἀλλὰ ut Matth. XII, 4. Gal. II, 16. aliisque locis, et subaudiendum est ex praecedentibus ποιεῖ. Verba βλέπειν h. l. et δεικνύειν v. 20., cum sine dubio impropria sint, premi nequeunt. Duae propositiones in hoc commate insunt, quae si absolute ponantur, sensum recludunt, nimirum hae: *Nihil iniussu Patris a me suscipitur; omnia iussu Patris a me suscipiuntur.* Continetur itaque his verbis oppositio contraria, et verba ἐάν μή τι omnes Christi actiones complectuntur affirmando, uti praecedentia omnes actiones negando. Aliam huius loci interpretationem v. 19—47. dedit anonymus, in *Eichhornii allgem. Biblioth. der bibl. Litteratur*, Tom. VII. St. 6. p. 977. sqq. *(Briefe über das Ev. Iohannis von verschiedenen Verfassern)* Ποιεῖν opinatur positum esse pro διδάσκειν, ut idem sit, quod: οὐ δύναται ὁ υἱὸς διδάσκειν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, ὃ οὐκ ἐδιδάχθη ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Per τὰ ἔργα v. 20. intelligit solam doctrinam. Haec autem interpretatio vix probari potest, quum Iesus se defendat adversus eos, qui eum reprehende-

henderant propterea, quod hominem aegrotum die Sabbati sanasset. Ἔργα Ἰησοῦ et facta eius mirabilia et doctrinam comprehendunt.

20. Ὁ γὰρ πατὴρ φιλεῖ τ. υἱὸν — αὐτὸς ποιεῖ) *Pater enim tanto amore fertur in filium, ut eum instruat faciendi, quicquid ipse facit.* Comparatio a magistro, qui discipulum unum prae ceteris intimum habeat, cui omnia artis suae arcana aperiat. Sic הוֹרָה hebraeum interdum per διδάσκειν, interdum per δεικνύειν vertunt Graeci. Humano more loquitur Christus, ad captum audientium se acommodans. Significat autem, traditam sibi esse a Patre potestatem, perficiendi opera, quae nonnisi Deus perficere possit; quorum nonnulla statim v. 21. 22. nominat; Patrem eum reddidisse participem omnium suorum consiliorum. καὶ μείζονα — ἔργα) *et illustriorum etiam factorum ei auctor erit*, i. e. peragam eius iussu multo maiora negotia iis, quae hactenus a me peracta sunt.

21. Ὥσπερ γὰρ — ζωοποιεῖ) *Nam sicut pater potest mortuis vitam restituere eosque felices reddere, sic et filius, quoscunque voluerit, felices reddere potest.* Verba activa saepe potentialiter esse interpretanda, notum est. Ut hoc etiam loco sic explicentur, contextus postulat. Iesus enim docere vult, se parem *potestatem* habere cum Patre, v. 19. Quamobrem exemplis nonnullis declarat cuiusmodi sint opera, quorum perficiendorum potestatem a Patre accepisset. Sicuti, inquit, Pater meus e mortuis resuscitare atque felicitate donare potest, quoscunque voluerit, ita et ego parem potestatem habeo. οὓς θέλει, ζωοποιεῖ, *in vitam revocat quoscunque voluerit*, et nunc.

nunc, et *in fine seculi*, quum omnes mortuos resuscitabit. Non in his verbis cogitandum esse de solo *arbitrio*, qualis hominibus inesse solet, iam apparet ex v. 19. Significatur vero auctoritas absoluta post iudicium, Christo prorsus (v. 22.) commissum. Hominibus igitur, *quibus voluerit*, aeternam felicitatem largitur, i. e. quos iudicaverit dignos. Ἐγείρειν proprie *erigere*, *surgere facere* (Marc. IX, 27. Actor. III, 7.), de mortuis: *in vitam revocare*, *resuscitare*. Ζωοποιεῖν, *vitam largiri*, de mortuis: *in vitam restituere*, tum: *vitam beatam in futuro seculo largiri*; *vivificare et levare*, Ioann. VI, 39. 1 Cor. XV, 45. Quoad sensum verba ἐγείρειν et ζωοποιεῖν differunt, quod resurrectio omnibus, bonis aeque ac improbis contingat hominibus, sed probi tantum beantur. Messiam resuscitaturum esse mortuos, Iudaei etiam credebant. *Pirke Elieser* XXXIII. de Messia dicitur Ps. LXXII, 17. *cur vocatur iinnon* (ינון)? *quia eos, qui in terra dormiunt, excitabit.* Idem Iudaei etiam recentiores Messiae tribuunt. Vid. Wetst. ad Io. V, 25. Videtur igitur Iesus hac oratione significare, se praestiturum esse, quod Iudaei expectabant, sed alio sensu. Recentiores interpretes, e. g. *Eckermannus* (*theolog. Beyträge*, Tom. V. part. 2. p. 64. seqq.), *De Ammon Opuscc. Theoll.* p. 93. sqq. inprimis anonymus ap. *Eichhornium* l. c. totum locum de resuscitatione morali explicant, ut Iesus profiteatur, se suscitaturum esse homines moraliter mortuos, e somno ignorantiae et vitiositatis. *Car. Ge. Schuster* (in *Eichhornii* biblioth. Tom. X. p. 772.) Iesum respexisse existimat ad Prophetarum loca, Ies. XXVI, 19. ἀναστήσονται οἱ νεκροί, καὶ ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις Ezech.

Ezech. XXXVII, 5. 12. 14. (Ad quae loca cf. *E. F. C. Rosenmülleri Scholia.*) Dan. XII, 2. ubi restitutio reipublicae Iudaicae fere collapsae in statum suum florentem promittitur. Cf. quae contra disputarunt *Eduard Sneedorf Hammer*, Danus, in dissert. quae inscripta est: *Mortuorum in vitam revocatio, sermonibus Christi historicae interpretationis ope vindicata.* Lips. 1794. 4. *Schottus* in *Opuscc.* T. I. p. 196. sqq. in Commentar. *in eos Christi sermones* etc. T. I. p. 201. sqq. Qui varias de hoc loco opiniones accuratius discere cupierit, eas recensitas legat in *Kuinoelii* Commentario, ad h. l., qui ipse consentit cum iis, qui totum hunc Christi sermonem de physica resurrectione intelligi malint, quam de morali. Nos toto animo adstipulandum censemus *Lückio* (quem praeiverunt *Semlerus* et *Hezelius*), qui in Commentar. *über die Schrr. des Evangelist. Ioh.* T. II. p. 29. sqq. contendit et ingeniose demonstrat, resurrectionis et physicae et moralis defensores quaedam iure sibi vindicasse, quaedam autem minus probabilia coniecisse. Sane verum in medio positum et ea hunc locum interpretandi ratio admittenda esse videtur, qua Christum spectasse statuamus cum animorum vitiis corruptorum renascentiam, tum mortuorum in sepulcris latentium resurrectionem. Aperte v. 25., cuius verba stricte coniuncta sunt cum v. 24., sermo est de re praesenti, imo partim etiam praeterita, nimirum de vivificatione eorum, qui animi somno sopiti erant, per τὴν φωνήν, scilicet τοῦ λόγου, seu Messiae. Verbum igitur, quod est ambiguae significationis. ζωοποιεῖν, intelligendum est de resuscitatione spirituali. Verum etiam hoc certum est, versu 28. et 29. rem-

rem mere futuram exponi, nempe duplicem mortuorum resurrectionem, quae ex Iudaeorum quoque sententia sit eventura, altera *piorum τῆς ζωῆς*, altera *impiorum τῆς κρίσεως*. Haec enim est Christi cum Iudaeis de opere suo colloquendi ratio, ut argumenta sua de illorum theologia depromeret, ita tamen, ut auditorum suorum, modo sint dociles, de regno Messiano cogitationes paullatim erroribus purgare atque ad veritatem componere studeret. Sic hoc etiam loco, quam Iudaei Messiae tribuebant, Iesus sibi vindicat potestatem mortuos resuscitandi et de iis iudicium extremum habendi; simul tamen innuit, ipsi a Deo vim potestatemque tributam esse, homines, *quoscunque voluerit*, ex animi morte nec non resurrectione *τῆς κρίσεως* liberandi: ut adeo impugnaret Iudaeorum insolentiam superbiamque religiosam, qui propter originem naturalem se Messiani regni participes futuros esse sese iactarent. Hancce vero resurrectionem moralem iam tunc Christus efficere coeperat, imo hoc ipso momento in iisdem quibuscum loquebatur hominibus effecturus erat. Omnis Domini argumentatio, si Iudaei de physica tantum in futuro tempore efficienda resurrectione intelligerent, omni in praesenti destituta erat probabilitate. Cf etiam, quae Iesus in colloquio cum Nicodemo de renascentia morali ante corporis mortem efficienda dixerat. Ceterum post vocc. *οὓς θέλει* v. 21. ex priore versus parte subaudienda esse verba *ἐγείρει τοὺς νεκρούς*, docet et formula *οὕτω καί*, et series orationis ipsa, quum Iesus, sibi a Patre omnia eius opera patrandi facultatem deditam esse dixisset. Denique hoc commate voc *νεκρούς* in sua notionis ambiguitate est relinquenda, ut adeo de utriusque generis mortuis intelligatur; coniunctum

enim cum eo est utrumque verbum ἐγείρειν et ζωοποιεῖν. Interpretes autem, qui totum nostrum locum v. 21—30. de sola aut physica aut morali resuscitatione intelligi velint, maxime falluntur, quod eos fugit, illustrandae huic Christi orationi optime inservire versum 25. Verba enim v. 25. καὶ νῦν ἐστιν et οἱ ἀκούσαντες ζήσονται desunt v. 28. Voc. vero πάντες, quod legitur v. 28. deest v. 25.

22. Οὐδὲ γὰρ — τῷ υἱῷ) *Neque enim pater instituit iudicium de quoquam, sed filio omne iudicium commisit.* Alio exemplo illustrat id quod v. 20. dixerat. Idem ille filius, qui resuscitat et resuscitabit mortuos, tandem denique iudicabit vivos et mortuos. Iudaei etiam resuscitationem mortuorum iudicium secuturum esse putabant. *Iudicare mundum*, Dei est, Gen. XVIII, 25. Κρίνειν autem h. l. est poenas et praemia decernere, praesertim in futuro seculo. Κρίνει, Praesens pro Futuro ob certitudinem. Ἀλλὰ τὴν κρίσιν — υἱῷ, *iudiciariam potestatem totam filio tradet.* Act. XVII, 31. 2 Cor. V, 10. Recentiores interpretes κρίνειν h. l. significare volunt *criminis arguere*, Io. XII, 31. XVI, 8. ut sensus sit, homines non immediate a Deo, sed per filium edoceri, quod propter vitia et scelera sint poena digni, non demum in fine mundi Deum iudicaturum esse universum humanum genus; non damnaturum esse omnes gentiles, et Iudaeos absoluturum. Hoc dictum esse volunt contra Iudaeos. Vid. *Io. Ern. Christ. Schmidt Biblioth. für Kritik und Exegese* etc. T. II. part. 1. *Beschreibung des Weltgerichts nach dem Talmud*, ex Gemara babyl. ad c. I. *Massecheth aboda sara.* Κρίνειν statuunt

esse

esse partem doctrinae *τοῦ διδάσκειν*. Ceterum vid. supra not. ad c. III. 19.

23. *Ἵνα πάντες — τὸν πατέρα*) *Ut filium pariter omnes colant, atque Patrem.* Τιμᾷν autem h. l. praecipue est *obsequio* venerari, ut statim com. 24. docet, auctoritatem alicuius agnoscere. *ὁ μὴ τιμῶν — τὸν πέμψαντα αὐτὸν*) Qui legatum, praesertim cum plenissima potestate missum, iniuria afficit, is iniuria afficere eum censetur, cuius personam legatus sustinet. Ergo, qui filii, cum plenissima potestate missi, iudicis auctoritatem respuit, nec doctrinam eius admittit, is etiam Patri obsequium denegare censendus est. Honorem vero iustum ac debitum filio exhibent ii, qui cum dignitatem eius agnoscunt et reverentur, tum doctrinam eius sequuntur. Quod colligi debet ex v. 24. Tacite ostendit Christus, quam intimus sit patri. Nam Deus honorem suum extraneo non concedit.

24. *Ὁ τὸν λόγον — τῷ πέμψαντί με*) *Qui doctrinae meae obsequitur, et Patri fidem habet.* Ὁ λόγος *τοῦ Χριστοῦ, doctrina Christi.* Vid. not. ad v. 21. Ἀκούειν saepe, ut hebr. שָׁמַע, connotat *obtemperare, obedire*, ut infra VIII, 47. *Fidem autem habere Patri* h. l. idem est ac firmiter credere, vera esse, quae Pater per filium de felicitate alterius vitae promittit. *ἔχει ζωὴν — ἔρχεται*) *habet vitam aeternam et in iudicium non venit.* Εἰς κρίσιν οὐκ *ἔρχεται*, i. e. a iudicio liberatus per fidem Christo habitam, a sola pendet Dei benignitate. Cf. supra not. ad c. III, 17. 18. *ἀλλὰ — ζωήν*) *Sed transiit a morte in vitam.* Ὁ θάνατος est omnis miseria, quae ex peccato oritur, animi perturbationes, metus a conscientia culpae oriun-

dus, post hanc vitam futura infelicitas. Qui religionem Christi amplectitur, eique obsequitur, is liberatus est ab hac miseria atque transiit εἰς τὴν ζωὴν, *in feliciorem statum;* potitur maximis beneficiis, peccatorum venia, animi tranquillitate, futura felicitate. Recte *Lückius* (T. II. p. 37. 38.) monuit, neque verbo ἔχει, neque μεταβέβηκεν vim Futuri tribuendam esse. Nam ἡ ζωὴ αἰώνιος minime h. l. aliquid est, quod post mortem tandem contingat. Potius ii, qui Christo fidem veram exhibent, iam nunc transierunt *a morte in vitam;* iam nunc feliciorem vitae obtinent conditionem, et veram animi felicitatem possidere coeperunt. Cf. III, 18. 19. VIII, 52. et praesertim 1 Ioann. III, 14. μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν, ὅτι ἀγαπῶμεν τοὺς ἀδελφούς· ὁ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν, μένει ἐν τῷ θανάτῳ.

25. Ἀμὴν — ζήσονται) *Certissime vobis confirmo, tempus fore, et iam esse, quo mortui vocem filii Dei sint audituri, et qui audierint, vivent.* Verba καὶ νῦν ἐστιν ii, qui in tota hac Christi oratione resuscitationem mortuorum physicam spectari existiment, referunt ad istos per Iesum e mortuis excitatos, Iairi filiam, iuvenem Nainiticum, Lazarum. Sed quod iam ad v. 21. demonstravimus, indigitari h. l. resuscitationem sensu morali, id v. 24. et 25. sat evidenter confirmatur. Nemo, qui diligenter hunc locum perpendat, non videt, v. 24. sermonem esse tantum de tali homine, qui εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, quia audit τὸν λόγον Christi eique credit, et propter fidem ei habitam ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Nulla autem hic alicuius fit mentio, qui *non* audit, *non* credit, neque igitur a iudicio liberatur, sed μένει ἐν τῷ θανάτῳ. Quinam ergo v. 25.,

qui

qui arctissime cohaeret cum v. 24., essent *οἱ νεκροὶ ἀκούσαντες*, nisi homines animi somno sopiti, qui vero Christi doctrina expergefacti praecepta eius amplectuntur? et quisnam nobis persuadeat, phrasin *οἱ ἀκούσαντες τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ζήσονται* in N. T. promiscue intelligendam esse de probis hominibus aeque ac improbis? Plane aliter res se habet v. 28. et 29. Ibi sermo est de resurrectione *τῶν πάντων*, de quibus legitur: *ἐκπορεύσονται*, et disertis verbis discrimen ponitur inter *ἀνάστασιν ζωῆς* et *ἀνάστασιν κρίσεως*. „Non videtur absurdum (inquit *Semlerus* in notis ad paraphrasin suam h. l.) si statuamus, Christum et hic duplicem, ancipitemque sententiam dixisse, quae quidem potius improprie, de *mortuis* significatu morali intelligenda sit, ut cap. II, 19. de templo diruendo. Sic per parabolas et allegorias emendabatur ignavus Iudaismus."

25. *Ὥσπερ — ἔχειν ἐν ἑαυτῷ*) *Sicut enim pater in se continet vitam; ita filio etiam hoc dedit, ut vitae causam in se haberet.* Forma loquendi: *ἔχειν τι ἐν ἑαυτῷ*, alii quoque N. T. scriptores utuntur, e. c. Matth. XIII, 28. *οὐκ ἔχει ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ*. Marc. IV, 17. IX, 50. 2 Cor. I, 9.; Ioannes vero hanc phrasin sensu quodam adhibet peculiari, de iis, quae quis non alibi, non aliunde, sed in semet ipso habet. Itaque *ἔχειν ζωὴν ἐν ἑαυτῷ*, est: *fontem vitae in se habere*, non aliunde vitam habere, sed pollere vi vitam conferendi, vitae auctorem esse. Quod si intelligitur de aseitate, de filio praedicari non potest: nam Pater ei *ἔδωκεν*, *concessit* ei hanc potestatem. Quum *ζωὴ* saepissime sit *felicitas*, posset etiam sensus esse: Sicut pater fontem felicitatis in seipso habet: ita etiam filio

hoc

hoc dedit, ut fontem felicitatis haberet in seipso, eamque aliis conferre posset. Rectius autem phrasis ἔχειν ζωὴν ἐν ἑαυτῷ coniungitur cum illa c. I, 4. ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, ubi not. cf. Iam vero quod attinet huius loci interpretationem, hoc, ut speramus, omnes largientur, sensum existere satis frigidum, si *vitam*, cuius Pater fons est, cuiusque fontem esse Filio quoque dedit facultatem, de sola intelligamus *vita vitali*, qua mortales hac in terra gaudent et quam aliquando mortui per Dei omnipotentiam recuperabunt. Hoc si statuas, immemor sis necesse est, quam Christus provinciam susceperit, nimirum hanc, ut in hominibus renascentiam illam efficeret, qua Dei liberi fieri possunt.

27. Καὶ ἐξουσίαν — κρίσιν ποιεῖν) *Sed iudicandi etiam* (homines) *potestatem ei dedit.* Declarat iudicii instituendi negotium ad Messiae provinciam pertinere. ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί) *Quia Messias est.* Significatur Logos, quatenus in Christo homo factus est, et ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου est titulus Messiae, ut ostendimus ad Matth VIII, 20. Messias est dominus a Deo nobis constitutus, cui nos subesse debemus. Is igitur iudicabit, utrum homines doctrinae, cuius auctor fuit, obsecuti fuerint, nec ne. Regula iudicandi ex eius doctrina, non ex Iudaismo petitur.

28. 29. Μὴ θαυμάζετε — ἀνάστασιν κρίσεως) *Nolite hoc mirari* (aegre ferre,) *nam venturum est tempus, quo omnes, qui in sepulcris sunt, audituri sunt eius vocem, et inde prodituri, ita, ut qui recte fecerint, felices, qui male, miseri sint futuri.* Verba μὴ θαυμάζετε τοῦτο, eruditi interpretes, etiam inter antiquiores, *Chrysostomus*, *Cyrillus Al.* aliique iuniores graeci

graeci ad comma 27. retrahunt, ut sensus sit: Nolite mirari quod filius hominis sit; etsi enim filius hominis est, filius est tamen etiam Dei. Itaque iudicii potestatem merito habet, tanquam filius Dei. Sed haec interpretatio vix locum habere potest. Sensus potius est is, quem in versione expressi. Verbis: μὴ θαυμάζετε τοῦτο, Iesus respicit ad ea, quae dixerat v. 25. Θαυμάζειν autem h. l. ut alibi saepe est *indignari*, *aegre ferre aliquid*, ut Marc. VI, 6. Io VII, 21. coll. v. 23. Gal. I, 6. Cf. *Abresch.* dilucidd. Thucyd. p. 306. Πάντες hoc loco sunt homines in universum, sublato Iudaeorum gentiumque discrimine, probi et improbi, sine discrimine omnes. Quanquam verba ἐν τοῖς μνημείοις, non plane repugnant eorum sententiae, qui etiam hoc commate moralem resuscitationem intelligunt (Ezech. XXXVII, 12. 14.), verba tamen: οἱ τὰ ἀγαθὰ et τὰ φαῦλα πράξαντες sicuti duplex ἀνάστασις, quae commemoratur, hanc interpretationem nullo modo admittunt. Potius iam ex iis, quae annotavimus ad versus antecedentes inde a comm. 21., cognoscitur, hoc loco de corporum resuscitatione sermonem esse. Totius vero orationis summa haec esse videtur: Omnes homines olim ex sepulcris procedent, alii ut aeternam nanciscentur felicitatem, alii ut in iudicium vocentur. Qui vero a iudicio liberari et vita aeterna donari se velint, eos dum humanam vitam agerent, Christum ad resurrectionem ex vitiorum somno vocitantem audivisse oportet. — Non tantum Iudaei, sed etiam gentes pro meritis praemia vel poenas ferent, ut colligitur ex iis, quae sequuntur. Cf. Rom. II, 7. sqq. Οἱ τὰ ἀγαθὰ — κρίσεως) *Qui virtuti operam dederunt*, (nempe prodibunt ex monumentis) *ut resurgant ad aeternam feli-*

felicitatem (fruendam), *qui autem sceleste vixerunt, ut resurgant ad poenas luendas* Ποιήσαντες, πράξαντες, studium et contentionem hominis includit, ut etiam *voluntas* et *inclinatio* in censum veniat. Ἀνάστασις ζωῆς, *resurrectio ad felicitatem fruendam.* Κρίσις, i. e. κόλασις, quia κρίσις ad improbos tantum pertinet.

30. Οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν) *Nihil quicquam ego perago ex mea sententia*, quae diversa sit a voluntate patris, propria auctoritate. Οὐ δύναμαι κ. τ. λ. hic sumuntur ut supra v. 19. Ἀφ' ἑαυτοῦ agit, qui proprio arbitrio agit. Omnem honorem Christus refert ad Patrem, a quo missus erat. καθὼς ἀκούω) *sicut accepi* patris iubentis sententiam; κρίνω, *ita iudicabo; a patre edoctus iudicabo.* Praesens pro Futuro; id enim praecedentia videntur exigere. Est aeternum Dei decretum et consilium, ut bonis bene, malis male sit in illo iudicio. Huic decreto obtemperabit filius; malos malis afficiet, bonos bonis. Administrabit iudicium ad normam divini decreti, non suo arbitratu. καὶ ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ δικαία ἐστὶν) *ideo iudicium meum est iustum.* Copula καὶ pro rationali. οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμόν) *Non enim tam quod mihi placeat, quam potius, quod ei qui me misit gratum est, peragere studeo.* Epexegesis ante dicti. Iudices, qui suis affectibus student, commodis, gloriae, ultioni, saepe ab aequo transversi aguntur. Nihil tale ego; non ducor a meis affectibus, sed id curo, quod patri gratum esse scio. ζητεῖν enim est *curare, studiosum esse alicuius, valde desiderare.* Vid. v. 44. ζητεῖν τὴν δόξαν τινός. Quanquam in hoc loco (v. 19 — 30.) nonnulla sunt δυσνόητα, facile tamen intelligitur, Iesum defen-

defendere suam auctoritatem adversus criminationes Procerum, qui ob sanationem die Sabbati peractam, e medio eum tollere decreverant, (v. 18.) simulque falsas Iudaeorum opiniones de vera Messiae provincia voluisse corrigere. De varia ratione, qua et veteres et recensiores hoc loco usi sunt, cf. *Lückii Geschichte der Auslegungen von Cap.* V, 21—30. in Eiusd Commentar. T. II. *Anhang A.* p. 559. sqq. Nunc v. 31. seqq. ostendit, ex ipsis factis, miraculis, doctrinae indole, et prospero rerum suarum successu apparere, se verum esse Messiam, a Deo missum.

31. Ἐὰν ἐγὼ — ἀληθής) *Si ego ipse me commendarem, commendatio mea vana esset.* Occurrit obiectioni, neminem in sua causa debere esse testem. Μαρτυρεῖν περὶ ἑαυτοῦ, *de se ipso aliquid laudabile praedicare.* Apud omnes gentes receptum est axioma: neminem de re sua testem validum esse posse. *Cic.* pro Roscio 36. *Itaque more maiorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent.* Plura loca habet *Wetstenius.* Quanquam testimonium illud, quod Christus de se perhibebat, omni fide erat dignissimum, Iudaeos tamen sine ratione credere noluit. Recte *Chrysostomus* ad h. l. monuit, Christi effatum non ἁπλῶς, sed πρὸς τὴν ἐκείνων ὑπόνοιαν intelligendum esse. Scilicet ex communi hominum opinione huiusmodi testimonium pro vero non haberetur. Sic repugnantia tollitur, quae inter hunc et alium locum c. VIII, 14. esse videtur.

32. Ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ) *Alius est, qui me* meamque auctoritatem *commendat.* Nonnulli intelligunt Ioannem, ob comma sequens. Sed repugnat com-

comma 34. ut mox videbimus. Designatur potius Deus pater, cuius auctoritatem revereri videbantur Iudaei. Legitur etiam h. l. *μαρτυρεῖ*, de Ioanne vero v. 33. *μεμαρτύρηκε*. Imprimis vero Deum testem significari colligi debet ex c. VIII, 18. Dixit autem testimonium pater, per res mirabiles a Christo gestas, et successum institutionis in animis hominum. Καὶ οἶδα — περὶ ἐμοῦ) *Huius quidem de me testimonium verum esse novi.* Sufficit mihi illa Dei commendatio; est enim testimonium omni exceptione maius.

33. Ὑμεῖς ἀπεστάλκατε πρὸς Ἰωάννην) Publica auctoritate misistis ad Ioannem, quem ipsi fecistis plurimi. Itaque nec humanum testimonium deest. Io I, 19. seqq. Καὶ *μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ*, *et verum professus est*, sc. se non esse Messiam, sed alium post se publice proditurum. *τῇ ἀληθείᾳ*, Dativ. ut c. III, 26. *τῷ λόγῳ* Actor. XIV, 3.

34. Ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω) *Ego vero non utor testimonio hominis.* *οὐ λαμβάνω*, non capto, non aucupor hominis alicuius, quicunque tandem sit, commendationem. Λαμβάνειν hic non est *sumere*, sed *captare*, *comprehendere*, qua significatione exteri quoque scriptores hoc verbo utuntur. Vid. *Bretschneideri* et *Wahlii* Lexx. sub h. v. Licet Ioannes negarit, se esse Messiam; licet me idem haud obscure commendaverit, ego tamen humana hac auctoritate et commendatione ad vos non utar, quia et vos Ioannem contemnitis, postquam intellexistis eum vestris consiliis, studiisque pravis operam dare nolle. ἵνα ὑμεῖς σωθῆτε) *Ut vos ad meliorem mentem adducemini.* Amolitur a se gloriae cupiditatem. Nihil mihi vindico nisi vestri causa. Admoneo

vos

vos illius testimonii Ioannei, ut vos lucrifaciam, ut vos a contumacia vestra abducam ad me audiendum. Sane, inquit, si ea quae Ioannes de me testatus est credere-tis, fieri posset, ut eo magis promti paratique red-damini ad meam dignitatem agnoscendam, quo σωτηρίαν, veram salutem consequamini.

35. Ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων) *Erat ille similis lucernae ardenti et lucenti*, i. e. doctor veritatis magnus et clarus. ἦν) *erat*, tempore praeter.; videntur itaque haec dicta capto Ioanne. λύχνος vocatur Ioannes, non τὸ φῶς, ut distinguatur a Messia. Vide supra c. I, 8. 9. λύχνος est exigui temporis, et spatium minus illustrat; τὸ φῶς τοῦ κόσμου, sol, cui Christus similis, lucet universo orbi. Frequens est in litteris sacris comparatio doctoris cum luce. De Elia propheta Sirac. XLVIII, 1. ἀνέστη ὡς πῦρ, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ὡς λαμπὰς ἐκαίετο, *apparuit tanquam ignis, et doctrina ipsius tanquam fax ardebat.* καίεσθαι et φαίνειν differunt, quod καίεσθαι principium τοῦ φαίνειν. ὑμεῖς — ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ) *Vos autem vix ad breve tempus voluptatis quasi causa eius lucem admittere voluistis*, ut pueri, qui delectantur visu lucis, sed usum eius non habent; i. e. *institutione eius aliquamdiu delectati estis.* ἠθελήσατε) Quod meliorem *voluntatem* non habuissent, Iesus Iudaeos obiurgat. Ἀγαλλιασθῆναι) *exultare*, maxime in sriptoribus ecclesiasticis. Cum exultari vix posset de severis Ioannis admonitionibus: *delectari eius doctrina* hic vertitur. Sed de vividiori gaudio enunciatur ἀγαλλιασθῆναι *sibi ingenue gratulari* de re ad religionem pertinente, ut c. VIII, 56. Luc. X, 21. Ostendit Iesus Iudaeorum inconstantiam, qui Ioannem aspernari coepe-

coeperunt, postquam intellexerunt, eum consiliis eorum non prodesse. *πρὸς ὥραν*, ad breve tempus, ut 2 Cor. VII, 8. Gal. II, 5. 1 Thess. II, 17. Iam cohaeret v. 36.

36. Ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου) i. e. *μείζω τῆς μαρτυρίας τοῦ Ἰωάννου*, *ego vero graviorem habeo commendationem illa Ioannea.* Licet illam Ioannis commendationem nolitis admittere, eiusquippe iam adversarii; maiori tamen et summa hac alia utor adversus vos *τὰ γὰρ ἔργα — ἀπέσταλκε) Negotia illa, quae pater me peragere iussit, quaeque perago* (prospero successu) *comprobant, me a Patre esse missum* Saepe advocat operum mere divinorum testimonium, adversus quae nulla erat cavillatio. Cf. infra c. IX, 32. 33. X, 25. 37. XIV, 10. 11. XV, 24. *τὰ ἔργα*, de quibus Christus loquitur, sunt non tantum *miracula*, sed significantur *omnia* Domini facinora, totaque Messiae provincia inde ab initio muneris usque ad eius *finem* — *ἵνα τελειώσω* Vid. c. XVII, 4. *Δοῦναι*, h. l. est *mandare*, *tribuere.* In verbis *αὐτὰ τὰ ἔργα* est elegans anaphora, qualis illa: *Pallas te hoc vulnere, Pallas immolat.* Habet enim emphasin istud loquendi genus.

37. Μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ) Per prophetas iam olim de me perhibuit testimonium, coll. v. 39. *Μεμαρτύρηκε* non positum est pro Praesenti; illa enim testimonia iam ex longo tempore erant prolata. Cogitandum esse testimonium illud, quod Deus in Christi baptismate perhibuisse traditur, multorum fuit sententia. Quo minus autem vocc. *φωνὴ*, *εἶδος* ad c. I, 33. referantur, obstat cum voc. *αὐτοῦ*, tum *πώποτε*. Latius haec patent, et ex v. 38. 39. intelligitur, Iesum in

mente

mente habuisse declarationes Dei de Messia futuro, quae in libris V. T. insint. οὔτε φωνὴν — ἑωράκατε) *Cuius quidem nec vocem unquam audivistis, nec faciem vidistis.* Minime vero nunc locus erat, de Deo tanquam numine incorporeo, quod oculis conspici nequeat, disserendi. Sed *audire vocem* Dei et *cernere* Deum est agnoscere et audire spiritu, id est percipere vocem in corde et vivificari per eam. Vocc. φωνὴ et εἶδος sunt symbolica, cuiusmodi legimus v. 25. et cf. c. I, 18. III, 32. Deus, inquit, cuius nunquam consilia, quae vobis aperuit, plane perspexistis, Pater, cuius vocem audire noluistis, is de me testatus est; sed vos non tenetis eius declarationem, quia ei, quem ille misit, fidem non habetis. Vehementer Iudaeos reprehendit, quod, quae e sacris scripturis cognoscere animoque tenere potuerint, non voluerint percipere. Quae v. 36. dicta erant, ea v. 37. 38. accuratius evolvuntur verbisque clarioribus definiuntur. Respicitur fortassis ad illam Iudaeorum opinionem de divina auctoritate Mosis, qui Deum in monte Sina *loquentem*, eiusque *vocem* audiverit.

38. Καὶ τὸν λόγον — οὐ πιστεύετε) *Sed doctrinam eius non constanter tenetis, quia ei, quem ille misit, non habetis fidem.* Ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, *doctrina divina*, quam habebant Iudaei in libris veteris Testamenti, cuius vim non sentiebant; σαρκικὰ et humilia quaerebant in libris sacris, non veram Dei voluntatem. Μένειν, *perseverare, constanter inesse*, est formula nostro usitatissima. 1 Ioh. II, 14. 24. ὅτι est hic ἀποδεικτικόν. Apparet, verum esse, quod dico; nam ei, qui a Deo missus est, fidem habere pertinaciter recusatis.

39.

39. Ἐρευνᾶτε — ἐμοῦ) *Diligenter legitis sacros libros, quod censetis, vos eorum institutione ad felicitaten perventuros esse; iam vero illi de me testantur.* Plurimi interpretes in *Imperativo* explicant, et putant, vocis ἐρευνᾶν eam vim et emphasin esse, ut denotet, *aliquid cum maxima ἀκριβείᾳ, animi attentione, et cum magno animi conatu quaerere.* Sed hoc falsum est; nam vox ἐρευνᾶν *quamcunque inquisitionem, sive remissiorem illam sive accuratiorem* denotat. Sic est apud *Iosephum Ant.* II, 6, 7. de scypho Iosephi, in sarcinis fratrum illius quaerendo. Itaque Scriptores, studium inquirendi paullo accuratius expressuri, adiecta aliqua voce id indicant. Sic *Philo de Mundi Opif.* p. 14. de naturae perscrutatoribus paullo diligentioribus: οἱ τὰς Φύσεις τῶν πραγμάτων ἀκριβέστερον ἐρευνῶντες. *De Sacrif. Cain et Abel.* ἐρευνᾶν μετὰ πάσης ἀκριβείας. *Indicativus* omnino intelligendus est ex orationis ipsa serie: *Multum quidem studii in Scripturas V. T. collocare videmini.* Neutiquam Christus reprehendit lectionem librorum V. T., neque ex iis doctrinam salutiferam hauriri posse negat, sed vituperat tantum falsas interpretationes Pharisaeorum, qui auctoritate illa librorum sacrorum abutebantur, ad impediendam liberalem et salubrem cognitionem Dei et verae salutis, et dicebant, non homines doctos, sed infelicem tantummodo populum, qui non γινώσκει τὸν νόμον, eo labi, ut Christi sermonibus aurem praebeat. Io. VII, 49. ὅτι ὑμεῖς — ζωὴν αἰώνιον ἔχειν) i. e. Quia putatis in illis extare promissionem maioris, quae vobis instet, felicitatis, cuius Deus per Messiam auctor futurus sit; monstrari in illis viam ad perpetuam felicitatem. Ἡ ζωὴ

αἰώνιο

αἰώνιος h. l. non significat felicitatem aeternam in altera illa vita, sed perpetuam huius vitae felicitatem in regno Messiae. καὶ ἐκεῖναί — περὶ ἐμοῦ) *Atqui illi ad me vos reiiciunt*, nempe in omnibus iis locis, in quibus de auctore novae religionis, de regno sempiterno etc. vaticinantur. περὶ ἐμοῦ, nempe, quid efficiendum sit per Messiam, novi foederis auctorem. καὶ hic est *atqui*. Confirmat Christus eam vulgatam thesin: Iudaei uti debent Scriptura S. ad invenienda religionis capita; sed iam Iudaei negabant, ea, quae de Messia legebantur, convenire in Iesum; frustra igitur libros sacros legebant.

40. Καὶ οὐ θέλετε) καὶ h. l. est *nihilominus, tamen;* qua notione quoque occurrit c. VI, 36. Matth. X, 20. Iac. III, 5. neque aliter apud *Iosephum Ant.* II, 6, 11. ἐλθεῖν πρός με) *Doctrinam meam admittere,* ad partes meas accedere. Nam *venire ad aliquem* describit obsequium discipulorum. Sensus est: Ipsi statuitis, scripturas S. id promittere, Deum olim hominibus cunctis aditum ad salutem per Messiam patefacturum; ego vero omnibus hominibus gratiam Dei et salutem offero; nihilominus adeo pravi estis Scripturae defensores, ut negetis, fas esse eam rem a me fieri.

41. Δόξαν — λαμβάνω) *Non capto gloriam inter homines;* non dico hoc, ut magnum hominum plausum mihi conciliem, et laudari velim ob magnum discipulorum numerum. Cf. com. 34. Δόξα h. l. eodem sensu accipitur, quo v. 44. de *gloria* et existimatione. Sunt haec in parenthesi dicta; nam v. 42. cohaeret cum v. 40. Λαμβάνειν hic eodem sensu accipiendum est, quo v. 34.

42.

42. Ἀλλ' ἔγνωκα — ἐν ἑαυτοῖς) *Sed scio, vobis non inesse amorem Dei.* Scio, nempe ex vestris dictis et factis, vos non probare divina consilia ad vestram salutem, ideoque doctrinam meam non admittere. Ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, *habere secum*, h. l. simpliciter est *habere*, et *amorem erga Deum habere* complectitur simul animum obsequendi, et recte utendi oblato beneficio. Si Deum amaretis, foretis amici eius, qui cuncta ad Deum refert, ac, cf. v. 44. suam ipsius auctoritatem a solo Deo habet. Ἀγάπη τοῦ θεοῦ est ἡ πρὸς τὸν θεὸν, erga Deum, sicut: *patris pudor.* Ἔγνωκα, praeterit. tempus non urgendum est.

43. Ἐγὼ — λήψεσθε) *Ego veni ad vos auctoritate Patris mei,* (divina potestate atque auctoritate praeditus,) *nec tamen me admittitis: alius si venerit propria auctoritate* (nulla afferens signa divinae legationis, falsus Messias, *eum admittetis.* Ἔρχεσθαι saepe, ut hic, *in publicum prodire.* Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς venire, dicitur is, qui ostendit, se non sua auctoritate, sed iussu Dei tanquam legatum divinum prodire, et tradere ea, quae Deus ipsum docere iusserit. Λαμβάνειν h. l. metaphorice est *assentiri*, *fidem habere*, *obsequi*, ut c. I, 12. III, 32. 33. ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ) *Propria auctoritate;* id enim valet hic ὄνομα, ut Act. IV, 7. et alibi saepe. Ἄλλος, alius quis, qui nomen meum usurpabit, ψευδόχριστος, Messiae dignitatem sibi tribuens. Cf. Matth. XXIV, 4. Marc. XIII, 22. Talis fuit *Barchochebas,* quam omnes fere Iudaei, et inter eos R. Aquiba, qui eius armiger erat, ut Messiam receperunt. ἐκεῖνον λήψεσθε) *Eum sequemini*, sc. quia vitia vestra non deteget; vobis blandietur.

44.

44. Πῶς — δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες) *Qui fieri possit, ut mihi fidem adhibeatis, qui vobis mutuo placere studeatis?* Verba posteriora causam continent, cur fidem habere doctrinae Christi nequeant. Vanae gloriae cupiditas eos impediebat, quo minus meliorem Christi doctrinam admitterent. Nempe solemnes erant illae formulae: *Dixit Rabbi — quod dixerit illi Raf* etc. quae doctorum nomina sancta et sacra esse solebant. Hic quis tandem locus esset novo et meliori doctori? Deinde etiam Pharisaeus a Pharisaeis volebat laudari, assessor Synedrii ab assessoribus Synedrii. Nemo igitur audebat Christum sequi, non Pharisaeus, ne a Pharisaeis iudicaretur stultus, non assessor Synedrii, ne ab iisdem condemnaretur. Cf. c. XII, 43. καὶ τὴν δόξαν — ζητεῖτε;) *Non Deo soli probari studeatis?* Δόξα παρὰ τοῦ Θεοῦ, *favor Dei.* Ζητεῖν, *appetere.* ζητεῖτε positum est pro ζητοῦντες, nam idem nexus cum antecedentibus continuatur; solent Hebraei itidem participio praemisso pergere verbo finito. Potius hominibus, quam Deo vestro probari contenditis. Facile perspicere possetis, multo maiore honore dignum esse eum, qui Deo obsequitur, quam eum, qui reveretur Rabbinos; sed parvi facitis hunc verum honorem, quem vobis vult decernere ille, qui solus est Deus; neque tantum Deo tribuitis, ut me esse verum Messiam fateamini.

45. Μὴ δοκεῖτε — πατέρα) *Nolite existimare, me vos apud Patrem accusaturum*, vobis iratum *esse.* Non isto consilio haec vobis dico. Nihil me opus erit accusatore, quem vobis inimicum putatis. ἔστιν ὁ κατηγ. — ἠλπίκατε) *est qui vos accuset Moses, in quo spem collocastis.* Ἠλπίκατε, *sperastis*, i. e *spem*

collocastis. Mosis autem nomen h. l. ponitur pro *doctrina Mosis*. Ex scriptis eius, quae a vobis leguntur, facile patet, vos esse inexcusabiles, dum mihi fidem non adhibetis. Hoc dicit: Moses, qui divina auctoritate vobis leges, promissiones, verum etiam comminationes exhibuit, vos coram Deo in ius vocabit, quia quoad mores et intelligentiam non ita comparati estis, uti legislatoris instituta ferunt.

46. Μωσῆ) *Scriptis eius*, ut Luc. XVI, 31. ut statim com. seq. explicatur. Περὶ — ἔγραψε) Non tantum definivit ac docuit, quibus notis legatus divinus a falsis dignosci posset Prophetis, sed etiam de praestantioris religionis auctore olim venturo, praemonuit; Deut. XVIII, 15. seqq. Disputat Iesus ex concessis. Siquidem persuasos vos haberetis, Mosis scriptis vaticinia de Messia contineri, crederitis forsan et mihi.

47. Εἰ δὲ τοῖς — πιστεύσετε) *Quodsi eius scriptis fidem denegatis, quomodo verbis meis fidem habebitis?* Γράμματα et ῥήματα opponuntur. Mosis praecepta litteris consignata habetis, ut ea decies legatis et consideretis; si tam inconsiderati estis in scripto expendendo, mirum non est, si verba mea aures vestras praetervolant. Si Mosi, cuius auctoritas apud vos summa est, et iam a multis seculis fuit, non creditis, multo minus credetis Doctori novo, de cuius auctoritate divina vobis nondum constat.

CAP. VI.

1. Μετὰ ταῦτα — Τιβεριάδος) *Post haec Iesus inde discessit, et trans mare Galilaeae, prope Tiberiadem se contulit.* Μετὰ ταῦτα, *aliquanto post tempore*, quod

quod non definitur. Cf. Matth. XIV, 13. Marc IV, 30. Luc. IX, 10. seqq. Ioannes temporis ordinem non accurate servat, sed colligit tantum insignia documenta, quibus Iesus se Messiam esse ostendit. Igitur h. l. transilit multa a ceteris memorata; neque hanc de auctis panibus historiam ab aliis tractatam referret, nisi id desideraret sermo eximius Christi hac occasione habitus. Lucas tradit, (cap IX, 7. sqq.) Iesum, quum necem Ioannis baptistae comperisset, eique nuntiatum esset, Herodem tetrarcham eum videre velle, se contulisse in locum solitarium oppidi, cui Bethsaidae nomen erat, siti in Gaulanitide inferiori ad littus lacus Genesarae orientale. De situ urbis Bethsaidae, non confundenda cum alia eiusdem nominis, vid. *Pauli* Commentar. Tom. II. pag. 306. (337. ed. sec.) sqq. Antiquitus pro Τιβεριάδος nonnulli legerunt εἰς τὰ μέρη τῆς Τιβεριάδος. Tiberias est oppidum Galilaeae, ad occidentale latus lacus situm. Probabile tamen est, Tiberiada non de regione urbis, sed de lacu accipiendum esse, ut lacum transnavigasse dicatur. Fortasse τῆς Γαλιλαίας est tollendum; nam mare Galilaeum dicebatur etiam mare Tiberiadis.

2. Καὶ ἠκολούθει — ἀσθενοῦντων) *Et secuta est eum magna hominum multitudo, quia viderant eius miracula, quibus aegrotorum valetudinem restituerat.* Ἑώρων verti potest, vel *viderant*, vel *videre cupiebant*. Probabile est, non tam cupiditatem horum hominum indicari, quam potius causam, quae eos impellebat, ut ad eum proficiscerentur, quia nempe iam viderant insignia eius opera. Fortassis tamen utrumque indicatur, secutos esse Christum homines

partim ut beneficio uterentur, partim ut fruerentur spectaculo.

3. Ἀνῆλθε — μαθητῶν αὐτοῦ) *Iesus autem in montem secessit, ibique cum discipulis consedit.* Τὸ ὄρος nunc indefinite est *montana regio*, nunc certus quidam mons, et hoc quidem loco montana regio non longe ab urbe Bethsaida, et singulatim regionis illius quidam mons, in quem Iesus saepe solus secedebat. Cf. v. 15. Καθῆσθαι, vel est *versari*, commorari aliqua in regione, vel proprie accipi potest, considere docendi causa.

4. Ἦν δὲ — Ἰουδαίων) Haud dubie indicare vult Ioannes, qui factum sit, ut illo tempore tanta multitudo ad Iesum confluueret. Propter Paschatis propinquitatem maior iam turba ex undecunque Hierosolyma proficiscentibus conveniebat. Hic inveniunt ii, qui contendunt, Iesum doctorem duo tantum Paschata Hierosolymis celebrasse, difficultatem chronologicam. Nam cap. II, 13. dicitur Iesus profectus esse ad festum paschale; cap. etiam V, 1. nonnulli idem hoc festum intelligi volunt, et cap. VII, 2. non festum paschale, sed σκηνοπηγίας prope fuisse traditur. Proinde nonnulli existimarunt, vocem τὸ πάσχα hic ex glossemate natam esse a sciolo, qui de Paschate hic sermonem esse putaverit, cum festum tabernaculorum innui, ex cap. VII, 3. constet. Vid. *Guil. Bowyeri coniecturas* ad h. l. Totum comma 4. interpolatum esse existimavit *Pearcius* in Commentar. ad h. l. Cf. et *Marsh Anmerkk. und Zusätze zu Michaelis Einl. in das N. T. a. d. Englisch. von E. F. C. Rosenmüller.* At vero omnes Codd, Verss. et Patrr. verba

verba huius versus constanter retinent et Ioannes consulto, ut iam diximus, ea adiecit.

5. Ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμούς, *sustulit oculos*, pleonastice positum est, ex Hebraismo, ut Luc. XVI, 23. Gen. XXII, 4. Ἔρχεσθαι, *accedere*, nempe audiendi causa. Λέγει πρὸς Φίλιππον — φάγωσιν οὗτοι;) Non statim post adventum multitudinis interrogavit Iesus Philippum de victu quaerendo, sed postquam iam aliquamdiu apud eum commorati erant. Vid. Matth. XIV, 15. Marc. VI, 36. Luc. IX, 12. Non male *Bengelius* coniicit: fortasse Philippus rem alimentariam curabat inter discipulos. Ut enim Iudas dicitur marsupium portasse, atque in eo collegisse, quod donabatur, ita fuit etiam haud dubie, qui cibis parandis prospiciebat. Qui enim in his regionibus minus frequentatis iter faciebant, ii solebant alimenta secum portare. *Moschius* in explicatione Pericoparum suspicatur, Iesum propterea interrogasse Philippum, quod hic fuerit Bethsaidensis, (Io. I, 44. XII, 21.) adeoque, ut regionis peritus, facilius cibos comparare potuerit. Sed hoc non satis certum est. Πόθεν, *a quo homine?* vel: *quanam pecunia?* Philippus pecuniam intellexit. Ἄρτοι h. l. proprie sunt *panes*. Φάγειν, *saturari*, v. 7. Multitudo sua alimenta aut omnino, aut maximam eorum partem absumserat.

6. Τοῦτο δὲ — ποιεῖν.) *Hoc autem dixit eum exploraturus; etenim ipse fere noverat, quid facturus esset.* Ioannes hic, ut saepe solet, iudicium suum interposuit. Πειράζειν, *sententiam, mentem, animum, virtutem explorare*, aut bono, aut malo consilio. Haud dubie Iesus explorare voluit, an Philippus

lippus ei fidem esset habiturus, eiusque potentiae confisurus.

7. Διακοσίων δηναρίων ἄρτοι) *Ducentis denariis emti panes.* Δηνάριον, latina vox *denarius*, fuit nummus argenteus Romanorum; qui etiam in usu erat apud Iudaeos, quum a Romanis subiugati essent. Constitit decem assibus, seu quatuor sestertiis, et constituit octavam partem nostri Imperialis, seu tres grossos. Denarium Iudaeis solvendum fuisse pro censu, docent Matth. XXII, 19. Marc. XII, 15. Luc. XX, 24. ἵνα ἕκαστος αὐτῶν βραχύ τι λάβῃ) *ut unusquisquam exiguum quid accipiat.* Vix ad gustandum tam multis sufficerent, dicit Philippus. βραχὺς, *paucus, exiguus*, Actor. XXVII, 28. Hebr. II, 7. 9. Alexandrini Interprr. ponunt pro מְעַט 2 Sam. XIX, 36. Prov. V, 14.

9. Παιδάριον, h. l. adolescens, puer adultior. Saepe ponitur pro hebr. נַעַר, quod de prima aetate usque ad virilem dicitur, Gen. XLIV, 30. Ies. XL, 30. Tob. VI, 2. X, 13. Nomina diminutiva apud Graecos saepe habent vim nominum primitivorum. Cf. *Fischeri* Proluss. p. 256. Quamquam voc. παιδάριον etiam significat *servum*, עֶבֶד, 1 Sam. XXI, 7., hoc tamen loco non idonea est ratio, ut de servo cogitetur. *Panibus hordaceis* apud Veteres plerumque utebantur homines vilioris sortis. *Seneca* epist. 13. *Sueton.* Aug. c. 24. Vid. Wetsten. ad h. l. Δύο ὀψάρια, *duo pisces*; δύο ἰχθύες *assati*, ut Matthaeus, Marcus et Lucas habent. Ὄψον ita diminuitur, ut fiat ὀψάριον. Est autem ὄψον quicquid in macello venit, quod προσψάγιμον sive προσφάγιον dicitur et προσόψημα, et de

de cibo lautiore exquisitioreque usurpatur, unde Grammatici belle deducunt nomen istud ἀπὸ τοῦ ὀψέ, i. e. sero; nam delicatis opiparisque cibis sero homines esse usos, quos prisca aetas ignoravisset. *Athenaeus* L. VII, 2. p. 236. ὄψον docet proprie appellari, quicquid cibi igne coquatur; sed διὰ τὴν ἐξαίρετον ἐδωδήν, i. e. quod cibus iste eximius sit, solos pisces istam appellationem obtinuisse. *Glossarium:* ὀψάριον, pisciculus. *Suidas:* ὀψάριον τὸ ἰχθύδιον. τί ἐστιν εἰς τοσούτους;) Quid sunt? Nihil, inquit, ad tam multos.

10. Ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν) *Iubete homines discumbere.* Ἀναπίπτειν, idem quod κατακλίνειν. Iudaei convivantes tunc temporis non sedebant, sed iacebant. Ἦν δὲ χόρτος πολὺς, *gramen multum:* erat autem tempus vernum. Οἱ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ πεντακισχίλιοι) *Erant circiter quinque millia hominum.* Ἀνὴρ saepe est *homo*, nulla habita aetatis et sexus ratione, ut Luc. XI, 31. Matth. VII, 24. Iac. I, 20. Sed Matth XIV, 21. additur: χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων, ut adeo *viri* sint intelligendi. Τὸν ἀριθμὸν, subaud. κατὰ *quoad numerum.*

11. Καὶ εὐχαριστήσας) *Et quum gratias egisset.* Ceteri Evangelistae habent: εὐλόγησε. Utrumque verbum usurpatur de precatione, priusquam cibus caperetur, more Hebraeorum recitanda. Verba: τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ valde suspecta sunt, et adiecta videntur, ne diversae sint Evangelistarum narrationes. Nulla tamen est difficultas, quia dat etiam qui per alium dat; facit qui per alium facit. Si vel maxime Iesus discumbentibus dedisse panes traditur, tamen et sic discipulos ea in re ministerium adhibuisse censendum erit. Verbis

ὅσον

ὅτον ἤθελον, *quantum volebant*, coll. seq. ἐνεπλήσθησαν, Ioannes aperte utitur, ut et de veritate et de magnitudine miraculi eo certius constaret.

13. Καὶ ἐγέμισαν — τοῖς βεβρωκόσιν) *Atque duodecim canistra frustorum, quae convivis e quinque panibus hordaceis superfuerant, impleverunt.* κοφίνους) Vide dicta ad Matth. XIV, 20.

14. Οἱ — ἐποίησε σημεῖον) Maius, quam quod Moses fecerat, panem non dans, sed impetrans de coelo, et quidem panem merum, sine obsonio, et cuius nullae superessent reliquiae. ὅτι οὗτος) ὅτι hic, ut alibi, πλεονάζει. ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος, i. e. *qui venire debebat*, et proprie intelligebatur Messias, Luc. VII, 19. quem eundem et maximum prophetam fore eo tempore sibi persuaserant Ab hoc solo expectabantur maiora, quam Moses praestiterat. Miraculum fuisse negat *Paulus* in Commentar. Tom. II. p. 266. (295. 2dae ed.) sqq. usus, ut mihi quidem videtur, non satis firmis argumentis. Quamquam vero, quomodo res ipsa evenerit, definire nemo iam potest, de eo tamen dubitari nequit, Ioannem observari voluisse a lectoribus, exigui cibi vim et copiam mirum in modum auctam fuisse per Christum. Hinc etiam in iis quae sequuntur addit, Iesum tantam sui admirationem hominibus illis iniecisse, ut eum Messiam praedicarent regemque proclamare vellent. Vid. etiam quae Iesus ipse dixit v. 26.

15. Ἰησοῦς — αὐτὸς μόνος) *Iesus igitur, quum cognovisset, eos abstracturos* (vi abducturos) *eum esse, ut regem crearent, iterum ipse solus in montem secessit.* Respicitur ad v. 3. ἁρπάζειν est, *celeriter*

ter aliquem arripere, vi abducere. Sic de Abrahamo dicitur, Isaacum filium corripiente et arae imponente apud Philonem de Abr. p. 374. C. *τάχιστα τὸν υἱὸν ἐξαρπάσας, ἐπιτίθησι τῷ βωμῷ, celeriter correptum filium arae imponit.* Eodem sensu Tacit. Hist. I, 26. 27. *rapere* dixit. Etiam invitum arripere eum, et aliquo perducere volebant, ubi inauguraretur, et quidem rex terrenus. *ἀνεχώρησε*) Videtur praecipue eo pertinere, ut interea illa multitudo, hac illac dilapsa, ob minorem sociorum numerum a regis prodendi consilio desisteret.

16. 17. Ὡς δὲ — ὁ Ἰησοῦς) *Vespere discipuli ad lacum abierunt, et ingressi navem traiicere lacum versus Capharnaumum coeperunt. Iam vero tenebrae ingruerant, neque Iesus ad eos venerat.* Cf. Matth. XIV, 22. Marc. VI, 45. De usu voc. ὀψία vid not. ad. Matth. XIV, 15. Luc. XXIV, 29. Ἤρχοντο πέραν τ. θαλάσσης, *transibant mare*; nam ἔρχεσθαι interdum pro *ire, proficisci* ponitur, coll. Marc. I, 45. II, 13. Genes. XVIII, 22. Hoc sensu h. l. accipiendum esse, inde patet, quod ea, quae statim narrantur, evenerunt navigantibus in mari, et Capernaumum tendentibus. Εἰς Καπερναούμ, *versus* Capernaumum. Marc. VI, 45. narratur, Iesum discipulos iussisse προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν; de qua locorum diversa significatione certi quid definiri non potest. Ioanni tamen maior quam Marco fides habenda est.

18. Διηγείρετο) *Intumuit, concitabatur*, i. e. fluctus procellis ventorum excitabantur.

19.

19. Ἐληλακότες — τριάκοντα) *Quum fere stadiis viginti quinque aut triginta provecti essent.* Ἐλαύνειν in re nautica, per metonymiam, omisso Substantivo ναῦν significat *navigando et remigando provehi*, quasi *navem remis propellere.* στάδιος, vel στάδιον est spatium et intervallum pedum sexcentorum, seu passuum CXXV. aut secundum Talmudistas CCLXVI. passuum. Secundum nonnullorum computationem triginta duo stadia faciunt milliare germanicum, quod continet quater mille passus. Ἐπὶ τῆς θαλάσσης potest esse *ad* lacum, et *in* lacu. Vid. notata ad Matth. XIV, 25. Γίνεσθαι, pro εἶναι.

21. Ἤθελον — ἐπῆγον) *Itaque lubenter eum receperunt, atque navis non ita multo post ad littus, quod petebant, appulit.* Θέλειν h. l. non meram voluntatem indicat, sed potius discipulos magna cum voluptate eum recepisse. Saepius enim scriptores Graeci verbum ἐθέλειν Infinitivo alius verbi adiicere solent eodem sensu, quo Adverbium coniungitur cum verbo finito. *Xenoph. Cyrop.* I, 1, 3. Κύρῳ ἴσμεν ἐθελήσαντας πείθεσθαι. Ibid. ἤθελον ἀκούειν. I, 5, 19. κινδυνεύειν σὺν ἐμοὶ ἐθελήσατε. Neque tamen *Semleri* interpretatio spernenda est: *itaque laeti eum in navem recipere optabant: statim vero* (dum id agerent) *ripae proxima fuit navis, atque sic navem in terram subduxerunt.* Cf. Matth. XIV, 32. Marc. VI, 51. Vid. *Glassius* in Philolog. Sacra p. 276. edit. *Dathii.* τὸ πλοῖον ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς) Ἐγένετο dictum pro παρεγένετο, *pervenit*, ut infra v. 25. Sic apud optimos scriptores occurrit, e. g. Theophr. C. E. Cap. 1. et apud Philonem saepius, ut patet ex locis a *Loesnero* allatis. Εὐθέως multi vertunt *statim*, sed etiam explicari

explicari potest: *non ita multo post*, nempe cum tranquillitas maris et ventus secundus permitterent.

22. Τῇ ἐπαύριον — ἀπῆλθον) *Postero die, turba quae substiterat trans lacum, quum sciret, nullam ibi aliam adfuisse navim, nisi unam illam, quam conscenderant eius discipuli, neque Iesum cum suis discipulis ingressum esse navim, sed solos discipulos abiisse.* Ὁ ἑστηκώς, *quae constiterat*, quae remanserat ibi, sc. deliberans, quomodo Iesum declararet regem. Verba ἐκεῖνο, εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ desunt in optimis Codd. quibusdam et antiquis Verss. plerisque; videri possunt glossematis speciem prae se ferre.

23. Ἀλλὰ δὲ — κυρίου) *Iam vero alia a Tiberiade venerant navigia ad locum illum, in quo epulati fuerant, domino preces faciente.* Φάγειν τὸν ἄρτον est simpliciter *epulari*, *coenare*. Εὐχαριστήσας dicitur ὁ κύριος eo sensu, quod instituerit illam coenam. In verbo εὐχαριστεῖν non inest notio consecrandi vi miraculosa. Hoc comma per parenthesin additum est, ut appareret, unde multitudo habuerit navigia, quibus secuta est Iesum.

24. Ὅτε οὖν — τὸν Ἰησοῦν) *Quum igitur illa turba nec Iesum, nec discipulos eius ibi esse videret, his navibus conscensis Capharnaumum venit, Iesum quaesitura.* Ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος) Repetitio eius, quod v. 22. praecesserat *ἰδὼν*, ob interiecta diuque tracta verba. Ἐμβαίνειν in re nautica *conscendere* in navem. Καὶ post ἐνέβησαν deest in codd. plurimis. Ἦλθον εἰς Καπερναούμ, *ad urbem, versus urbem* Capharnaum appulerunt. Sequitur colloquium Iesu cum

cum Iudaeis, in quo multa allegorica occurrunt. Sunt, qui existiment, Ioannem colloquia non ita consignasse, uti habita sint, sed ita, ut sua allegorice dicendi ratione uteretur, ut non tam ipsa verba Iesu, quam sententias referret. Alii rectius censent, Ioannem sermones Iesu brevius retulisse; et profecto occurrunt nonnulla, quae probabile reddunt, deesse quaedam, quorum omissio obscuritatem parit.

25. Καὶ εὑρόντες — θαλάσσης) Addendum est: in Synagoga Capernaumitica, cf. v. 59. Πότε ὧδε γέγονας;) *Quando huc advenisti?* De tempore quaerebant, quoniam ex eo colligere volebant, quomodo huc venisset. γέγονας, pro παραγέγονας, ut supra v. 1. Etiam Latinis interdum *esse* est, quod *venire*. Sueton. in August. c 16. *Militibus in conspectum fuisse*, i. e. venisse. Non dubitabant de miraculo, quia navi eum venisse non constabat, pedestre autem iter erat longissimum.

26. Ζητεῖτέ με — ἐχορτάσθητε) *Quaeritis me, non quod miracula vidistis, sed quod panes comedistis ad satietatem*, i. e. non ingenuo consilio, non tam propterea, quod miracula vidistis, quae, si animum adverteretis, vobis essent divinae auctoritatis documenta, me quaeritis, quam ideo quod ex iis voluptatem corpoream externaque commoda speratis. Saepe enim negantur res simpliciter, quae comparationem aut correctionem innuunt. Igitur οὐχ ὅτι — ἀλλ' ὅτι verti debet: *non tam propterea quod — quam ideo etc.* Nonnisi utilitatem corpoream quaerebant ex miraculis Christi. Talem etiam optabant Messiam, qui huius vitae bonis eos ditaret, et efficeret, ut in otio et voluptate

voluptate vitam transigere possent. Locum hunc v. 26—63. exposuit *K. C. Lud. Schmidt* in *Io. Ern. Chr. Schmidii* Bibliotheca. Tom. II. p. 387. seqq. Ceterum plerique Interpretes existimant, aut Dominum illis hominibus curiositate tantum ductis (v. 25.), interrogantibus nihil respondisse, sed statim eos allocutum esse verbis quae sequuntur; aut Ioannem Christi responsionem praeteriisse. Hoc fieri potuisse negari nequit. Rectius tamen alii monere videntur, responsum dari v. 26., sic tamen, ut statim ad causam respiciatur, qua commoti homines illi quaesitum venerant, et sic transeatur ad ea, quae de animi ac pietatis nutritione blandissime disseruntur.

27. Ἐργάζεσθε — αἰῶνιον) *Comparate vobis potius alimentum, quod vobis ad aeternam felicitatem prodesse possit, quam cibum periturum*, quo corpus tantum alitur. Ἐργάζεσθαι, quum de cibis usurpatur, saepissime denotat *concoquere*, quod multis probat *Wetstenius*. Sed hic significatus nostro loco haud convenire videtur. Est potius ἐργάζεσθαι τὴν βρῶσιν h. l. *acquirere, comparare sibi cibum*, quo sensu ἐργάζεσθαι βρώμα est apud Palaeph. c. 22. *Theodotio* Prov. XXI, 6. verbum טָעַר vertit ἐργάζεσθαι. Similiter προσεργάζεσθαι Luc. XIX, 9. Dicit autem Iesus: ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην sui ipsius respectu; deest quasi: δι' ἐμοῦ, hoc sensu: Nolite *apud me* victum quaerere corporeum (v. 26.), nec huius gratia me sequi; meo ministerio aliam in rem vos uti decet, nimirum ut spirituali cibo reficiamini, quo vita vobis conferatur aeterna. Non enim Iesus omnino damnat victus corporei curam, sed reprehendit eos, qui Dominum sequerentur non coelestis regni

gratia,

gratia, sed ob corporis cibum. Victui, quo corpus alitur, opponitur cibus animum alens, i. e. doctrina Christi, non ad breve tempus animum pascens, cuius potius fructus ad aeternitatem pertinet, ut supra de aqua dixerat, c. IV, 14. more suo ex occasione eorum, quae videbat, aut audiebat, ad spiritualia animum attollens. Nec nova erat apud Iudaeos haec Allegoria. *Philo* Allegor. τὸ γὰρ Φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχικῆς κ τ. λ. Ἣν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑμῖν δώσει) *quod Messias vobis dabit*, i. e. huiusmodi solum cibum, quem qui comederint non amplius esurient, Messias vobis et potest et vult largiri. Vid. v. 35. Potest tamen ἣν etiam referri ad ζωὴν αἰώνιον. Τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν ὁ θεὸς) *Hunc enim pater voluit esse certis auctoritatis divinitatisque documentis instructum, de quibus dubitari non possit.* Phrasis σφραγίζειν desumta est a more Orientalium, manui aut fronti hominis, e. c. famuli, militis, sacerdotis, sigillum imprimendi. Apoc. VII, 3. *Chrysostomus:* ἀπέδειξεν ἀναντιῤῥήτως, et ἐπὶ τοῦτῳ ἔπεμψε ταύτην ὑμῖν κομίζοντα τὴν τροφὴν, vel secundum aliam interpretationem: τοῦτον ἀπέδειξεν, ἐξεκάλυψε διὰ τῆς αὐτοῦ μαρτυρίας. Vid. supra not. c. III, 33.

28. Τί ποιῶμεν, ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ;) *Quid faciamus, ut efficiamus opera, apprime Deo grata?* Τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ, opera quae Deus a nobis fieri vult, eique grata et accepta sunt. Non intelligebant quod dixerat Christus comm. 27. Illud vero perspiciebant, commendari illis curas, Deo acceptiores curis victus corporis. Quaerunt itaque (nonnulli ex multitudine), quid faciendum ipsis esset, ut Deo placerent? Sine dubio autem de externis operibus cogitabant

bant perficiendis ab iis, qui vitam aeternam consequi cuperent.

29. Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ) *Hoc est illud quod Deus a vobis fieri vult.* Alii τὸ ἔργον ad Deum referunt, et interpretantur: hoc est Dei opus, institutum, ut vos ad fidem perducamini. Quae vero interpretatio admitti nequit, nam ἔργον τοῦ Θεοῦ respicit ad verba v. 28. τί ποιῶμεν, ἵνα πιστεύσητε — ἐκεῖνος) *Ut ei fidem iam habeatis*, eiusque doctrinam in animum admittatis, *quem ille misit.* Unum hoc exigit Iesus, quia hoc, si solidum sincerumque sit, omnia alia quae Deo placent secum trahit. Hoc internum opus opponitur externis operibus et quidem iis, quae sine illa fiducia esse possunt, qualia praesertim sunt ritualia.

30. Τί οὖν — τί ἐργάζῃ;) *Ecquod documentum edis, ut eo conspecto tibi fidem adhibeamus,* et confidamus tibi? *Quid operaris?* Recte perspiciebant, Iesum de se loqui, et maiora promittere, quam ea, quae Deus per Mosen dederat. Sed postulant miraculum aliquod perenne. τί ἐργάζῃ.) Quaenam nobis ostendis ἔργα τοῦ Θεοῦ, signa et portenta, illis in Aegypto atque in deserto, olim effectis per Mosen, similia? Qui hoc loco loquentes inducuntur, alii fuisse videntur, quam qui quaerebant v. 28. Verisimile est, ut *Kuinoelius* arbitratur, nunc loqui primores Iudaeorum in synagoga praesentes. Audiverant de insigni facto, quod Iesus pridie in deserto ediderat, et iam flagitant, ut simile vel maius quid efficiat.

31. Οἱ πατέρες ἡμῶν) Maiores illi nostri, qui sexcenties mille erant, et amplius. τὸ μάννα ἔφαγον) Procurante Mose. ἐν τῇ ἐρήμῳ, i. e. per totos annos

nos 40. Christus eos semel tantum multitudinem supra v. 10. descriptam paverat. ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔδωκεν) Exod. XVI, 4. Ps. LXXVIII, 24. CV, 40. Videntur opponere illud Mosis beneficium, quasi longe maius, illo miraculo quod Iesus patraverat. Simul autem hoc exemplum de manna producentes, clam significabant, nullum sibi signum magis placuisse quam quod pridie fecerat in panum multiplicatione. Putabant, Manna ex ipso coelo delapsum esse, ob loca modo citata false intellecta. Sed constat inter omnes, Manna nihil esse aliud nisi humorem roscidum, exsudantem e foliis arborum et fruticum plurium Arabiae, Armeniae, Persiae, Georgiae; atque propterea dictum esse Manna *de coelo*, quia de coelo cum *rore*, cui simile est, descendere credebatur. Vide Exod. XVI, 13—15. et *E. C. F. Rosenmülleri* Scholia ad illum locum. In Psalmo vocatur panis *de coelo* ob excellentiam. Quicquid enim est eximium ac praestans, id *coeleste* vocatur. Vis huius obiectionis est: Moses divinam suam legationem miraculo illo comprobavit. Quonam miraculo tu probas divinam tuam legationem? Ceterum Ioannes summam tantum obiectionis proferre videtur. Optime vero ad hunc locum intelligendum faciunt, quae Interpretes laudant Rabbinorum loca: *Koheleth R.* 1, 9. *Dixit R. Berachia nomine R. Israel: qualis fuit redemtor primus* (Moses), *talis erit redemtor ultimus* (Messias); et: *Sicut ille fecit descendere Manna, ita posterior faciet.*

32. Οὐ Μωσῆς δέδωκεν — τὸν ἀληθινὸν) *Non Moses vobis dedit panem vere coelestem, sed pater meus* (iam nunc per me) *vobis dat veri nominis panem coelestem.* Nonnulli existimant, Iesum refellere voluisse

voluisse Iudaeorum opinionem de origine Mannae, atque adeo dixisse, panem, quem Israelitarum maiores per Mosen accepissent, non fuisse de coelo delapsum, sed naturalem. Sed multo maior argumentandi vis inest huic Christi orationi. Duplex vero est oppositio; tum οὐ Μωσῆς, sed ὁ πατήρ μου, tum ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ et ἄρτ. ἐκ τοῦ οὐρ. ἀληθινός. Iesus seipsum, Messiam, vocat τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὸν ἀληθινὸν, quia a Patre constitutus erat in terrarum orbe, ut per se doctrinamque suam vim quandam tribueret ad bene beateque vivendum. Nam sicut in pane est vis nutriendi corpus, ita in doctrina Christi est vis confortandi, laetificandi atque beandi animum. *Coelestem* autem panem se vocat Christus, quia e coelo, a Deo missus venerat. Hoc sibi vult Dominus: Quem *Moses* vobis dedit, panis, improprie tantum *panis coelestis* dici potest; cibus fuit ad nutriendum corpus aptus. At vero *Pater* praebet vobis panem, qui excellenter *panis coelestis* dici meretur, ad animum pertinentem, salutem perpetuam largientem.

33. Ὁ γὰρ — τῷ κόσμῳ) *Is nempe est vere a Deo datus panis, qui coelitus mittitur, et homines reddet felices.* Ὁ καταβαίνων refer ad ὁ ἄρτος. Falluntur autem, qui h. l. verb. καταβαίνων pro καταβάς positum esse existimant. Facile enim intelligitur, Iesum ubi Praesentis forma utitur, v. 33. 50., in universum naturam panis coelestis definire, ubi vero *se ipsum* panem coelestem appellat, in Perfecto loqui: καταβάς. Vid. v. 41. 51. coll. v. 38. 42. Cf. *Lückium* ad h. l. Ὁ κόσμος, *homines.* Non sexcentis tantum millibus sed infinito numero; omnibus, si vellent, panis ille *vere coelestis* vitam sustentare potest, sic ut morti

haud amplius sint obnoxii. Israelitae, qui pane illo, per Mosen accepto vescebantur, mortui sunt; mortuis vero animique somno sopitis, qui hunc, quem Pater vobis largitur, panem comederint, vita conservatur post corporis mortem aeterna; i. e. per me vita in animo nova nascitur, quae quum ex Deo sit, mori non potest. Ζωὴ *aeterna felicitas*, ut saepe.

34. Πάντοτε — τοῦτον) *Semper talem nobis largire panem*, eiusmodi panem, qui *vitam* hominibus cunctis largitur. Quod Christus comm. anteced. de *vita* i. e. de vera animi vita, quae morti non obnoxia sit sed in aeternum felicissime duret, dixerat, id intelligunt de vita hac humana naturali. Haud magis sensum verborum improprium hi auditores assecuti sunt, quam mulier Samaritana supra c. IV, 15., et simili modo Christus respondit. Sunt qui existiment, eos qui h. l. precibus adeunt Dominum, esse nonnullos imperitiores de plebe homines, qui etiamnunc de cibo corporeo cogitabant. Certe falluntur, qui ironiam in precibus fictitiis tantum sibi invenisse videntur. Parum enim huic opinioni favent, quae Iesus v. sequ. respondet.

35. Ἐγώ εἰμι — πώποτε) *Ego sum ille, qui hominibus alimentum praebet, quo felices reddantur; qui meae disciplinae se tradit, non esuriet; qui mihi fidem habet, non sitiet unquam.* Clarius nunc Christus loquitur: *Ego sum ille panis vivificus;* largior vobis quae necessaria sunt ad vitam et felicitatem aeternam impetrandam, dans alimentum, quod non corpus, sed animum nutriat. Ὁ ἐρχόμενος — πώποτε) Miscetur comparatio et res comparata. Simplex oratio fuerat: Qui ederit me, nunquam esuriet; et qui biberit me,

me, non sitiet unquam. Sed quia edere et bibere significat credere, ideo alterum exponitur per venire, alterum per credere. *Ad Christum venire* est ab eo *discere*, se in disciplinam eius tradere. *οὐ μὴ πεινάσῃ — διψήσῃ*, i. e. non opus erit ei aliis magistris parum fidelibus. Doctrinam meam cunctis votis desideriisque sufficere intelliget; nec erit, quod praeterea requirat. *Sitire* et *esurire* in allegoria est carere iis rebus, quae ad bene beateque vivendum sunt necessariae. Non solum ad famem sed etiam ad sitim explendam Christi panis aptus erat, ut sic quoque cognoscatur, quam multo sit praestantior *Manna*, quam quum Israelitae comederint, siti cruciarentur. Exod. XVII, 1. sqq. Ceterum ex universo hoc loco facile cognoscimus, quod etiam aliunde notum est, Christum miraculis non divinitatem *doctrinae* suae, sed hoc tantum demonstrare voluisse, se esse legatum divinum. Qui enim eius sermonem tum audiebant homines, miraculum novum ab ipso petierant, v. 30. Ipse autem non dat miraculum, sed hortatur auditores, ut doctrinam *discant*, (v. 37.) tunc eos experturos esse vim doctrinae (v. 39. 40. 50. seqq.).

36. Ἀλλ' *εἶπον — πιστεύετε*) *Sed dixi vobis: etsi vidistis me, tamen non creditis.* *Videre* h. l. ut saepe significare videtur, *cognoscere*, et hoc quidem loco pro Messia agnoscere. Multi eum pro Messia agnovisse videbantur, sed discere, et doctrinae fidem habere nolebant. Καί, hebr. h. l. valet *etsi*, ut Luc. XVIII, 7. Ergo eos ad discendum hortatur v. 37. Alii sic vertunt hoc comma: *Sed dixi iam vobis*, (v. 26.) *vos me vidisse quidem* (spectatores quidem fuisse divinae potestatis meae,) *et tamen mihi*

fidem non habuisse. Sensus non est admodum diversus. Hoc enim vult Christus: Non potest fieri, ut fruamini hoc pane, si doctrinam meam non discitis, non admittitis. v. 35. Verisimile est respici, quae supra c. V, 36—44. erant dicta, atque hoc etiam loco reprehendi Iudaeorum socordia et pertinacia.

37. Πᾶν — ἥξει) *Quivis a Patre mihi* (in disciplinam) *traditus, libenter a me discet,* (discere debet,) amplectetur me felicitatis doctorem et auctorem. Πᾶν, neutrum pro masculino aut communi. Sic τὰ μωρὰ 1 Cor. I, 27. Ὁ δίδωσί μοι ὁ πατὴρ, *quem pater mihi tradit,* quasi in manum: nam διδόναι hic cum effectu aliquo intelligitur (ut nomen κλῆτοι 1 Cor. I, 24. et alibi saepe). Illustrantur etiam haec verba v. 44. 45. coll. XII, 39. 40. Tradit autem Pater filio eos, quibus per providentiam suam viam monstrat percipiendi doctrinam Christi. Ii igitur, si felicitate promissa potiri velint, discere debent, et imperata facere. Tradit Pater filio non tantum Iudaeos, sed et magnam illam gentium multitudinem, quae per Apostolos luce Evangelii illustrata est. Desumta est phrasis ex locutionibus V. T. e. g. Ps. II, 8. ubi Deus promittit Messiae: *Dabo tibi gentes. Venire ad Christum* sc. discendi causa, est discere doctrinam eius, ut monuimus ad v. 35. Iam pergit Christus: καὶ τὸν — ἔξω) *Si quis ad me venerit* discendi causa, *non repellam eum a me,* i. e. lubentissime eum in disciplinam recipiam, et felicem eum reddam. In verbis οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω, est Litotes. Innuere videtur Iesus, se non tantum Iudaeos sed gentiles etiam lubentissime recepturum esse in disciplinam, et felicitate aeterna donaturum. Simul vero etiam redarguit socordiam

diam et pertinaciam auditorum, qui se nondum in disciplinam eius tradiderant.

38. Ὅτι καταβέβηκα — πέμψαντός με) *Ego enim de coelo descendi*, (divinitus missus veni,) *non ut ex mea, sed ex Patris voluntate agerem*, ut consilium Patris exsequerer, opus perficerem a Patre demandatum. De phrasi καταβαίνειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, vid. supra ad c. III, 13. notata. Ex proposito sibi fine facit credibile quod dixerat. Quomodo, inquit, repellerem a me eos, quibus ut dem vitam aeternam sum constitutus? Verum ex Patris voluntate omnibus, τῷ κόσμῳ (v. 33.), qui se ad me trahi voluerint, aeternae salutis beneficium dari decretum est.

39. Τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι, μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ) *Vult hoc, qui me misit, ex eo, quodcunque mihi dedit, me non sinere, ut aliquid intereat.* Connecte πᾶν ὃ δέδωκέ μοι, non μὴ πᾶν. De usu formularum μὴ πᾶς et οὐ πᾶς coll. hebraico לֹא כֹל cf. *C. F. A. Fritzsche* (nunc Prof. Theol. Rostock.): *de nonnullis posterioris Pauli ad Corinth. Epist. locis* Diss. II. Lips. 1824. p. 23. sqq. *Dare* et *amittere* sibi invicem opponuntur, ut Io. XVIII, 9. et e nexu cum v. 40. patet, *eos amissos* a Christo tantum dici, qui *non obtinent vitam aeternam*, quibus tamen Christum causam pernicici esse, dici nullo modo potest. Exempla huius significationis e profanis vide ap. Kypkium. ἀλλὰ ἀναστήσω αὐτὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ) *Sed ut eum vitae restituam extremo illo tempore.* Desunt quaedam ad sententiam: sed, ut eos per doctrinam meam ad veram felicitatem perducam, atque sic etiam

vitae

vitae aeternae participes faciam, qua Iudaei putant se solos potiri. Potest etiam verbum ἀναστῆσαι significare *in integrum restituere*, salvum et absolute beatum praestare ut infra v. 40. 44.

40. Τοῦτο γὰρ — ἡμέρᾳ) *Haec, inquam, est voluntas eius, qui me misit, ut quicunque me viderit, et nomen mihi dederit, felicitatem aeternam consequatur, et ego eum tandem in vitam revocem.* Pro vulgari δὲ legendum esse videtur, γὰρ, eodem sensu; nam utrumque est explicativum: *nimirum* videlicet. Maioris perspicuitatis causa repetitur quod v. 39. dictum erat. πᾶς ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν) *Omnis qui recte cognoscit filium*, eiusque doctrinam; nam θεωρεῖν h. l. est *cum attentione videre;* cf. XII, 45. Hebraeum חָזָה, quod et hic posuit Syrus, Graeci interpretes saepissime vertunt θεωρεῖν. Καὶ ἀναστήσω — ἡμέρᾳ) Dubitat *Schmidtius*, (vid. notata ad cap. V, 21.) an Iesus ipse suis resuscitationem corporis promiserit, an vero Ioannes suam de regno Messiae et resuscitatione mortuorum opinionem tanquam a Iesu prolatam, proposuerit? Suspicatur etiam de renovatione morali sermonem esse. Sed h. l. de alia quam physica resuscitatione cogitari non potest, nec alium admittit sensum phrasis ἀναστήσω τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, cf. c. XI, 24. Quamquam enim qui Christo fidem habet, iam in hac vita ζωὴν αἰώνιον ἔχειν incepit (vid. not. c. V, 24.), perfectissima tamen, quam suis sectatoribus paravit Christus, felicitate non nisi facta mortuorum resurrectione frui potest. *Summa beatitudo*, quam h. l. Christus promittit, et ad quam fruendam pios resuscitaturus est, coniuncta tantum esse potest cum vita aeterna post terrenae vitae conditionem finitam.

41.

41. Ἐγόγγιζον — οὐρανοῦ) *Indignati sunt Iudaei propterea, quod, se esse panem de coelo delapsum, dixerat.* Γογγίζειν, ut Matth. XX, 11. proprie est *mussitare*, hinc *indignari*, *fremere*, indignationem vocibus et sermonibus exprimere. Περὶ αὐτοῦ) *Ob eam rem.* Nonnus masculine accepit, ad Iesum referens. ὁ ἄρτος ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) Cum accentu pronuntiandum illud: ὁ καταβὰς ἐκ τ. οὐρ. Nam id proprie erat, quod concoquere non poterant: non quod se panem dixisset, sed quod dixisset, se de coelo venisse, quum tamen parentes eius bene novisse sibi viderentur.

42. Οὐχ — μητέρα;) *Nonne iste est Iesus, Iosephi filius, cuius patrem et matrem novimus?* Πῶς, *quo sensu, qua auctoritate* profitetur, se de coelo venisse. Οὗτος, *iste*, per contemtum est dictum. Offendebat eos, quod Christus dixerat, Patrem suum esse Deum; se de coelo venisse. Non poterant sibi persuadere hoc vere dici posse de homine ex parentibus humanis nato. Nam Messiam, si venerit, plane ignotae originis futurum esse, ipsis persuasum erat. Vid. c. VII, 27.

43. Ἀπεκρίθη — μετ' ἀλλήλων) *Non est, quod indignabundi inter vos disputetis.* Non explicat Iesus quomodo id, quod de se praedicaverat, consistere possit cum opinione eorum, qui humano tantum more eum natum esse putabant, sed respectu, ut solet, non habito quaestionum interpositarum priorem sermonem refert et prosequitur. Causa esse videtur, quod haec res explicationem non admitteret, sed simpliciter credi deberet ob testimonia operum.

44.

44. Οὐδεὶς — ἑλκύσῃ αὐτὸν) *Nemo se meae disciplinae tradere potest, nisi pater eum ad me quasi deducat*, eum alliciat et flectat. ἑλθεῖν πρός με, *disciplinae meae se tradere;* cohaeret cum illo διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, v. 45. Ἑλκύειν, *trahere*, *trahere invitum*, h. l. metaphorice *incitare*, *allicere*. Impropria est locutio, quae statim explicatur verbis διδακτοὶ et πᾶς ὁ ἀκούσας. κ. τ. λ. Desumta Phrasis a pueris, qui a parentibus vel amicis et cognatis in disciplinam tradi solent. Quia enim pueri propter pudorem, quem natura iis attribuit, a parentibus ad praeceptores maiore dignitate et auctoritate praeditos aegre et inviti deducuntur, idcirco *trahi* commode dicuntur. Sic *Plato* multis locis, et *Epict.* c. 68. *Cic. Lael.* c. 1. Hinc igitur extiterunt similes locutiones. *Plato* in Ione; ὁ δὲ θεὸς διὰ πάντων τούτων ἕλκει τὴν ψυχὴν ὅποι ἄν βούληται τῶν ἀνθρώπων, *Deus autem per hos omnes*, (Poetas et rhapsodos) *animum trahit hominum quocunque velit.* Sic Hebraicum מָשַׁךְ saepe est *trahere* sine ullo sensu impositae necessitatis, ut Ierem. XXXI, 3. Vid. et Ioann. XII, 32. et alibi. Ergo *trahere* dicitur Deus hominem eum, quem docendo iuvandoque eo deducit, ut, quia didicit, et possit et velit probare doctrinam Christi assensu et factis. Sunt multae rationes, quibus divina providentia ad salutem hominum utitur, tamen in hoc loco modus naturalis intelligendus nec de arbitrio Dei absoluto cogitandum est. Huius interpretationis veritas confirmatur loco Prophetae, quo Christus v. 45. usus est ad confirmandam rem ab se propositam. In loco autem illo praedictum est, fore, ut *edoceantur* omnes. Recte notat Chrysostomus Manichaeos, qui ex hoc loco efficere volebant, nihil

nos

nos ex nobis ipsis posse. Quando vero hominem *audire et discere* oportet, ut fiat διδακτὸς θεοῦ et πιστεύων, tum negari non poterit, positum esse in eius voluntate, num se trahi patiatur, an malit resistere suamque contemnere salutem. At vero si quis Christi institutione animum suum ad credendum commotum esse cognoverit, is animo gratissimo fatebitur, Dei esse gratiam atque benignitatem, quod ad salutem suam amplectendam ductus fuerit. Quare Christus dicit: qui cognoscere cupiat, quo iure me Dei filium coelo oriundum praedico, is se ad me trahi patiatur. Cf. VII, 17. A Manichaeis *Augustinus* accepisse videtur suum dogma de gratia irresistibili et similia. Christus aliis verbis repetit, quod supra comm. 38. dixerat, se non suo arbritratu, sed ex mandato patris agere.

45. Ἔστι — ἐν τοῖς προφήταις) i. e. iam ipso eventu comprobatur, quod scriptum est in Prophetis. Nonnulli hic a Christo ad solum locum Ies. LIV, 13. respici, adeoque plurium numerum pro singulari, per consuetam enallagen poni existimant. Ita *Plutarchus*, Aristophanem citans, ait: ὡς οἱ κωμικοὶ λέγουσιν. Vid. *Gatakeri* Adversaria p. 82. Alii phrasin repetunt ex Iudaeorum consueta τριχοτομίᾳ Sacri Codicis, secundum quam classis prima *Legis*, secunda *Prophetarum*, et tertia *Ketuvim*, i. e. Hagiographorum nomine veniebat. Sensus itaque foret, legi hoc in ea S. Codicis parte, quae *Prophetarum* nomine appelletur; quod plurimis praeplacet. Cf. Actor. VII, 42. XIII, 40. Alii denique re vera ad plurium Prophetarum loca, nominatim Ies LIV, 13. Ierem. XXXI, 34. et Mich. IV, 1—4. respici putant. ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ) *A Deo edocti*, ut διδακτοὶ πνεύματος, 1 Cor. II. 13.

θεο-

θεοδίδακτοι 1 Thess. IV, 9. Haec Prophetarum effata Iesus in se transfert. In V. T., inquit, Deus vos docuit per Prophetas, nunc loquitur et docet per filium; Hebr. I, 1. 2. Qui meam doctrinam audit, institutionem divinam audit. Πᾶς οὖν — πρός με) *Quicunque igitur doctrinam divinam audit et discit, is me sectatur*; quia nempe Deus per me vos docet.

46. Οὐχ ὅτι—πατέρα) *Non quod patrem quis viderit, praeter illum, qui a Deo missus venit, is patrem cognovit.* Interpretatio verborum commatis 45. ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ μαθὼν. Quum dico, inquit, Patrem audiendum, et ab eo discendum esse, non hoc ita intelligo, quasi Patrem ullus mortalium oculis videre possit. Verba: Ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ sive vertas: *qui est a Deo* scil. missus; sive *qui apud patrem erat*, cum eo intime coniunctus: sensus idem manet. Cohaeret autem hic locus cum illis supra illustratis c. I, 18. III, 13. Facile intelligitur, ὀρᾷν h. l. non proprie sumendum esse, sed significari plenissimam Dei eiusque voluntatis et consiliorum cognitionem.

47. Ὁ πιστεύων — αἰώνιον) A Patre audire et discere ab eoque edoceri, et ad Christum venire unum idemque est ex Ioannis doctrina. Quare quum Christus Patris voluntatem revelat, tunc Pater trahit, et qui patitur se trahi, adducitur ut credat, ut obediat; 1 Io. II, 21—23. Ceterum cf. supra not. III. 15. 16.

48. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς) *Ego enim sum cibus ille vere salutaris.* Post ἐγὼ subintelligitur γὰρ. Cohaerent nempe haec verba cum v. 47.

49. Οἱ πατέρες — ἀπέθανον) *Maiores vestri, quamvis in desertis Manna vescerentur, tamen mortui sunt.* καὶ, *et tamen. Mortui sunt*, i. e. non potuit

potuit illis Manna praestare vitam, nisi ad breve tempus, neque a poenis contumaciae et impietatis liberare; quin potius ob summam pervicaciam misere interemti sunt. Num. XIV, 17 — 38. Ergo Manna non fuit ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. Cf. v. 32. 34.

50. Οὗτός ἐστιν — καταβαίνων) Seipsum designat Christus. Cf. v. 35. 48. ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ, καὶ μὴ ἀποθάνῃ) Hebraismus, pro: *Ut, si quis ex eo ederit, non moriatur;* i. e. ut quivis eo vescens liberetur a miseria et ad perennem felicitatem, ad vitam immortalem pertingat. Constructio huic simillima exstat, Ps. CVII, 43. φάγῃ est loco participii: ut quisquam, *qui* eo vescitur, non moriatur, i. e. *quicunque*. Phrasis: *non mori* eodem significatu posita est ac illa: ἔχειν ζωὴν αἰώνιον. *Vesci* autem est uti doctrina et beneficiis Christi; in succum et sanguinem (ut aiunt) vertere eius doctrinam.

51. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν) Verbum ζῆν omnibus fere Interpretibus idem est quod ζωοποιεῖν. Sed *Lückius* (T. II. p. 91. sq.) ingeniose de hoc loco disputans diversam utriusque verbi notionem bene observat. Hebraei quidem saepius Kal ponunt pro Hiphil et formam intransitivam pro transitiva ponunt. Inde vero Ioannem idem fecisse et verbo ζῆν significatione transitiva usum esse minime colligi debet. Potius, quum Ioannes aliis in locis, ubi sensum transitivum exprimere vult, verbo ζωοποιεῖν recte utatur; multo est verisimilius, loquendi formulis: ἄρτος ζῶν, πατὴρ ὁ ζῶν (v. 57.) ὕδωρ ζῶν (IV, 10. VII, 38.) significari *illius* panis, *illius* patris et *illius* aquae ratio incorruptibilis, aeterna atque coelestis. Pari modo Actor. XIV, 15. θεὸς ζῶν, *Deus aeternus et verus*, opponitur idolis terrenis

iisque

iisque caducis; et simillimae sunt dictiones: θυσία ζῶσα Rom. XII. 1., ἐλπὶς ζῶσα 1 Petr. I, 3., ὁδὸς ζῶσα Hebr. X, 20. Quatenus autem id quod vere vivit etiam vim vivificandi in se habet, eatenus *panis vivens* quoque vivificat, sed eos tantum, qui eo vescuntur, i. e. *qui eum in usum suum convertunt.* Sic soli inest vis calefaciendi, neque tamen calefacit, nisi, quae calorem excipiat, materiam invenerit. Hoc igitur sensu accipienda sunt verba: ἐάν τις φάγῃ ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. καὶ ὁ ἄρτος δὲ, — κόσμου ζωῆς) *Iam vero corpus etiam meum, quod ego saluti hominum impendam, est panis salutaris, quem largiar,* i. e. *etiam mors mea, quam pro salute humani generis perpetiar, est panis,* praebebit animis vestris incitamenta virtutis, spem laetam felicitatis aeternae et solatium. Σάρξ et σῶμα promiscue sumuntur pro hebraeo בָּשָׂר. Clarum est Christum de corpore suo loqui, quatenus occidendum illud praebere volebat. Quapropter addit: ἣν ἐγὼ δώσω. Dare autem corpus dicitur, qui vexandum, qui occidendum praebet. 1 Cor. XIII, 3. *Paulus* in Commentar. ad h. l. τὴν σάρκα Christi intelligit tantum de *natura* eius *humana*, de *vita in terris* peracta, de vita corporea atque terrestri. Recte vero huic interpretationi *Flattus* (in Symbolar. ad illustranda graviora quaedam Iesu dicta in Ev. Io. P. I. p. 14. sqq.) opposuit inter alia haec: „Universa illa seiunctio Iesu coelestis a Iesu in his terris vivente *ad vim illius salutem hominibus impertiendi* relata, a sermonum Iesu, maxime Iohanneorum, indole penitus abhorret. Qui enim se hominem ita cum Deo semper coniunctum esse (XIV, 10.) perhibuit, ut nihil omnino sine numine sibi numquam non praesente agat (VIII, 28.)

28.) quomodo humanam vitam naturamque a divina vi sibi insita separare potuit?“ Alii Interpretes hunc locum inde a v. 51. de sacra coena explicuerunt. Nemo vero non videt, orationem esse figuratam, et figuram niti praecedente commemoratione cibi naturalis. Tempus quoque huic opinioni repugnat; nam haec Christi oratio integrum certe annum ante coenam sacram institutam habita est. Vid. not. v. 53. Cf. *Schulz: die christl. Lehre vom heiligen Abendmahl nach dem Grundtexte d. N. T.* Bresl. 1822. p. 161. sqq. 167 et 175. sqq. Dabo, inquit, corpus meum ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, *ut felicitatem impetrem humano generi.* Κόσμος, universum genus humanum, tam Iudaei, quam ceteri homines Sensus verborum hic est: Quatenus Dei filius aeternus, Logos divinus, homo factus erat et conditionem terrenam in se susceperat, ut hominibus *lucem*, *vitam*, *veritatem* omniaque beneficia divina praeberet; quatenus totam suam vitam terrestrem humani generis saluti consecraverat, imo, ductus hominum amore morti cruentae se addixerat: eatenus sese appellabat *panem coelestem*, *lumen mundi*, *aquam vitae.* Quomodo autem Dominus a similitudine τοῦ ἄρτου τῆς ζωῆς transire potuerit ad hanc dictionem: ἡ σάρξ μου, id ex aliis dictis intelligitur. Vid I, 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. 1 Ioh. I, 1. IV, 2. Ἰησοῦν Χρ. ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, et multis aliis locis. In verbis vero ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς indigitat mortem suam, et quod aliis in locis clarius dixit, nunc obscure adhuc innuit: fore, ut ex morte sua maxima generi humano orirentur beneficia, quia tum demum quum mortuus et in coelum reversus fuerit, regni divini cives et liberi, iuvante

Spiritu

Spiritu sancto, possent in fide sua confirmari atque consummari. Cf. c. VII, 38. 39. XII, 23. 24. XVI, 7. sqq. In iis quoque, quae sequuntur, saepius mortem sibi imminentem commemorat; c. VI, 70. iam de proditore loquitur. Vid. *Lückium* ad h. l. Hic sermo non poterat non esse obscurus audientibus, omnia alia potius quam haec a Messia sperantibus. Sed voluit Christus discipulorum et ceterorum auditorum excitare attentionem, ut post eventum sibi in memoriam revocarent, quae is diu ante obscure praedixisset.

52. Ἐμάχοντο) *Altercabantur, litigabant.* Alii enim putarunt subesse aliquid arcani Christi sermoni, pars maior ut plane absurdum reiecerunt. λέγοντες) Pars eorum. πῶς δύναται) Quomodo id fieri potest, quod dicit: se daturum corpus suum nobis comedendum? Alii hac, alii alia ratione intelligebant. Nolim adstipulari *Kuinoelio* et *Lückio* ad h. l., qui contendunt, Iudaeorum fuisse malitiam, quod Christi effatum non intellexisse viderentur, eosque Dominum derisuros verba eius pressisse eaque tanquam arroganter dicta reiecisse. At vero priori commatis parte diserte dicitur: ἐμάχοντο πρὸς ἀλλήλους *litigabant inter se*, ut adeo cognoscatur, in Iudaeorum praesentium numero fuisse haud paucos, quos, etsi fortasse, quae Christus de se ipso comedendo dixerat, improprie intelligerent, fugit tamen verus verborum sensus. Quae Iesus dixerat, non poterant coniungere cum iis quas de Messia fovebant opinionibus. Quod mirum nobis videri non potest, cum tantopere Christi sermone perturbarentur et offenderentur auditores, ut et ex sectatoribus multi ab eo desciscerent (v. 60.)

53.

53. Ἐὰν μὴ — καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα) Non explicat Iesus id, quod v. 51. dixerat, sed repetit, sine explicatione rei. Phrasi σάρκα φαγεῖν adiicit αἷμα πίνειν. Voc. αἷμα Interpretes haud pauci intelligunt de morte Christi violenta, ut Actor. XX, 20. Rom. III, 25. V, 9. Recte quidem, ubi sanguinis a carne saparati fit mentio. Verum ubi utrumque voc. σάρξ et αἷμα coniungitur, nunquam significatur *cruenta mors* carnis, sed describitur potius *integer homo qualis vivit.* Nam sanguis *vitam* suppeditat carni neque *mors* eius est. Cf. Gal. I, 16. Eph. VI, 12. 1 Cor. XV, 50. Hoc etiam loco Dominum per vocc. σάρξ et αἷμα se ipsum tanquam *viventem* et inter homines agentem voluisse describere, ipsa orationis series docet; quum phrasis ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα versibus seqq. congruens sit illis: ἐάν τις φάγῃ ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου v. 51. et ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ v. 47. Mortis commemorationem quam v. 51. fecit, iam nunc supprimebat, quum Iudaei eam tam male intellexissent. Cf. *Lückium* T. II. p. 102. sqq. et *Schulzium* l. l. De sacra coena igitur non potest esse sermo. Iesus enim hortatur auditores suos, ut edant eius carnem, et bibant eius sanguinem; hoc autem non poterant intelligere, si de sacra coena sermo esset; nam huius ritus ne ideam quidem habebant. Accedit, quod res illa ipsa, de qua Iesus nunc verba facit, necessaria esse dicitur ad consequendam τὴν ζωήν. Iam vero talis necessitas nusquam tribuitur sacrae coenae usui, sed fidem in Iesum Christum et nominatim in eius mortem piacularem ubique necessariam esse dicit scriptura ad aeternam vitam salutemque obtinendam. Tropus in hac oratione manifesto nititur eo, quod in

supe-

superioribus sermo fuit de cibo corporeo (manna). Et quum supra v. 40. dixisset: πᾶς πιστεύων ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον, coll. v. 47.; et v. 51. ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος — — ἐάν τις φάγῃ — — ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα, nunc vero v. 53. ἐὰν μὴ φάγετε τὴν σάρκα — — καὶ πίητε αὐτ. τ. αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν κ.τ.λ.: sponte intelligitur, has omnes loquendi formulas eodem sensu spectare veram fidem Christo tamquam Messiae habendam. Sat evidenter igitur cognoscimus, Christum comedere, *carne eius vesci* et *sanguinem bibere* nihil aliud esse, quam Domini vitae salutiferae, quod verum animi nutrimentum est, se participem facere, vel, ut Paulus dicit Gal. III, 27. Rom. XIII, 14. ἐνδύσασθαι Χριστὸν, *Christum induere*, i. e. eum in mentem inducere, cum eo intime sese coniungere. Iudaeis quoque phrasis *comedere Messiam* haud inusitata fuit. Sanhedr. Fol. 98, 2. 99, 1. *Rabbi Hillel dicit: Non futurus est Messias Israeli, nam antehac comederunt in diebus Hiskiae*, i. e. Hiskiam pro Messia habuerunt. οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς) Vitam, i. e. felicitatis aeternae spem iustam et certam non habebitis; vid. not. c. V, 26. 42.

54. Ἀναστήσω αὐτὸν) Est epexegesis eius quod praecessit. Habet spem vitae aeternae, quia ego excitabo eum ex morte, ad vitam scilicet et gloriam.

55. Ἡ γὰρ σάρξ — πόσις) *Corpus meum est verus cibus, et sanguis meus est verus potus.* Ἀληθῶς βρῶσις, pro: ἀληθὴς βρῶσις, ut infra c. VIII, 31. ἀληθῶς μαθηταί. Vide modo dicta ad v. 53.

56. Ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ) *Coniunctus est mihi, et ego illi, amore mutuo*; nam μένειν Ioanni est *esse, habitare in aliquo*, quae figura satis usitata

usitata ad animum transfertur, et significat coniunctum esse cum aliquo amore mutuo. 1 Ioh. III, 24. IV, 16. Vivit in Christo, qui quoad sentiendi agendique rationem vitam suam ad eius exemplum composuit. Non potest autem non amare Iesus eum amantes, et exemplum eius imitantes. De significatione formularum *in Deo, in Christo esse*, *manere*, cf. *Morus Opuscc.* T. I. p. 269. sq. et *Noesselti Opuscc.* T. II. p. 34.

57. Καθὼς — δι' ἐμὲ) *Sicut Pater qui me misit ipse est beatus et beatificus, et ego sum beatus per Patrem: sic etiam qui amplectitur meam doctrinam, felix erit per me.* Ex ultimo ζήσεται apparet, verbum hoc per totum hoc comma exprimere *felicitatem.* Ὁ ζῶν πατὴρ, *Pater beatus ipse et beatificus,* auctor felicitatis. Verba καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ per enallagen posita sunt, pro: καθὼς ὁ ἀποστείλας με πατὴρ ζῇ. Nam ducitur comparatio ex verbo opposito ζῶν, non ex verbo ἀπέστειλε. Κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα) *et ego beatus sum, et habeo vim beatificam per Patrem.* Beatitudo Filii in eo erat, quod omnia consilia Patris ei erant nota, quod omnia, quae Pater, potest, quod excitat et iudicat mortuos etc. Erat beatus per Patrem; nam haec omnia, ut ipse saepe dicebat, ipsi a Patre erant tributa. Ὁ τρώγων με, *qui me fruitur,* qui mecum sese coniungit. Vid. not. ad. v. 53. In verbis: καὶ ὁ τρώγων με, κἀκεῖνος ζήσεται δι' ἐμὲ, particula διὰ sicuti in priori versus parte causam efficientem notat. Particula διὰ, etiam ubi cum Accusat. construitur, saepius significat, *per. Aristoph. Plut.* v. 470. κἂν μὲν ἀποφήνω, μόνην Ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσαν αἰτίαν ἐμὲ Ὑμῖν δι' ἐμὲ τε ζῶντας ὑμᾶς. Alia

exempla vid. in *Vigero* ed. *Hermanni* p. 587. et in *Wahlii* Lex. sub h. v. Sensus huius comm. igitur est hic: Sicut pater, qui me misit, vim beatissime vivendi mecum communicat, sic is, qui mecum est coniunctus, per me veram vitam accipit, ut una mecum ea fruatur. Particula καὶ ante vv. ὁ τρώγων με hebraico more est comparans, *sic;* ut infra X, 15. XV, 9.

58. Οὗτός ἐστιν — τὸν αἰῶνα) *Sic igitur intelligi volo cibum illum, qui e coelo descendit,* (de quo ego dixi,) *non qualem maiores vestri ederunt in deserto, qui mortui sunt; qui hunc cibum* (de quo ego loquor,) *edit, is perpetua fruetur felicitate.* Οὐ καθὼς) Hebraismus, pro: non similis ei pani. καὶ ἀπέθανον) Iterum Hebraismus, copulam ponens, pro relativo. *Non talis panis, qualis ille, quo manducato patres vestri mortui sunt.* Continet hoc comma conclusionem totius sermonis. Ex dictis, inquit, facile patet, me maiora vobis praestare iis, quae Moses maioribus vestris praestitit. Cf. supra v. 30. 31.

59. Ἐν συναγωγῇ, διδάσκων) Palam, loco publico, ubi plurimi erant testes sermonis. Quae proxime sequuntur, post discessum e synagoga dicta videntur.

60. Ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ) Non ex duodecim, sed ex aliis, qui frequentiores erant Iesu sectatores. Cf. v. 67. σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος) *Dura est haec oratio,* i. e. *difficilis intellectu,* vel *odiosa, auribusque molesta,* horribilis auditu. Ita etiam profani auctores loquuntur, annotante Kypkio ad h. l. Hinc additur: τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; *quis sustineat, quis velit eam audire,* vel: *capere, intelligere.* Illa quisque audire posse dicitur, quae libenter audit, ut apud *Arrianum* Epictet. Lib. II, c. 24. ubi ita Epictetus ad eum, qui

se

se auditurus venerat: *περὶ τίνος ἀκοῦσαι δύνασαι; περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τινος*; Aegre tulisse videntur, vel quia carnis suae esum, et sanguinis sui potum commendaverat, vel quia de manna non satis honorifice locutus erat. Prius probabilius est. Cf. v. 52. *Kuinoelius* aliique verba *σκληρός κ. τ. λ.* referenda esse censent ad ea, quae Iesus *de morte sua* pro hominum salute dixisset. Optime *Vater* in N. T. ad h. l. annotavit: „*ἀκούειν* scil. ita, ut intellecta credantur; *σκληρός*, *durior*, *quam ut animo tractari queat;* h. e. difficilis et offendens (*σκανδαλίζων*)."

61. Εἰδὼς — σκανδαλίζει;) *At Iesus apud se ipsum intelligens discipulos de eo murmurare, hoccine, ait, vos offendit?* Γογγύζειν, ut supra v. 41. Περὶ τούτου, ad superiorem sermonem refertur. Σκανδαλίζειν, proprie *offendiculum ponere;* hinc tropice proponere quod aliis vel erroris vel peccandi occasionem dat. Huius loci sensus est: *Num hoc ita vos offendit, ut de mea dignitate dubitetis?* in eo haeretis, nec solvere quaestionis difficultatem potestis?

62. Ἐὰν οὖν θεωρῆτε — πρότερον;) Quid dicetis, quid putabitis, *quum videbitis me eo redeuntem ubi antea versabar?* Tunc nempe percipietis verba mea non posse ex usu populari intelligi. Ἐὰν θεωρῆτε, si aut ipsi videritis, aut aliorum certo testimonio cognoveritis; nam θεωρεῖν *cognoscendi* significationem habet, ut supra c. IV, 19. infra cap. XII, 19. 45. Ὅπου ἦν τὸ πρότερον, in coelum, ubi ante fuit ὁ λόγος, quum esset πρὸς τὸν θεὸν, c. I, 1. nam Dei regio coelum. *Grotius:* „Tribuit Christus sibi quod τῷ λόγῳ convenit. Quid ni? quum et animam et corpus soleamus seorsim appellare *hominis* vocabulo. Et modo Chri-

stus, cum *carnem* et *sanguinem* suum nominasset, subiunxit *me*." Est autem hic Aposiopesis, ut saepe apud quoslibet auctores, post *quid si*. Supplendum est: Quid tum putabitis? Vel: Nonne tum credetis, vos in maximo versatos esse errore? Alii alia subaudiunt. *Vater* ad h. l.: etiam magis σκανδαλίσεσθε, nisi πνεύματος haec vis ζωοποιοῦσα fuerit, ut πιστεύοντες μένητε ἐν ἐμοί.

63. Τὸ πνεῦμα — ζωή ἐστιν) *Sublimior sentiendi ratio salutem affert, humilis* (infirma) *sentiendi ratio nihil iuvat*; *doctrinae, quas ego vobis propono, efficiunt illam sublimiorem sentiendi rationem et salutem.* Varie explicatur hic locus. Boltenius τὸ πνεῦμα putat esse sermonem metaphoricum, obscurum, et σάρκα sensum naturalem et proprium, et vertit: *Das Verblümte ist kraftvoll, das Natürliche ist ohne Wirkung; die Reden, die ich zu euch halte, sind verblümt und kraftvoll.* Simili modo Patres ecclesiae τὸ πνεῦμα sensum allegoricum, mysticum, τὴν σάρκα sensum literalem esse voluerunt. Cf. Anonymum in *Eichhornii Biblioth.* Tom. VII. p. 1008. Sed ipsi auditores Iesu facile intelligere poterant, eum improprio dicendi genere usum esse, ut hoc monere non fuerit opus. Πνεῦμα, רוּחַ, in N. T. in genere dicitur, quicquid est perfectum, subtile, sublime, divinum; σάρξ, בָּשָׂר, quicquid est imperfectum, infirmum, vile, humanum. Hinc πνεῦμα saepe est doctrina divina et excelsa, perfectissima, et σάρξ vi oppositi est cognitio, quae paratur viribus humanis, sine divina patefactione, iudicando, experiundo, et concludendo, vilis, imperfecta, limitibus circumscripta. Sed h. l. τὸ πνεῦμα videtur

detur esse perfectior, sublimior sentiendi, statuendi, agendique ratio, quae est effectus doctrinae Christianae, cui opponitur σάρξ, humilis, vilis iudicandi et sperandi ratio, qualis erat Iudaeorum, qui vanas fovebant opiniones de regno Messiae, et de bonis in illo exspectandis. τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, nobilior haec et sublimior sentiendi ratio salutem affert, vere felicem reddit hominem; ἡ σάρξ autem, humilis illa, iudaica sentiendi ratio, οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν, nihil iuvat, nihil confert ad veram adipiscendam felicitatem. Cf. Gal. III, 3. Illa melior sentiendi ratio, pergit Iesus, est fructus meae doctrinae. Hic enim sensus esse videtur verborum: τὰ ῥήματα — ζωή ἐστιν, quem in versione expressimus. Τὰ ῥήματα nempe sunt *dicta* Christi quae efficiunt πνεῦμα, nobiliorem statuendi agendique rationem et ζωήν, veram felicitatem. *Kuinoelius* in hac interpretatione nobiscum consentit. Aliam rationem inivit *Lückius* (Tom. II. p. 113.), qui hunc versum cum v. 62. connectens verbis Christi hunc sensum substituit: Offensioni vobis est, quod vos admonuerim, velitis carne mea vesci meumque sanguinem bibere, i. e. me ipsum comedere, ut vitam aeternam consequamini. Iam vero, si haec mea oratio durior vobis videtur, quum adhuc praesens inter vos versor, quid tandem dicetis, *postquam in coelum rediero, si a vobis idem postulabitur,* scil. *ut carnem meam edatis meumque sanguinem bibatis*, quo salutam aeternam consequamini? (Haec Dominum dicere voluisse vix probari poterit.) Nonne potius inde, *quod revertar in coelum*, colligere vos decet, id quod vivificat, non esse *carnem*, corpus meum, sed τὸ πνεῦμα, doctrinam meam, quam qui perceperit revera me ipso fruitur? Sed ut alia, quae huic interpretationi adversantur,

santur, taceamus, Iudaei, quibus coelestis Christi origo valde erat suspecta (V, 18.), non poterant sibi persuadere, eum in coelum reversurum esse. Accedit, quod Iesus mortem suam et resurrectionem atque in coelum reversionem ipsis veris suis sectatoribus ad fidem augendam implendamque profuturas esse voluit. Neque autem Iudaei ex rebus futuris adhuc, quas fieri posse ipsis minime credibile esset, in praesenti aliquid colligere poterant, quod faceret ad intelligendum sensum spiritualem in iis, quae Christus de se comedendo modo dixerat.

64. Ἀλλ' — οὐ πιστεύουσιν) *Veruntamen sunt inter vos nonnulli, qui fidem mihi non habent*, qui iam desinunt me habere pro Messia, quia corporis voluptates non polliceor; vel non certo sibi habent persuasum, me esse Messiam. ἐξ ἀρχῆς) *Ab initio*, sc. ministerii sui publici; statim ex eo tempore, quo elegit XII. Apostolos, et discipulorum numerum sibi adhaerere vidit. καὶ τίς — αὐτόν) Atque adeo et *illum* non ignorabat, qui traditurus esset ipsum in potestatem adversariorum.

65. Διὰ τοῦτο εἴρηκα) Ideo, quia iam praevideo, multos vestrum mihi non habituros esse fidem, quia alius indolis Messiam porro expectare volunt. ὅτι οὐδεὶς — πατρός μου) *Nemo potest me fideliter sectari, nisi ipsi fuerit a Patre concessum*; nisi Dei beneficio mens et voluntas eius ita flexa fuerit, ut suscipiat meam doctrinam eique credat. Vid. not. v. 44. Illis autem Pater concedit, ut fiant discipuli Christi, et felicitate per ipsum parata potiantur, qui doctrinam discunt, et in animum admittunt. Hoc nolebant multi ex auditoribus, et haec erat causa, cur veri nominis discipuli

fieri

fieri non possent. Ergo non excusat Iesus eos, quasi non potuerint, sed accusat, quod noluerint se tradere in disciplinam. Christus opponit hanc sententiam falsae Iudaeorum persuasioni, qui putabant, ipsis ipsorumque genti id a Deo semel concessum esse honoris, ut omnis felicitatis a Messia sperandae sint participes, quamvis indulgere pergerent pravis suis opinionibus. Id Christus negat, et docet potius, illis tantum, qui aliam induerunt mentem, hanc felicitatem esse destinatam. Cf. Matth. XV, 12. 13. Praepos. ἐκ de effectione dicitur apud Graecos post verba passiva pro ὑπό. Vid. Matth. XV, 5. Marc. VII, 11. et cf. *Matthiae Griech. Gramm.* §. 574. p. 839. *Buttmann Gr. Gr.* §. 121.

66. Ἐκ τούτου — περιεπάτουν) *Ab hoc inde tempore multi discipulorum discesserunt ab eo, neque amplius eum comitati sunt.* Ἐκ τούτου sc. χρόνου. Alii supplent λόγου, vel πράγματος, *propter hanc rem, proinde;* sed prior ratio praeferenda est. Οἱ μαθηταὶ non sunt illi duodecim, sed alii, qui eum saepius audire solebant. Ἀπέρχεσθαι εἰς τὰ ὀπίσω, sc. μέρη, *domum reverti,* sive *discedere ab aliquo.* Eodem sensu quo h. l. haec phrasis deprehenditur infra c. XVIII, 6. Similis est formula loquendi ἀποστρέφεσθαι εἰς τὰ ὀπίσω Ps. XL, 14. ἀποστῆναι εἰς τὰ ὀπίσω Ps. XLIV, 19. coll. Iesai. I, 4. Includunt huiusmodi dictiones etiam notionem *deficiendi.* Περιπατεῖν μετὰ τινὸς, *comitari aliquem.* Discesserunt itaque a Iesu, quia iam perspiciebant, eum non respondere eorum votis et consiliis, quae Messiae tribuerant.

67. Μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν;) *Num vobis quoque lubet abire?* partes meas deserere? sc. alium doctorem

doctorem praeferentes, aut quaerentes. Ostendit, se nullius ministerium sui causa quaerere: ac ne velle quidem discipulos, nisi volentes. Non diffidens eorum constantiae Iesus hanc interrogationem duodecim discipulis proponebat, sed ut eos excitaret ad diligentiorem salutis considerationem.

68. Petrus, ut est ceteris fervidior, proinde societatis nomine sermonem suscipiens, dicit: Πρὸς τίνα) scil. διδάσκαλον. Num ad veteres magistros redeamus? Nequaquam; nam ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις) *Doctrinam profers ad salutem aeternam consequendam efficacissimam.* Affirmat, idem se sentire, quod Christus modo dixerat, ipsius sermones duces esse ad vitam aeternam, quanquam non omnia iam perspexit atque plane intellexit.

69. Καὶ ἡμεῖς — τοῦ ζῶντος) *Et nos quidem fidem* (tibi) *habemus, quum agnoverimus, te esse Messiam, veri Dei filium.* Pro χριστὸς ὁ υἱὸς Codd. nonnulli optimae notae habent ὁ ἅγιος, forte ex literarum compendio. Omittunt etiam τοῦ ζῶντος. Cf. Matth. XVI, 16. Recte ut videtur *Griesbachius* lectionem: ὅτι σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ in textum recepit.

70. Οὐκ ἐγὼ — διάβολός ἐστιν;) *Nonne ego vos duodecim elegi? sed unus vestrum mihi adversatur?* Petrus illam confessionem protulerat nomine duodecim discipulorum. Christus autem hoc responso ostendit, se Iudam nosse. Tu, inquit, omnium hanc fidem et confessionem esse, ais, at vero non omnes in eam tecum concedunt; unus enim vestrum est homo pessimus, simulator, qui mente animoque a me alienissimus est. Διάβολος, i. e. diabolo similis, summe malus et improbus. Nullum enim foedius exemplum peccati

cati et dissimilitudinis cum Deo habet Scriptura S. quam diabolum. Haec est causa, cur pessimi ingenii homines nominantur diaboli. Potest etiam διάβολος h. l. simpliciter esse *adversarius*, *hostis*, ut Hebr. שָׂטָן, Reg. V, 18. XI, 14. vel צָר Esth. VII, 4. seu צֹרֵר Esth. VIII, 1. ubi Haman appellatur צֹרֵר הַיְּהוּדִים, quod LXX. vertunt: διάβολος. Cf. etiam 1 Macc. I, 36.

71. De Iuda Iscariote vid. Matth. X, 4. Scivit igitur Iesus et praedixit, Iudam fore proditorem.

CAP. VII.

1. Καὶ περιεπάτει — Γαλιλαίᾳ) *Et perrexit Iesus posthaec versari in Galilaea.* Non hoc vult Evangelista, Iesum post habitam orationem c. VI. in Galilaeam concessisse; nam gesta sunt ea, quae c. VI. narrantur, in Galilaea, ut patet ex illius cap. initio. περιπατεῖν, הָלַךְ, quod hic habet Syrus, frequentissime significat *in loco aliquo degere atque versari*, ut continuatio indicetur. μετὰ ταῦτα) i. e. etiam postquam acciderant, quae modo narrata sunt. οὐ γὰρ ἤθελεν — ἀποκτεῖναι) *Neque enim in Iudaea versari constituit, quod Iudaei ipsum e medio tollere cuperent.* Causa memoratur, cur Christus in Galilaea potius, quam in Iudaea versari atque docere voluerit, et cur a consanguineis suis admonitus (v. 3.) non statim Hierosolyma profectus sit. οἱ Ἰουδαῖοι h. l. sunt Proceres Iudaeorum, ut patet ex v. 25. 26. Causa, cur Iesum interficere voluerint, memorata est supra c. V, 18. Vitabat igitur Iesus Iudaeorum insidias, nec se per miracula tuebatur, quia iis non opus erat, et quia

in

in Galilaea maiori cum fructu docere poterat quam in Iudaea. Ratio vero, qua Ioannes in iis quae sequuntur dicta et facta Iesu Christi refert, docet eum enarrare voluisse, qui factum sit, ut inde ab hoc tempore Iudaeorum odium in Dominum mortiferum magis magisque creverit.

2. Σκηνοπηγία) Is nimirum dies festus, cui nomen Scenopegia, a figendis tabernaculis (ἀπὸ τοῦ πῆξαι τὰς σκηνάς), ἑορτὴ σκηνῶν, feriae tabernaculorum, quas Iudaei in memoriam commorationis ipsorum sub tentoriis celebrarunt et adhuc celebrant. Levit. XXIII, 34. Deut. XIV, 13. De hoc festo, Iudaeis κατ' ἐξοχὴν חג dicto, insignis est Iosephi locus Ant. III, 10, 4. De ritibus, quos Iudaei a Graecis petierunt, et huic festo praeter institutionem divinam immiscuerunt, dignus omnino est, qui legatur, *Lakemacherus* in Observatt. Philologg. P. I. p. 17. seqq. Ex Gentilibus hoc festum descripsit *Plutarchus* in Symposiac. Lib. IV. quanquam, ut ignarus rerum Iudaicarum, multos in hac re errores commisit. Cf. *Lightfootum* in h. l. et antiquitatum Iudaicarum Scriptores.

3. Οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ) Consobrini et cognati eius. Vid. not. ad. Matth. XIII, 55. Μεταβαίνειν, *migrare*, proficisci e loco quodam in alium. Μετάβηθι excitantium est. Excede ex his latebris; nam Galilaea ignobilis erat regio prae parte Hierosolymitana, ubi senatus, ubi tanta populi, tanta exterorum multitudo. Ἵνα καὶ μαθηταί σου — ἃ ποιεῖς) *Ut etiam illi discipuli tui* (in Iudaea) *spectatores operum tuorum esse possint.* Intelligi possunt discipuli, quos per baptismum initiari iusserat, c. IV, 2. Verisimilius tamen est voc.

μαθηταὶ

μαθηταὶ sensu latiori omnes in universum Christi discipulos significari, quorum plurimi iam ad festum Hierosolymis celebrandum praeierant.

4. Οὐδεὶς γὰρ ἐν κρυπτῷ — εἶναι) *Nemo enim clam sua agit, qui celeber esse cupiat.* Ἐν κρυπτῷ, ita ut se subducat hominum oculis. Τὸ κρυπτὸν nunc de domo privata, nunc de latebris, nunc de locis obscuris dicitur, ut h. l. Ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, *inclarescere, celebritatem consequi.* *Philo* de vict. off. p. 856. D. τοῖς τὰ κοινωφελῆ δρῶσιν ἔστω παῤῥησία, καὶ μεθ' ἡμέραν διὰ μέσης ἵτωσαν ἀγορᾶς, *qui prosunt publice omnibus, in clara luce versentur in foro medio* etc. Ceterum verba Οὐδεὶς — εἶναι inverso ordine collocata sunt pro οὐδεὶς, — ὃς ζητεῖ, — ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ. Quod ex Hebraeo idiomate factum esse plurimi statuunt. Recte vero *Lückius* (T. II. p. 126) monet, eiusmodi loquendi rationem, quae negligentior videri possit, saepius etiam in scriptis bene Graecis obviam eamque sensui aptissimam esse. Dictionem καὶ — αὐτὸς (αὐτὸς pro ὁ αὐτὸς) similem esse contendit latino *idemque*, ut vertatur: *Nemo enim clam sua agit, idemque cupit celeber esse* (in ore hominum versari). τι haud raro notat *magnum quid, eximium quid.* εἰ ταῦτα ποιεῖς) Ποιεῖν hic potestatem perpetuam faciendi significat. Particula εἰ non significat *si* sed *cum, quoniam*, ut Matth. XXII, 45. Actor. XVIII, 15. Nam οἱ ἀδελφοὶ bene sciebant Iesum miracula patrasse; quare eum exhortantur: φανέρωσον σεαυτὸν τῷ κόσμῳ! Et v. 3. simpliciter legitur: ἵνα θεωρήσωσι τὰ ἔργα σου ἃ ποιεῖς. Quia potes, inquiunt, et ubi, et quoties vis talia perficere etc. τῷ κόσμῳ) Magnae

hominum

hominum multitudini, qualis est Hierosolymis, ut infra XII, 19. Opponitur angulus terrae Galilaeae.

5. Οὐκ ἐπίστευον) Pro Messia eum non agnoverunt, quod regis instar se non gereret. Non omnino, non ut oportebat, ei fidem habebant; sed ex eius celebritate gloriam tantum quaerebant, optantes, ut credibile est, ut ab ipso Synedrio pro Messia declararetur. Cognati aliquid magni de Iesu sperabant, sed nihil certi apud se constituerant, neque ei parebant. Attamen parum probabilis est eorum sententia, qui statuunt, Christi fratres satis veteratorie et malitiose dedisse ei consilium in Iudaeam abeundi, ut ibi supplicio traderetur, quod cum Pharisaeis Hierosolymitanis suspicati sint, miracula, quae Iesus edidisset, ope principis daemoniorum patrata esse. Sed hae ut aliae eiusmodi coniecturae omni probabilitate sunt destitutae.

6. Ὁ καιρὸς — πάρεστιν) *Nunc mihi nondum opportunum est*, nempe ire Hierosolyma. Non poterat hoc iter tuto facere eo tempore, quo omnes viae oppletae erant hominibus proficiscentibus Hierosolyma ad festum celebrandum. Facile enim fieri potuisset concursus hominum. Quodsi comitante ista multitudine profectus esset, potuisset rebellionis suspicionem subire, et occasionem praebere, ut ipsi insidiae struerentur. Deinde etiam eam ob causam non ante ipsum festum sed serius, in ipso medio festo, Hierosolyma proficisci voluit Iesus, quia sic tutior erat ab insidiis optimatum, qui magis metuebant Galilaeos, quam Hierosolymitanos. Cf. Matth. XXVI, 5. ὁ δὲ καιρὸς — ἕτοιμος) *Vobis autem quaelibet hora opportuna est.*

est. Vos estis obscuri; nemo vos respicit; nihil vobis est metuendum. Potestis igitur semper tuto proficisci.

7. Οὐ δύναται — πονηρά ἐστιν) *Etenim non tam vos impiorum odio obnoxii estis, quam ego, qui eorum impietatem castigo.* Tacite causam indicat, cur ipsi non quodvis tempus opportunum sit proficiscendi Hierosolyma. Nihil est causae, inquit, cur homines improbi (ὁ κόσμος) vos odio prosequantur, (et vobis insidias struant,) me autem odio prosequuntur, adeoque vitae meae insidiantur, quia vitia eorum reprehendo atque vitupero. ὁ κόσμος, *homines perversi, huius seculi*, imprimis primores populi. μαρτυρεῖν, *publice profiteri*, h. l. *castigare.*

8. Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω) *Equidem nondum proficiscar.* Pro οὔπω alii legunt οὐκ, quae lectio utpote satis antiqua vera esse videtur, sed omnino explicanda per οὔπω. Sic enim explicandum esse, ex ipso Christi sermone ad cognatos suos (v. 6.) habito manifestum est. *Porphyrius*, qui omnino οὐ legisse videtur, ex hoc loco Christum inconstantiae et mutationis accusavit, teste *Hieronymo* adv. Pelagianos L. II. Verum solutio est in ipso contextu; modo post ἀναβαίνω subaudiatur νῦν, sive Praesens sensu strictissimo sumatur. Saepius Particula οὐκ ponitur pro οὔπω, e. c. Marc. XI, 13. ἀνάβητε est Imperativus aoristi pro Praesenti. Voc. ταύτην primo loco positum a pluribus Codd. abest; facile ex iis quae sequuntur invehi potuit. ὁ καιρὸς — πεπλήρωται) *Tempus mihi opportunum nondum adest.* Noluit Iesus in magno comitatu hominum, novarum rerum cupidorum, Hierosolyma proficisci. Hoc enim poterat spectare ad seditionem,

tionem, et eam ipsam ob causam concitare adversus eum primores populi. Cf. v. 6. Πληροῦσθαι aut συμπληροῦσθαι proprie dicitur pro certo tempore quod exspectandum est, ut Luc. XXI, 24. Gal. IV, 4.

9. Ἔμεινεν) aliquamdiu, ut ea quae sequuntur ostendunt. Igitur hi, qui proficiscebantur, omnino credebant, Iesum nolle Hierosolyma ire.

10. Οὐ φανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ) *Non quidem palam, sed in occulto*, sine magno comitatu, ut alii homines ignorarent, ne, si populi magno comitatu e Galilaea usque Hierosolyma veniret, concitatos in se animos procerum magis accenderet. Aoristus ἀνέβησαν h. l. pro Plusquamperf., ut saepius. Cf. *Buttmanni Griech. Gramm.* §. 124. Ὡς fere id quod *quasi* (occultus), quia Iesus proficiscebatur sine populi comitatu. Alii putant, ὡς respondere Hebr. כ veritatis seu confirmationis et vertunt: *ganz im geheim*; quod vix probari potest. De usu τοῦ כ veritatis Vid. *Gesenii Lehrgebäude der Hebr. Spr.* pag. 846.

11. Οἱ Ἰουδαῖοι) Iudaeorum proceres; opponuntur enim τοῖς ὄχλοις, v. 12. Hi igitur ἐζήτουν αὐτὸν ἐν τῇ ἑορτῇ, *desiderabant eum in festo*, fortassis etiam requirebant per apparitores, ut ipsum e medio tollerent. Cf. v. 1. et 25. ἐκεῖνος) fortasse contemtim; ut Matth. XXVII, 63.

12. Καὶ γογγυσμὸς — ὄχλοις) *Sed et plebeii varia de eo mussitabant*; fortasse quia praeter morem nondum venerat ad concelebrandum festum. οἱ μὲν — ὄχλον) Alii dicebant, eum probum et iustum virum esse,

esse, non referendum in numerum falsorum doctorum; alii, qui in Pharisaeorum partibus stabant, pro seductore populi eum habebant, quasi doceret contemnere sabbatum, et sic porro.

13. Οὐδεὶς — αὐτοῦ) *Nemo* sc. eorum, qui Iesu favebant *libere loquebatur de eo*, s. *pro eo*, in bonam partem. παῤῥησίᾳ, *libere*, coram omnibus, in conspectu multorum. Vid. infra c. XI, 54. Col. II, 15. διὰ — Ἰουδαίων) *Quia metuebant Iudaeos*, Iudaeorum seniores et principes.

14. Τῆς ἑορτῆς μεσούσης) *Medio festo*, seu *inter medios festos dies*. Herodot. III, 4. μεσοῦντα ἢ ἡμέρα. Ad festum medium pertinent omnes inter primum et ultimum festi dies. Iesus in templo, i e. in porticu aliqua templi docuisse simulque doctrinae suae divinam originem vindicasse dicitur. Forsan sabbatum erat. Die enim sabbati frequentior erat prae ceteris medii festi diebus auditorum numerus, et opportunus de sabbato sermo, coll. v. 22.

15. Πῶς — μεμαθηκὼς;) *Unde huic eruditio, quum tamen litteris non dederit operam?* Γράμματα εἰδέναι est *scire litteras*, cuiuscunque doctrinae esse peritum. H. l. significatur *eruditio Iudaica*, quae inprimis scripturae S. cognitione et interpretatione nitebatur. Nam Iudaei nullum fere aliud litterarum genus noverunt, quam litterarum sacrarum. Sic in Tabula Cebetis εἰδέναι γράμματα, et saepe alias, ut *Kypke* probat. Non didicisse eum litteras dicebant, quia nemo praeceptor in discipulorum suorum grege eum viderat. Non poterant non admirari Iesum Iudaeorum magistri, sed invidia ducti auctoritatem facultatemque

cultatemque eius docendi populo suspiciosam reddere conabantur.

16. Ἡ ἐμὴ — πέμψαντός με) *Doctrina mea non tam mea est, quam eius qui me misit.* Responsio ad μεμαθηκώς pertinet. Dicit nempe Iesus, se non esse huius doctrinae primum auctorem, neque se, quum doctores ex hominibus non habuerit, ipsum sua praecepta excogitasse; se nihil docere quod voluntati divinae repugnet, sed ea tantum, quae ut legatus Patris proferre debeat. Non a hominibus, inquit, edoctus, sed θεοδίδακτος sum; scientiam mihi non vestris scholis paravi, sed divinitus illam accepi. Idem indicat, quod v. 18. se non ἀφ' ἑαυτοῦ λαλεῖν. Cf. c. XIV, 24.

17. Ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν κ. τ. λ.) *Si quis voluerit eius voluntati parere, is intelliget, num doctrina mea Deum auctorem habeat, an ex me ipso loquar.* Quem locum vario modo interpretantur. Et quidem plurimi, inprimis antiquiores, Interpretes contendunt, verbis θέλημα τοῦ θεοῦ ποιεῖν significari fidem in Iesum, quatenus est ὁ Χριστός, sive exercitatio divinae voluntatis per Christum revelatae; ut hic sensus exprimatur: Doctrinam meam coelestis originis esse is tantum intelliget, qui mihi fidem habuerit; tum *usu et experientia cognoscet* (γνώσεται), scil. cogitando, repetendo, agendo experietur, doctrinam meam a Deo auctore esse profectam. Sane internam de religionis christianae divinitate experientiam, quae ex usu praeceptorum Domini nobis contingit, magis magisque in dies facere ad fidem nostram stabiliendam augendamque negari nequit. Attamen hoc Christum nostro loco dicere voluisse vix credibile est.

Recte

Recte quidem ii, quibus interpretatio, cuius modo commemorationem fecimus, praeplacet, contendunt, Dominum ipsam fidem doctrinae suae habendam retulisse ad τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ. Sed qui Christo fidem habent, ii iam de eius coelesti origine ullo modo se persuasos habuerint necesse est. Nulla enim est pietas, quae verae doctrinae cognitionem praecedat, quum pietatis omnis regula sit doctrina. Qui igitur cognita Christi doctrina fidem ei habent, ii a Deo iam ad credendum ducti sunt (vid. supra not. ad. c. VI, 37. 44. 65.); et hi sunt, quibus Iesus dicit c. VIII, 31. 32. ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστέ· καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς. Verum enimvero quibuscum nostro loco Iesus loquitur, eiusmodi se praebent homines, qui nondum se ad fidem Christo habendam duci passi sunt, qui hucusque eum pro legato divino habere noluerunt; maximam partem sunt inimici, qui tanquam Dei amore plane destituti vehementer vituperantur c. V, 42.; tales se gerunt, de quibus Iesus (c. V, 45 — 47. ubi vid. not.) dixit, maximo iis impedimento esse, quo minus Messiae fidem haberent, *quod Mosis scriptis fidem denegassent.* Quare omnino nobis comprobata est sententia, quam *Lückius* commendat (T. II. p. 131. sqq.), qui verba θέλειν τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ eodem sensu accipienda esse censet ac phrases ἀγάπην τοῦ θεοῦ ἔχειν (c. V, 42.) et ἐκ θεοῦ εἶναι. Apposite V. D. contendit, versu 17. eam sentiendi cogitandique rationem describi, ex qua sola religionis christianae auctor cognosci eique fides haberi possit, ut adeo hic oriatur verborum sensus: „Vos, si intelligere velitis, num doctrina mea divinae sit ori-

ginis, ante omnia Dei voluntatem, qualis in Lege vestra vobis est revelata, novisse eique audientes fuisse oportet. Cf. 1 Cor. II, 14." Christus videtur hic aperte postulare, ut prius *fiat Patris voluntas*, a Mose prolata, quam *cognoscatur* sive *iudicetur de doctrina sua*. Neque enim Iesus exclusit omnem suae doctrinae praecedentem revelationem veritatisque cognitionem; sed duntaxat singularem quandam cognitionem ac praecipuam hominibus exhibuit, quae non specie sed gradu distat ab ea cognitione, quam Deus per Mosen dedit. Cum igitur Christus ait, *si quis voluerit facere patris voluntatem*, designat voluntatem, quae eum cognitionis gradum sequitur, qui haberi potuit ante Christi praedicationem, nempe ex doctrina Mosis et Prophetarum, quam qui animadverterunt, et ad eum revelationis modum ducebantur studio componendi vitam suam, haud dubie avide doctrinam Christi imbiberunt: quasi dicat Christus hoc loco: *Si perceptam habuissetis doctrinam Mosis*, *non quidem mente theoretica duntaxat*, *sed vel maxime practica*, *quae excitat ad opus*, *iudicaretis de doctrina mea*, *an ex Deo sit nec ne.* — Illustravit etiam hunc locum *Schottus* in Diss. *de locis quibusdam Evang. Ioann.* etc. Lips. 1808., repetita in Eiusd. *Opuscc. exeget. crit.* T. I. p. 58. sqq.

18. Ὁ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλῶν τὴν δόξαν τὴν ἰδίαν ζητεῖ) *Qui profert doctrinam suo ingenio excogitatam, is honorem suum* et commoda *venatur.* ὁ δὲ — ἀληθής ἐστι) *Qui autem spectat honorem eius, a quo missus est, is fide dignus est.* Qui omnia refert ad Deum atque id semper agit, ut celebretur Deus eiusque consilia perspiciantur, veri doctor est, neque impostor

postor populi. Hoc est criterium externum, ex quo cognosci potest, Iesum esse doctorem fide dignissimum. Nunquam aucupatus est hominum laudem, sed semper honorem Patris spectavit. Professus est semper, se doctrinam suam accepisse a Patre; Patrem sibi dedisse potestatem iudicandi mortuos, imperandi hominibus etc. Ἀληθής, *fide dignus, sibi nihil affingens*, ut supra c. V, 31. καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν) *Falsi crimen de eo credibile non est*, quum absit mentiendi causa; *fallere nescius est* (Vid. et not. ad Luc. XVI, 9.); talis est, qualem se esse profitetur, neque inest ei voluntas decipiendi. Nam ἀδικία et ἀλήθεια sibi opponuntur, ut 1 Cor. XIII, 6. et impostura vocatur ἀπάτη τῆς ἀδικίας, 2 Thess. II, 10.

19. Οὐ Μωσῆς — ἀποκτεῖναι;) *Nonne Moses vobis legem dedit, cui tamen nemo vestrum paret? Quid igitur necem meam molimini?* sc. contra legem Mosis, cuius apud vos tanta est auctoritas. Bene hunc locum παραφράζει Storrius (in Diss. *in libror. N. T. historic. aliquot loca* pag. 43.) ita: „Ex vobis iisdem, qui pro Mosaicae legis auctoritate pugnare, eiusque violationem meam sancte indignari vobis videmini, nemo legis Mosaicae, quae amorem ante omnia inculcat, observans est. Alioqui cur me propter beneficium, quamvis Sabbato datum, interficere conamini?“ Ceterum haec verba num cum praecedentibus cohaereant, an interrupto sermone paullo post addita sint, dissentiunt Interpretes. *Grotius*, *Heumannus* aliique putant, Iesum redire ad id, quod supra dixerat, doctrinam suam ideo damnari a Iudaeis, quod non haberent animum promtum, ut Deo obediant. „Vobis, qui me contemnitis, sacrosancta est

Mosis auctoritas. Annon ille vobis tradidit legem acceptam a Deo? Legis *scientiam* et observationem vobis arrogatis, quum nemo vestrum sit, qui vere servat legem secundum Dei, qui legem tradidit, voluntatem, imo legis *praetextu* ea molimini, quae maxime punit et detestatur lex.“ *Erasmus* (a *Lückio* laudatus). Adstipulatur huic sententiae *Lückius* (quem ad h. l. cf. T. II. p. 137. sqq.), qui provocat ad analogiam loci c. V, 37—47., et hoc modo sensum connectit cum praecedentibus: „Vos, qui soli Legisperiti haberi vultis, atque adeo me tanquam scholis vestris alienum et litterarum sacrarum *inscium* diffamare studetis, multo maiori iure vituperandi estis, quia quae bene didicisse vobis videmini deterrima *inobedientia* violatis.“ Neque tamen eorum rationes omnino sunt spernendae, qui novam sententiam inchoari existimant et hunc versum connectunt cum iis quae statim sequuntur. Sciebat nempe Iesus, insidias sibi strui ob aegrotum a se die Sabbati sanatum. Vide supra V, 16. coll. c. VII, 21. sqq. Reprehendit itaque Iudaeorum superstitionem et malitiam, ostenditque legem Mosis a se non esse violatam; ipsos potius esse legis violatores. Certi quid definiri haud potest. At vero, sive hanc sive illam adsciscas sententiam, sensus fere est idem, eademque manet neglectae legis accusatio, quam Iesus in Iudaeos protulit. οὐδείς) Intelligendum est hoc aut de maxima parte, aut explicandum: *nemo omni ex parte Legem observat.* τί με ζητεῖτε ἀποκτεῖναι;) Vel hoc ipso apparet, quam longe absitis ab ipsius legis observatione, quum me, popularem vestrum innocentem, ob beneficium vultis morte afficere.

20. Δαι-

20. Δαιμόνιον ἔχεις) *Tu insanis*, sanae mentis non videris compos esse. Graeci dicerent: δαιμονᾷς. Non erat credibile plebi, quae aliunde confluxerat, quenquam in populo esse, qui necem Iesu machinaretur. Ergo pro se respondebat, et ex se metiebatur etiam alios. Sed Iudaei Hierosolymitani de procerum conatu Iesum occidendi resciverant, v. 25.

21. Ἀπεκρίθη — αὐτοῖς) Non curat immeritum convitium, sed coeptum sermonem persequitur. ἓν ἔργον ἐποίησα) *Unum*, nec molestum opus, Sabbato feci, aegrotum voce sanando. ἓν tacite oppositum est *multis* Iudaeorum factis, quibus leges de Sabbato violentur. θαυμάζετε διὰ τοῦτο) Sic interpungendum est, ut iam *Theophylactus*, *Erasmus*, *Beza*, *Schmidius* aliique distinxerunt. *Miramini propterea; sacro quasi horrore perfusi estis.* Male editiones vulgares διὰ τοῦτο referunt ad v. 22. Θαυμάζειν etiam Marc. VI, 6. cum διὰ construitur. Θαυμάζετε i. e. σκανδαλίζεσθε seu θορυβεῖσθε, ταράττεσθε, ut recte Chrysostomus. Ἐμοὶ χολᾶτε v. 23. quasi Sabbatum violaverim.

22. Μωσῆς — περιτομήν) *Moses vobis iniunxit legem de circumcisione.* Δοῦναι h. l. est *iniungere, mandare, lege praescribere.* Ex concessis disputat Iesus, et quidem validissime. Vos, inquit, Sabbato circumcidere pueros soletis, nec tamen putatis Sabbatum violari. Cur igitur mihi violati Sabbati crimen imputatis, quia hominem sanavi? Περιτομὴν esse legem de circumcisione, in promtu est. οὐχ ὅτι — πατέρων) *Non quod a Mose primum sit instituta; iam enim Patrum tempore fuit in usu.* Dum dixi, inquit, Mosen praescripsisse circumcisionem, secutus

cutus sum usum loquendi communem. Iam vero Abrahami, Isaaci et Iacobi tempore viguit hic mos. Vid. Genes. XVII, 10. XXI, 4. Moses legem illam repetiit atque amplificavit. Ἐκ pro παρὰ. Καὶ — ἄνθρωπον) *igitur die Sabbati circumcidere soletis homines.* Καὶ, *quare, igitur.* Laborem varium peragitis, quo carere non potestis, ut perficiatur circumcisio. Sententia est Hebraeorum: *Periculum vitae pellit Sabbatum, circumcisio etiam atque eius sanatio.* Tanchum f. 9. 2. Schabbat f. 128. 130.

23. Εἰ περιτομὴν — ἐν σαββάτῳ;) Est argumentatio a minori ad maius. *Quodsi fieri potest, ut homo circumcidatur die Sabbati,* (licet in hac caerimonia peragenda multa fieri debent, ne hominis sanitas in periculum adducatur,) *ut non solvatur lex Mosis, quo iure mihi succensetis, quod Sabbati tempore totum hominem sanitati restitui?* ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως, ut maneat praeceptum illud, de circumcisione octavo die facienda, a Deo datum, a Mose perscriptum, com. 22. Λύειν h. l. est *violare, transgredi.* Vos ipsi, ait, inter leges Mosaicas distinguitis, sic quidem ut legem antiquiorem de circumcisione potiorem habeatis rigido otio Sabbati per Mosen imperato: quare ego leges de Sabbati otio nullo alio modo transgressus sum, quam quo id a vobis centies factum esse apparet. Consentit cum hac interpretatione *Lückius* ad h. l. *Kuinölius* aliique verba ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως malunt intelligere de lege sabbati celebrandi; vocc. ἵνα μὴ vertunt *ita ut non*, et sensum sic constituunt: *Si die Sabbati hominem circumcidi licitum vobis est, ita ut non violetur lex de Sabbato* etc. Minime tamen opus est, ut

Praepos.

Praepos. ἵνα vim inferamus, quum ea ratione, quam supra proposuimus, sensus simpliciter procedat. Ὅλον ἄνθρωπον, non solum eius membrum aliquod. Multa peraguntur Sabbato, ne vulnus circumcisionis homini mortem forte afferat; quanto magis licet, hominem, qui toto corpore laborat, etiam Sabbato restitui integrae valetudini? Fortassis etiam Iesus haec ideo dixit, quia doctiores Iudaei circumcisioni vim medicam et salutarem tribuerunt. *Philo* (de circumcis. pag. 211. ed. Mangey) quatuor commemorat causas, cur hic ritus sit servandus, quarum prima est, ut caveatur morbus curatu difficilis, quem vocant carbunculum, (ἄνθρακα,) sic appellatum, quod urat inflammatione, quae praeputiatis facilius innascitur. Quicquid sit, exemplo praecepti de circumcisione (ut recte monet *Storrius* l. c.) declaravit Iesus, esse omnino praecepta, quae altero illo de abstinentia operis sabbato faciendi antiquiora et potiora sint ducenda; atque in eorum numero, legem de amore et misericordia priorem, et antiquiorem ipso etiam circumcisionis instituto, iure suo habuit. Cf. etiam *Michaelis Mos. Recht*, P. IV. §. 186.

24. Μὴ κρίνετε — κρίσιν κρίνατε) *Non iudicate secundum externam speciem tantum, sed secundum rei veritatem.* Κατ' ὄψιν, *secundum externam speciem.* Deut. I, 16. 17. Ies. XI, 3. Lysias Apol. in Senatu: ὥστε οὐκ ἄξιον ἀπ' ὄψεως, ὦ βουλή, οὔτε φιλεῖν οὔτε μισεῖν οὐδένα, ἀλλ' ἐκ τῶν ἔργων σκοπεῖν. Δικαία κρίσις, *verum iudicium*, quod veritati est consentaneum, quam notionem *Kypke* ex Profanis probat. Secundum adspectum, quo externa iudicabant, qui licere

cere putabant circumcidere die Sabbati, sed indignabantur, si Christus Sabbato sanaret aegrotos. Hoc, dicit, non est *rectum facere iudicium*, sed *secundum faciem iudicare* atque personam accipere. Vid. not. ad c. V, 9. 10.

25. Ἔλεγον — ἀποκτεῖναι;) Hierosolymitani de hoc procerum conatu atque consilio Iesum occidendi resciverant, quod turbis aliunde confluentibus erat ignotum, v. 20. ζητοῦσιν) Sc. nostri proceres, penes quos cognitio erat de Prophetis veris aut falsis.

26. Καὶ ἴδε — λέγουσι) *Et ecce*, *palam* (in templo) *et libere docet*, *neque illi tamen quicquam contradicitur*, neque hoc ipsi interdicitur a Synedrio. Παῤῥησίᾳ, *libere*, in maxima hominum celebritate, palam in templo. Vid. v. 4. Λαλεῖν pro διδάσκειν frequens est in his libris. Μήποτε ἀληθῶς — ἐστιν ὁ χριστὸς;) *Num forte certis indiciis cognoverunt proceres*, *eum esse Messiam?* Ἀληθῶς, i. e. *certis indiciis*, ut infra c. XVII, 8. Illud posterius ἀληθῶς ante ἐστιν, quod editiones exhibent, deest in codicibus, antiquis versionibus et Patribus haud paucis; unde etiam a *Griesbachio* recte omittitur.

27. Ἀλλὰ — πόθεν ἐστίν) *Atqui huius natales scimus omnes.* Ἀλλὰ correctionem indicat. Addunt causam, cur Iesum pro Messia agnoscere non possint. Πόθεν ἐστίν, *quibus parentibus sit ortus.* Nam illud πόθεν designat parentes, seu in universum *originem*, non tamen exclusa *loci* notione; ut in illo *Homeri:* τίς, πόθεν εἶς ἀνδρῶν, ποῖόν σοι πόλις, οὐδὲ τοκῆες. Et cf. loca Ioann. IX, 30. XIX, 9. 2 Sam. I, 13. ὁ δὲ χριστὸς — πόθεν ἐστιν) Putant multi, respici ad opinionem

nionem Iudaeorum de duplici manifestatione Messiae; primo enim appariturum esse eum in Bethlehemo, sed illico occultaturum et latiturum, et tandem in fine XLV. dierum iterum se manifestaturum, non noto unde, et quomodo advenerit. In apparitione sua prima in Bethlehemo nihil memorabile ab eo agendum; in secunda gentis exspectatio. *R. Bechai* f. 68. 1. *Schir R.* Cant. II, 9. Alii rectius existimant, Iudaeos in ea fuisse opinione, parentes Messiae indicari non posse. Huic sententiae non obstat, quod doctores consensisse dicantur Matth. II. de loco, in quo nativitas Messiae exspectanda sit; res enim redit ad modum nativitatis extraordinarium, qui, ut ipsi statuebant, humanum coniugium omnino excludere debebat. Locum Messiae natalem Bethlehemum futurum esse utique noverant Iudaei, sed parentes eius plane incognitos fore et mansuros esse opinabantur. In hanc opinionem quomodo inciderint, etsi definiri certo non potest, haud tamen spernenda est nonnullorum coniectura, eam fluxisse perversa interpretatione locorum Ies. LIII, 8. *τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται*; aut Mich. V, 2. *καὶ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος*. At Iesu parentes nosse se Iudaei sibi persuaserant, Iosephum scilicet et Mariam. Vid. c. VI, 42. Matth. XIII, 55. Luc. IV, 22. al. et cf. *Lückium* ad h. l. T. II. p. 145. sq.

28. Ἔκραξεν — οὐκ οἴδατε) *Alta igitur voce quum in templo doceret Iesus, haec dixit: et nostis me, et originem meam; neque tamen arbitratu meo munus meum suscepi; sed verus est is, qui me misit, quem vos ignoratis.* Κράζειν, *exclamare, palam et libere dicere.* κἀμὲ οἴδατε, καὶ οἴδατε πόθεν εἰμί)

εἰμί) Multi interpretes *ironice* dictum putant (*ihr möget mich wohl recht kennen!*); sed *Grotius* aliique legunt cum interrogatione: *Itane vero me nostis, (so wisset ihr also?) quo sim patre genitus.* Vos dicitis, et me et patrem meum vobis notum esse: utrumque falso (vid. c. VIII, 14. 19.); pater meus non est faber, ut vos putatis, sed Deus, cuius ego filius, legatus et interpres sum. Quae interpretatio et *Kuinöliо* comprobata est. Videntur tamen potius esse verba concedentis: concedo vos hoc nosse, *ex vestra scil. sententia.* Inde vero minime sequitur, me non esse Messiam. Καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα, *veruntamen non meo arbitratu suscepi munus meum,* sed tamen missus sum ab alio, quem nescitis. Uno posito, non tollitur alterum. Vos, inquit, me quidem nostis et natalia mea (VI, 42.), veruntamen veram meam originem nescitis, quia pro vestra cogitandi agendique ratione alieni estis ab eo, qui me misit. Vid. supra c. V, 42. et quae notavimus ad c. VII, 17. Καὶ, *Atqui, veruntamen.* Cf. ad h. l. *Winerum über die Ironien in den Lehrvorträgen Iesu* in *Zimmermanni Monatsschr.* T. II. Fasc. 3. p. 265. Ἀλλ' ἔστιν — με) *Sed verax est,* stat promissis, *is qui me misit.* ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε) Nescitis, quo sit ingenio, quo affectu erga genus humanum, quo cultu delectatur. Quum tamen non apparet, cur Deus in hoc verborum contextu dicatur *verax*, rectius fortasse voc. ἀληθινὸς sumitur pro Adverb. ἀληθῶς, et cum emphasi vertitur: *Est revera aliquis* etc. Cui tamen interpretationi (ab *Heumanno*, *Moro*, *Eckermanno* laudatam) insistere nolumus, sed etiam *Lückii* sententiam admittendam esse censemus, qui arbitratur, voc.

ἀλη-

ἀληθινὸς cum *veri* et *sublimioris* notione oppositum esse cuivis humanae auctoritati, h. sensu: *verus isque sublimior atque potentior est, qui me misit* etc.

29. Ἐγὼ δὲ οἶδα — ἀπέστειλεν) *Ego novi eum, quoniam ab ipso sum, et ille me misit.* Εἰδέναι θεὸν, consilia, virtutes, instituta Dei nosse, iisque obsequi; contra Iudaeos dicit Deo inobedientes esse. Similia Christi effata vid. Io. VI, 46. Matth. XI, 27. Παρ' αὐτοῦ εἰμι) *ab eo veni*, ex ipsius quasi sinu, c. I, 18. Allusio est ad illud supra dictum: πόθεν ἐστίν, alio sensu. Idem sensus, qui inest verbis sequentibus: *et ille me misit.*

30. Καὶ οὐδεὶς — χεῖρα) *Nec tamen quisquam ei manum inferre ausus est.* Quidam ex adstantibus manus ei iniicere volebant, nempe ut eum ad Synedrium adducerent, cui id gratum fore sciebant. Sed in verbis quae sequuntur innuit Ioannes, Deum adhuc sua potentia a Iesu vim prohibuisse, quo minus inimici ei nocerent, quia οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτοῦ, quia nondum aderat tempus passionis a patre electum, ut opportunissimum saluti humanae: id saepe ὥραν vocat *Ioannes* ut c VIII, 20. et alibi.

31. Πολλοὶ δὲ — ἐποίησεν;) *Multi potius de plebe fidem ei habuerunt, et dixerunt: Num Messias venturus plura edet miracula, quam quae hic edidit?* Ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν) Non ut in Messiam, (nam de eo dubitabant,) sed ut in hominem a Deo missum. πλείονα σημεῖα) Nam plurima ipse etiam Ioannes subticuit, c. XX, 30. XXI, 25. Iudaei, qui h. l. commemorantur, praecipue ad miracula attendebant, ad doctrinam perfectiorem non respiciebant.

32. Ἤκουσαν — πιάσωσιν αὐτὸν) *Quum Pharisaei*

saei audirent, haec de eo inter plebem mussitari, tum ipsi et principes sacerdotum apparitores ad eum comprehendendum emiserunt. Οἱ Φαρισαῖοι h. l. sunt Synedrii assessores e familia Pharisaeorum, qui Christo inimiciores erant, quam assessores e secta Sadducaeorum. Οἱ ἀρχιερεῖς sunt assessores ex ordine sacerdotali; nam Synedrium constitit ex 72. assessoribus, qui erant ex ordine sacerdotali, Legisperitis, i. e. legis Mosaicae interpretibus, s. iureconsultis et theologis, et senatoribus aliis, qui πρεσβύτεροι dicebantur. Synedrii igitur e secta Pharisaeorum collegae reliquos, seu eorum maximam partem (non enim ad unum omnes infenso atque inimico animo in Christum erant) instigabant, ut Iesus totius Synedrii auctoritate caperetur. Γογγύζειν, *mussitare*, clam et submissa voce loqui. Ὑπηρέται, *apparitores* Synedrii, Matth. XXVI, 58. Non statim, sed opportunitate oblata Iesum comprehendere volebant.

33. Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς) Deest αὐτοῖς in melioribus codicibus, versionibus nonnullis et Patribus. Et recte. Non enim missis a Synedrio haec dixit Iesus, sed auditoribus tum praesentibus, reipsa autem ostendens, se non ignorare inimicorum improba consilia. Quae hic narrantur, non uno die sed intra plures, aut binos certe dies dicta sunt atque acta; id quod patet ex comm. 37. Ipsos vero apparitores, Synedrii imperio missos, ut oblata opportuna occasione Iesum comprehenderent, orationibus eius interfuisse, valde probabilis est sententia; modo respicias infra versum 46., ubi apparitores rogati, cur Iesum non adduxissent, hoc modo respondent, ut dicant: οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος κ. τ. λ. ἔτι — πέμψαντά με) *Breve tempus restat,*

restat, quod vobiscum versor; revertar enim ad eum, qui me misit. Καὶ scil. *dein, tunc;* itidem subaudiendum verbis ὅπου εἰμὶ v. 34. Εἶναι μετά τινος, *versari, vivere cum aliquo.* Praesens εἰμὶ ut sequens ὑπάγω vim futuri obtinet. Plerumque verbo ὑπάγω utitur Christus, quum de abitu suo ex hoc mundo obscurius loquitur; vid. c. VIII, 21. 22. XIII, 33. 36. XIV, 4. al.

34. Ζητήσετε — εὑρήσετε) *Si me quaeratis non comparebo.* Sensu haec verba non videntur differre a comm. 33. Ζητεῖν, *quaerere, desiderare;* εὑρίσκειν, *attingere, consequi, invenire.* Quum loco parallelo c. VIII, 21. additum legatur: καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε, et c. XIII, 33. consulto ac de industria omiserit Iesus comminationem: καὶ οὐχ εὑρήσετε· patet (utor *Kuinöli* verbis) verissimam esse *Lampii* huius loci interpretationem, cuius verba haec sunt: „Patet ex collatis locis, quomodo *quaesitio Domini* sit intelligenda, non quasi Iesum pro auxiliatore suo actu post excidium accipere desideraverint, ut *Chrysostomus* et *Theophylactus;* aut quasi per miracula ab Apostolis edita ad poenitentiam ducti fuerint, ut *Augustinus* et *Beda;* aut quasi indicaretur, Iudaeos Iesum etiam post resurrectionem ad perdendum frustra quaesituros, ut *Rupertus* opinatur: sed quia suo modo, secundum suos conceptus *quaesituri* erant *Messiam,* quod implicite idem erat ac *quaerere Iesum,* quia extra illum alius Messias non erat exspectandus.“ Καὶ ὅπου — ἐλθεῖν) *et ubi ego ero, eo non potestis pervenire.* ὅπου εἰμὶ ἐγὼ) Pro εἰμὶ plurimi Interpretes legi malunt εἶμι *abeo,* ὑπάγω. Provocant ad Nonni auctoritatem, qui, contextum magis quam lectionem ipsam respiciens, verbo ὀδεύσω usus est. Sed εἶμι poeticum est, et nostris scrip-

scriptoribus incognitum. Tam *εἰμὶ* hic est pro futuro, quam sequens *δύνασθε*. Ubi tunc *ero*, versabor, postquam sc. a vobis discessi. *ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν*) Nimirum, me quasi e coelo revocaturi, et meam provinciam lubentius admissuri. Fortius affirmatur his verbis, eos frustra tunc Messiam exspectaturos esse.

35. Εἶπον — *εὑρήσομεν αὐτὸν*;) Οἱ Ἰουδαῖοι iterum sunt principes, senatores Iudaeorum. *Quonam*, inquiunt, *hic abiturus est, ut eum non simus reperturi?* ut eum invenire non possimus, ut hic optime vertit Syrus. Μὴ *εἰς* — Ἕλληνας;) *Num ad eos profecturus est, qui dispersi sunt inter Graecos, atque etiam Graecos docturus?* Ἡ *διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων* dictum esse videtur pro *οἱ διασπαρέντες ἐν τοῖς Ἕλλησι, dispersi inter Graecos*, nempe Iudaei, qui extra terram Israel inter gentes habitabant, qui et dispersio Israelis vocantur, et duodecim tribus, qui *ἐν διασπορᾷ*, Iac. I, 1. Cf. et 1 Petr. I, 1. Usurpatur autem voc. *διασπορὰ* de Iudaeis extra Palaestinam viventibus, sive ultro emigratis, sive bello expulsis. Sic *Paralipom. Ieremiae* MS. *Baruch* scripsit et misit *εἰς τὴν διασποράν τῶν ἐθνῶν*, ad Iudaeos in Aegypto atque alibi viventes. Iudaei autem per totum terrarum orbem dispersi fuerunt, suasque sibi habuerunt in omnibus locis Synagogas et Proseuchas, quod quum aliunde, tum e Iosepho de B. I. Lib. VII, 3, 3. scimus. *Salmasius* (de lingua Hellenistica p. 218. et in Funere linguae Hellenisticae p. 98. sqq.) et qui eum sequuti sunt (inter recentiores etiam *Lückius* ad h. l.), *διασπορὰ* intelligunt de *loco* dispersionis et nihil aliud hic putant indicari, quam *ad gentes ire, et in regionem gentium, quam διασπαρέντες Ἰουδαῖοι inhabitant, proficisci, ubique*

que gentes ipsas docere, non autem Iudaeos, qui inter ipsas dispersi degunt. Ita vero, ut recte monuit *Kuinölius*, non perspicitur, si nihil aliud Iudaei dicere voluissent, quam *num vult ad gentes abire eosque edocere*, cur formula διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων usi sint. Quibus nos adiicimus haec: Si Iudaei Iesum ad gentiles edocendos abiturum esse dicerent, et simul dispersorum Iudaeorum mentionem facerent, vix intelligitur, cur hi a doctrina Christi excludantur. Id eo magis esset mirandum, quum Iudaei inter gentiles dispersi parvi aestimarentur a Iudaeis Hierosolymitanis, quippe qui in terra sancta, et in urbe in qua templum erat, habitarent. — Ἕλληνες omnino videntur esse gentiles; haec enim usitata est huius vocis significatio, in iis locis, ubi Graeci opponuntur Iudaeis. Vocantur autem Ἕλληνες propterea, quia plurimae gentes lingua graeca utebantur. Iudaei contra inter gentes dispersi appellati sunt non Ἕλληνες, sed Ἑλληνισταί. Act. VI, 1. Videntur igitur auditores Iesu suspicati esse, propositum ei fuisse, non tantum Iudaeos inter gentes dispersos, sed etiam ipsos gentiles edocere.

36. Τίς ἐστιν οὗτος ὁ λόγος, ὃν εἶπε) Nam nisi hoc vult, quem sensum habet sermo ipsius? Haec repetita quaestio ostendit, Iudaeos in verbis Christi haesitasse, neque eorum sensum consequi potuisse. Nolim igitur opinioni, cui Interpretes longe plurimi favent, adstipulari, Iudaeos his verbis (v. 35. et 36.) Iesum irrisisse. Iudaei etiam qui hic loquuntur, quamvis Synedrio dediti, non tamen ex ipsis Synedrii assessoribus fuisse videntur. Sacerdotes enim et Pharisaeos Christo infensos, postquam apparitores miserant, Domini sermonibus iam interesse noluisse, facile intelligitur; appa-

apparitores autem infra v. 45. ad illos *rediisse* dicuntur.

37. Ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς) *Ultimo die festo, qui erat maxime solemnis.* Erat dies festus octavus; nam primus et octavus dies Σκηνοπηγίας proprie festi dies יָמִים טוֹבִים appellantur, cuius generis dies ἡμέρα μεγάλη Ies. I, 13. dicitur, ut docet *Conr. Ikenius* in diss. priore *de tempore celebratae a servatore ultimae coenae paschalis*, cap. III, §. 1. sq. Quod autem Ioannes diem octavum τὴν μεγάλην, diem maxime solemnem vocat, in eo sequitur opinionem gentis; nam ex institutione Dei non apparet aliqua dignitas huius diei supra primum. Sed putabant Iudaei, ceteris diebus supplicationes et sacrificia fieri, non tam pro seipsis, quam pro reliquis gentibus, at die hoc octavo solum pro seipsis. *Succah. Bemidbar Rabba*, Sect. 21. Cf. *Lightfoot.* Εἱστήκει — καὶ πινέτω) *Hisce verbis exclamavit Iesus: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Εἱστήκει, sc. ἐν τῷ ἱερῷ, quod partim ex adiuncta diei festi mentione, partim ex v. 28. apparet. Verbum ἔκραξε et παῤῥησίαν dicentis et audientium frequentiam ostendit. Occasionem haec verba recitandi sumsit Iesus a ritu, singulis huius festi diebus recepto, secundum quem Sacerdos aliquis cantharo aureo ex fonte *Siloa*, ad radices montis Sion scaturiente, extra Hierosolyma aquam hauriebat, eamque per aquarum portam in Templum perferebat, tandemque vino mixtam, foramini magni altaris infundendo, libabat; inter quae *Hallel magnum* canebatur, h. e. Psalmi CXIII — CXVIII. Hunc ritum exponunt inprimis post codicem סוכה in corpore Mischnico

Salomo

Salomo Deylingius observatt. SS. Part. II. Dissert. 31. et *Io. Iacobus Frey* in Diss. *de aquae libatione in festo tabernaculorum*, Altorf. 1734. Cf. *Lightfootum*, *Wetstenium* ad h. l. et *Lakemacheri* Commentat. *de ritibus quibusdam Bacchicis a Graecis ad Iudaeos recentiores derivatis, et ab his tabernaculorum festo usurpatis*, in Observatt. philologg. P. I. pag. 17. Monet quidem *Frey*, octavo die caerimoniam haustae et effusae aquae intermissam esse. Sed res est incerta; nec etiam, si vera esset *Freyi* sententia, inde consequeretur, Christum aquarum effusionem tum non tenuisse animo. Quum enim auditores eius superioribus harum feriarum diebus, in ipso illo loco, ubi iam disserebat, huic religioni interfuissent, non ineptum est, si quis existimet, eum istam effusionem revocasse in animos auditorum, eosque ad suae veluti sapientiae rivulos excipiendos invitasse. Addunt interpretes, auctoritatem Rabbinorum secuti, institutam apud Iudaeos harum aquarum profusionem duplicem habuisse significationem, primum expetendae a Deo pluviae, deinde fiduciae positae in promissionibus iis, quas Deus de dandis tempore Messiae dotibus a Spiritu sancto profectis dederat; et haustionem aquae nominatim esse propter Ies. XII, 3. Sed recte monet *Nösselt* in Progr. *ad locum e Ioanne* VII, 37 — 39. (in opusculorum Fascic. I. edit. 2. pag. 52.) non ita rerum suarum certos testes esse Iudaeos, ut eorum auctoritate standum sit, maxime in re tali, qualis est de spiritu sancto huiusque donis doctrina, cui ante, quam Christus sapientia sua erudivisset Iudaeos, tantae offusae erant tenebrae. Videtur igitur haec consuetudo effundendae in his feriis

aquae revocare potius debuisse beneficium magnae aquarum copiae, quam Deus Israelitis in longo per desertum itinere aqua carentibus propinavit. Nam omnia ea, quibus Iudaei harum feriarum celebritatem auxerunt, ita sunt constituta, ut res illas, quae Israelitis in locis desertis et paullo post contigissent, similitudine quadam exprimant, e. c Exod. XV, 27. Cf. omnino de hoc festo *Iosephi Antiqq.* L. XIII, c. 13. *Plutarchi Sympos.* IV. Quaest. 5. Ipsa sententia verborum Christi, quibus ad se Iudaeos vocat, non est obscura. Διψᾷν, *desiderium habere* intelligendae doctrinae et scientiae religionis. Etenim in omnibus linguis *sitire* dicuntur, qui magno cuiusdam rei desiderio tenentur. *Bibere alicuius aquam* saepe idem esse apud Iudaeos, ac doctrinas alicuius recte percipere, atque perceptas probare iisque uti, id inter alios docet *Schöttgenius* in dem Rabbiner, pag. 218. sq. Cf. loca Ioann. IV, 14. VI, 35. coll. VI, 40. 47. 51. Nec dubitari potest, eandem illam sententiam hic isti verbo esse subiectam, quum ipse Christus eos, quos ad bibendum provocat, statim v. 38. *credentium* nomine appellet. Igitur imagine demta, proprius sensus verborum ἐάν τις — πινέτω, erit: *si quis cupidus est discendi, is se mihi tradat in disciplinam, meaque doctrina recte utatur.* Plura de huius comm. interpretatione vid. in *Kuinölii* Commentario ad h. l.

38. Ὁ πιστεύων — ζῶντος) *Quisquis se mihi tradit in disciplinam, ex illo, ut scriptura dicit, vel flumina manabunt aquae limpidae et salutaris,* i. e. *per eum alii etiam homines magna doctrinae copia largissime imbuentur.* Nonnulli verba sic coniungenda putant: καὶ πινέτω ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γρα-

φὴ,

φῇ, *et bibat qui in me credit*, *ut scriptura dicit*, coll. Ies. LV, 1. Sed verba ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ non ad superiorem, sed ad hunc versum esse referenda, accurate *Nösseltus* l. c. p. 55. docuit. Alii, quia verba: ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας κ. τ. λ. hoc modo coniuncta in Scriptura non leguntur, formulam καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ connectunt cum ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ et vertunt (ut *Erasmus*): *qui in me credit*, *ut Scriptura monet*, i. e. Scriptura monet ut mihi credatur, nam de me testificatur; ut adeo verba: ποταμοὶ κ. τ. λ. sint Christi nec Scripturae. Quibus vero coniecturis minime opus est. Quamquam enim phrasis illa in V. T. iisdem verbis non deprehenditur, similes saltem dictiones occurrunt Ies. XLIV, 3. Ioel III, 1. et imprimis Ies. LVIII, 11. 12. ubi pariter ut in nostro loco, pii homines comparantur cum fonte, et quantopere profuturi sint aliis, declaratur. Quum igitur Iesus dixit: καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, idem est, ac si dixisset: *ut sacrorum auctorum verbis utar*, plurium locorum sensum exprimens. Saepe enim illa formula non unus aliquis locus sed multorum consensus indicatur (ut c. V, 39.). Quare et Syrus hic pluraliter *Scripturas* posuit. Ὁ πιστεύων et ποταμοὶ sunt Nominativi absoluti, ut Matth. XII, 36. Actor. VII, 40. Verba igitur ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ reddi debent: *Quod attinet eum*, *qui me Messiam agnovit*, is copiosam et salutarem scientiam sibi colliget. *Henkius* etiam (in Commentat. *Ioannes Apostolus nonnullorum Iesu Apophthegmatum in evangelio suo et ipse interpres;* repetita in *Potti et Ruperti* Sylloge commentatt. theoll. Vol. I. p. 6.) existimat, verba καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, non pertinere ad locum aliquem sacri codi-

cis singularem, sed ad excusandam et emolliendam audaciam imaginum *agri* sitientis, bibentis, exundantis, quibus et similibus multis scriptores Iudaeorum classici non raro fuerant usi, ut Ps. XXXVI, 9. 10. Ies. XLIV, 3. 4. Ioel III, 23. al. Cui tamen, quod attinet imaginum audaciam, obiici posset, quod non eadem Orientalibus atque Occidentalibus audacius dicta videantur. Ex aliorum sententia *Aquam vivam* improprie hic sumi, eaque significari *doctrinam* Christi, in promptu est. Vid. not. supra ad IV, 10. Quum autem dicitur, fore, ut huius doctrinae *amnes*, s. flumina sese effundant, hoc indicatur, fore, ut magna huius doctrinae copia ad multos, atque diu, derivetur. Ποταμὸς, *fluvius*, h. l. symbolum doctrinae salutaris vel ratione naturae suae (Ies. LV, 1. Zach. XIV, 8.) salutaris, vel copiae et multitudinis (Ier. XLVI, 7.). Ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ nihil aliud est, nisi: *ex illo*. Etenim voc. κοιλία hic est i. q. *cor*, i. e. *animus, interna hominis*. Verba igitur ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλ. αὐτ. ῥεύσ. vertenda sunt: *flumina ex eius corde*, animo, *dimanabunt*. Cf. XVI, 11. Ier. IV, 19. Sir. LI, 21. Voc. κοιλία respondet Hebr. בֶּטֶן et מֵעַיִם. Amant enim Hebraei corporis membris, quorum est praecipua pars in re, quae tractatur, tribuere et de iis praedicare, quae pertinent ad hominem ipsum. Vid. et Luc. XI, 27. et cf. *Wahlii* Lex. sub illa voce. Non respicitur ad ventrem amphorae, e qua aqua libabatur, ut nonnulli putant; nec audiendus est *Wetstenius*, qui hanc phrasin illustrare vult loco ex *Tanchuma*: „Quomodo Abraham didicit legem? Duo renes eius facti sunt tanquam *lagenae*, e quibus lex promanavit.“ Ex *Henkii* sententia (l. c.) Christus eos, qui lubenti erecto-

erectoque animo ipsius doctrinam exciperent, non tam sitienti *homini*, quam *agro sitienti*, comparavit, qui non modo imbibat ipse imbrem, reficiatur ac fertilis fiat, sed etiam rivos, adeoque copiosa flumina, late diffundat, ut ἡ κοιλία sit *venter agri*, sicut ἡ καρδία τῆς γῆς. Matth. XII, 40. et θαλάσσης Ezech. XXVIII, 2. vel etiam, sicuti Cicero terrae tribuit *gremium*, quo mollito et subacto semina excipiat (de Senect. cap. 15.); διψᾷν et πίνειν more fere poetarum de *agro usurpetur*. *Lückius* (T. II. p. 157.) respectu non habito interpretationis, quam ipse Ioannes v. 39. adiecit, vult hunc locum illustrari e locis IV, 14. VI, 35. coll. VI, 40. 47. 51., et verum comm. 38. sensum contendit esse hunc: Quicunque mihi fidem habuerit, in eius animo fons vitae aeternae tam largus orietur, ut totum hominem penetret atque reficiat. Recte quidem. Neque tamen verborum sensum, quem supra in versione expressimus, falsum esse arbitramur. Nam qui ipse veritatis salutiferae cognitionem in animum suscepit, eum enixo studio in id intendere necesse est, ut alii quoque ad veritatis divinae fontem adducantur.

39. Τοῦτο — εἰς αὐτὸν) Sensus est: *hoc autem intellexit* (Iesus) *de plenissima illa veritatis divinae intelligentia, quam accepturi essent in eum credentes.* Πνεῦμα h. l. ut saepius, indicat pleniorem illam religionis notitiam, qua imbuti sunt Apostoli non tantum, sed et alii omnes cultores Christi, post eius resurrectionem. Nam πνεῦμα (δύναμις ἐξ ὕψους, Luc. XXIV, 49.) universe in sacris literis appellatur quidquid facultatis aut notitiae praeter naturae vires contigit, propterea non tantum ad facultatem edendorum prodigiorum, sed etiam ad communicatam cum homi-

hominibus divinam recte agendi vim, inprimisque ad divinam institutionem doctrinamque refertur. Vid. Ioh. VI, 63. 2 Cor. III, 6. et cf. *Knappii Opuscc.* p. 197. edit. 2. De pleniore religionis notitia h. l. esse sermonem, contextus etiam docet. οὔπω — ἐδοξάσθη) *Nondum enim erat spiritus sanctus* (nondum locum habere poterat plenior illa cognitio) *quia Iesus nondum erat ad summam dignitatem evectus.* Οὔπω ἦν πν. ἅγ. scil. nondum quasi effusum. Cf. et Actor. XIX, 2. Πνεῦμα, ut modo diximus, est plenior veritatis divinae intelligentia, sive beneficium illud, *per quod*, ut ait Christus Ioh. XVI, 13. *ad omnem veritatem coelestem* dirigerentur. Hoc autem beneficium, ut Christus eod. cap. V, 7. dicit, non poterat tribui discipulis, *nisi postquam is obiisset.* Cf. Christi effatum c. XVI, 7. Sic intelligitur, quomodo dicere potuerit Ioannes, eo tempore, quo Christus haec dixerit, πνεῦμα nondum datum fuisse credentibus. Verbis οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, Cod. Vat. addit: διδόμενον, quod et Verss. nonnullae exprimunt, et Ambr. Aug. Victorin. habent. Sed non opus est hoc additamento, quum sit sensus: Dona spiritus sancti tum adhuc exspectanda erant. Sic sensus bene procedere videtur. Facile enim ex Evangelistorum narrationibus intelligitur, Domini sectatores, priusquam ille e sepulcro resurrexisset atque in coelum rediisset, de Christi doctrina, quamvis saepissime audita, nondum tam firmiter se persuasos habuisse, ut fides eorum labefactari nullo modo posset; id quod ipsorum docet Apostolorum exemplum. At vero postquam omnia, quae Iesus docuerat atque etiam praedixerat, rerum exitu erant comprobata, tum tandem discipuli firmissimae

fidei

fidei sese addixerunt, sic ut dubio nullus locus esset relictus. — Aliam sententiam proposuit *Lückius* in iis quae de hoc loco disputavit (l. l. p. 158. sqq.). Quae, etsi omnino cum V. D. consentire non possum, velim tamen ab omnibus legi. *Lückio* autem verisimile esse videtur, Ioannem novisse et fortasse etiam respexisse Rabbinorum opiniones, qui aquae libationem (vid. ad v. 37.) intelligerent de effundendo Spiritu sancto. Iesum nihil aliud voluisse arbitratur, nisi ut *in praesenti* auditores, quanti sint fidei Messiae habitae fructus, perspicue edocerentur. Errasse igitur Ioannem in eo, quod in verbis Christi *vaticinium* contineri putaret; interpretationem Ioanneam verum verborum sensum non deprehendisse; bene autem omnia sese habere, modo quae Ioannes verbis Christi adiecit, tanquam *Epexegesis* capiantur, neque autem pro *Exegesi* sumantur. — Ceterum haud dubie Iesus hanc allegoriam, quam Ioannes paucis tantum comprehendit, paucis item verbis explicat, magis diduxerat, multisque librorum sacrorum locis exornaverat.

40. Πολλοὶ οὖν — ὁ προφήτης) *Iam vero multi ex Iudaeorum multitudine, sermone hoc audito, censuerunt, vere eum esse illum vatem qui exspectabatur.* Ὁ προφήτης, *legatus ille divinus.* Cogitasse videntur de Propheta V. T. Messiae temporibus ab inferis redituro. Vid. supra ad c. I, 21.

41. Μὴ γὰρ — ἔρχεται;) *Num e Galilaea Christus veniet?* Qui hic loquuntur, videntur a partibus Pharisaeorum fuisse. De loco ortus Iesu nihil nisi rumore ipsis constabat.

42. Οὐχὶ — ἔρχεται;) *Nonne libri sacri docent, ex*

ex Davidis gente, et Bethlehemo patrio Davidis oppido Messiam oriturum esse? Ergo ignota iis erat historia infantiae Iesu, nec videntur multis innotuisse ea, quae de eius nativitate a paucis narrabantur. Voc. ἡ γραφὴ innuebant plura Scripturae loca, quae de nativitate Messiae explicabant; Ies. XI, 1. Mich. V, 1. Ier. XXIII, 5. al. ὅπου ἦν Δαβὶδ) *ubi Davides erat*, vixit, habitavit, vid 1 Sam. XVI, 1. XVII, 12. 15. XX, 6. 29.

43. Σχίσμα — αὐτὸν) *Atque ita divisae fuerunt sententiae populi de eo.* Σχίσμα h. l. est *dissidium, dissensio, in varias partes scissio.* Alii enim Iesum pro Messia habebant, alii pro Propheta, alii pro impostore.

44. Τινὲς δὲ) Subornati a Senatoribus. ἀλλ' οὐδεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας) Vid. not. ad v. 30.

45. Ἦλθον οὖν οἱ ὑπηρέται) *Reversi igitur ministri*, postquam per dies aliquot Iesum sectati erant, quasi eum prehensuri data occasione. Ἦλθον, pro ἀνῆλθον, hebr. בּוֹא quod saepe significat *redire*, ut 1 Reg. XXII, 27. ubi LXX. vertunt ἐπιστρέφειν.

46. Οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος) *Nunquam ita* (tanto applausu, tam graviter) *docuit aliquis, quemadmodum hic;* nunquam audivimus hominem tam egregie docentem, ut ille docet. ἄνθρωπος, אִישׁ, pro τὶς, ut et infra v. 51. λαλεῖν, *docere.* Ingenue loquuntur. Non causantur metum turbae, sed animi conscientiam, verbis divinis commotam: tanto magistratibus suis meliores.

47. Μὴ καὶ ὑμεῖς πεπλάνησθε;) *Num etiam vos in*

in errorem adducti estis? Vos, qui, cum in ministerio nostro sitis, facile potestis discere quae ad religionem pertinent? πλανᾶσθαι, *decipere*, a vero abducere, sic ut perperam aliquis statuat.

48. Ἐκ τῶν ἀρχόντων) Ex Senatoribus Magni Synedrii, qui ius habent cognoscendi de propheta. ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων) Qui et sanctitatis et eruditionis nomine excellunt. Ita a duplici auctoritate argumentantur, iudiciali et magistrali. Sic solent, qui veritatem impugnant, pro argumentis afferre auctoritatem eorum, qui pro doctis habentur.

49. Ἀλλ' ὁ ὄχλος — ἐπικατάρατοί εἰσι) *Imo ista legis Mosaicae* (religionis) *imperita multitudo digna poenis est.* Ὁ ὄχλος οὗτος, scil. πιστεύει εἰς αὐτόν, orationis pars reticetur, ut fieri solet ab iratis. ὁ ὄχλος οὗτος dicunt cum contemtu quodam, populus terrae (עַם הָאָרֶץ), ut loquebantur: faex populi, plebs illiterata. ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον) Qui studium non ponit, ut exacte legem discat, secundum scholarum interpretationes et traditiones. Ὁ νόμος est lex Mosaica universa, sacrorum librorum volumen, religio Iudaica. ἐπικατάρατοί εἰσι) עַמְּקָא, quod saepissime Rabbini dicunt de populo terrae. Diris et maledictione digni sunt; nosque non desinemus eos anathemate ferire. ὄχλος est collectivum, quare Plur. εἰσὶ. Dicere debebant: isti plebeii homines credunt in Iesum, v. 31. sed malebant dicere, quod putabant consequens fidei in Iesum, nempe exsecratione dignos esse, qui in eum credant. Cf. infra c. IX, 22. Anathemati subiecti sunt et punientur; excommunicabuntur, qui Iesu tanquam Messiae

siae fidem habuerint. Sunt qui existiment, legem illam (IX, 22.) in hoc ipso synedrii consessu, de quo h. l. sermo est, fuisse sancitam. Quod tamen certo colligi ex hoc loco vix potest.

50. 51. Εἷς ὢν ἐξ αὐτῶν) Unus e senatu, ut apparet supra e c. III, 1—51. Μὴ ὁ νόμος — ποιεῖ) *An lex nostra condemnat ullum hominem, antequam eum audiverit et cognoverit quid faciat?* Κρίνει, *damnari iubet.* Caute locutus est Nicodemus, ut seipsum invidiae, Iesum autem periculo subtraheret. Iesum nec absolvit nec damnat. In eo tantum reprehendit collegas, quod Iesum inauditum damnarent, quum potius ex praescripto legis (Exod. XXIII, 1. 2. Deut. I, 16. 17. XVII, 8. XIX, 15.) ei locum et facultatem pro se dicendi et se defendendi concedere debuissent.

52. Μὴ καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ;) Non, quod hoc crederent, sed quod significare vellent, non alios Iesum fautores habere, quam populares, Galilaeos. Quaerunt igitur, an ipse etiam sit e sectatoribus Iesu unus, Galilaeorum patronus? ἐρεύνησον) scil. antiquitatem; revolve tecum omnium temporum historiam. Loquuntur ut erudito. καὶ ἴδε) Quasi dicant: Certum est; constat. ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται) Non de uno, sed de quovis propheta accipe. Nullus, aiunt, Galilaeus unquam a Deo donatus est spiritu prophetico: gens est Deo despecta. Vide supra I, 46.

CAP. VII, 53. et CAP. VIII.

De historia adulterae, quae narratur a comm. 53. cap. praecedentis usque ad comma 11. huius capitis, iam

iam olim fuit quaestio, et nunc est. Extat sane haec pericopa in permultis Codicibus graecis, Versionibus et apud Patres nonnullos. Abest vero a Codd. *Alex. Vatic. Regio, olim* 1905. *nunc* 9. *et regio olim* 2861. *nunc* 62. sed spatio vacuo relicto, quod tamen totam pericopam cápere non posset. Aut plane abest, aut in finem Evangelii vel ad calcem capitis XXI. Lucae reiicitur, aut adiecto Scholio adpictisve obelis sive asteriscis tanquam dubia notatur in codice Basil. multis iunioribus, Regiis quibusdam et Evangelistariis. Graeci in lectione publica commati 52. capitis VII. iungunt comma 12. capitis VIII. In nonnullis autem Lectionariis libris festo Pelagiae aut Mariae aegyptiacae aut alio die festo praelegenda exhibetur haec historia. Abest praeterea a Syr. utr. et editionibus syriacis primis, Copticis codicibus plerisque, Arabica e coptica translatione conversa, Arm. teste Nibone, qui Armenos reiecisse haec testatur; unde in fine Evangelii legitur in codd. arm. quibusdam Goth. verc. brix. Nec attingunt eam Orig., Apollinar., Theodor. Mopsvest., Cyrillus Alex., Chrysost., Basil., Cosmas, Nonn., Theophyl., Catenae ed. et ms. Tertull., Cypr., Iuvencus. In catena graeca, edita a Cotelerio, collectae sunt explicationes XXIII. Patrum graecorum; sed nulla fit mentio huius narrationis. Nil definiunt Ammonius et Eus. Eadem varietas deprehenditur etiam in Codicibus MSS. variarum Bibliothecarum ab *Andrea Birch* collatis. Vid. eius editio *Quatuor Evangeliorum*, iussu et sumtibus Regiis procurata. Havniae, 1788. 4. Suspecta etiam haec historia fuit *Erasmo, Pellicano, Olivetano, Caietano, Bucero, Calvino, Bezae, Iansenio Gandavensi, Grotio, Hammondo, Clerico,*

Clerico, *Wetstenio*, *Semlero*, *Schulzio*, *Moro*; et inter recentiores *Hänleinio* (*Einleit. in d. N. T.* T. III. p. 215. sqq. ed. 2.), *Wegscheidero* (*Einl. in d. Evang. Ioh.* p. 164. sqq.), *Paulo* (*Krit. Kommentar* ad h. l.), *Schmidtio* (*Einl. in d. N. T.* p. 159. sqq.), *Bretschneidero* (Probabil. p. 72. sqq.), *Tittmanno* (*Melet. sacra* p. 318. sqq.), *Knappio* (in Praefat. ad Edit. 3. N. T. p. 29.), *Seyffartho* (*Beitrag zur Sprachcharakteristik d. Iohann. Schrr.* p. 176.), *Vatero* (in N. T. p. 302.), *Lückio* (*Commentar üb. d. Schrr. d. Evangelist. Ioh.* T. II. p. 168. sqq.). — Locum vero genuinum esse contenderunt post *Millium*, *Bengelium*, *I. D. Michaelem*, *Storrium* aliosque potissimum *Stäudlinius* (*Prolusio, qua Pericopae de adultera veritas et authentia defenditur.* Partic. I. II. Gotting. 1806.), *Hugius* (*de coniugii christiani vinculo indissolubili.* Friburgi, 1816. p. 22. sqq.), *Möllerus* (*neue Ansichten schwieriger Stellen aus den vier Evangelisten* p. 313. sqq.), *Kuinölius* (*in Commentar.* ad h. l.) et nuperrime *Schulthessius: über die Perikope von der Ehebrecherin, in Beziehung auf Lücke's Commentar d. Iohann. Schrr.* Bd. II. p. 160—204. in *Wineri* et *Engelhardti neuem krit. Iournal der theol. Literatur*, T. V. Fascic. 3. p. 257. sqq. *Grotius* existimat, hanc historiam attextam quidem a Nazarenis Palaestinae Hebraeo Evangelio; a *Papia* autem, aliisque Ioannis discipulis Graeco Ioannis, et ab ecclesia probatam, ideo quod satis certo testimonio constaret, ab apostolis viva voce saepe narratam. Nam in Nazaraeorum Hebraeo fuisse, satis ex Hieronymo constat. *Semlerus* existimat, historiam in-

insertam esse ex alio quodam libro historico Ioannis Evangelio. *Augustini (de adulterinis coniugiis* Lib. II c. 7.) coniectura, omissam esse hanc historiam ab iis, qui metuerent, peccandi impunitatem dari mulieribus, nonnullis non contemnenda est visa. Sed non docet Augustinus, an haec historia a multis, an publica auctoritate omissa sit? nec est verosimile, tot illos viros eam metu scandali omisisse, et non interpretatos esse; nam Commentatori non licet aliquid omittere. Et veterum et recentiorum Interpretum opiniones de hoc loco examinavit *Kuinölius*, in Cuius Commentario vid. notata. Id certo colligitur, locum antiquitus defuisse in optimis libris, mature autem in familia Codd. occidentalium adfuisse ut in recentioribus; locum in prima scriptorum recensione non esse lectum, in repetita II. et III. saeculo aliunde additum. Non igitur quaerendum est quomodo locus potuerit omitti aut excipi. Casu non excidere potuissent tot commata e contextu, igitur consulto omissa sunt. „Liberius hac in re agi poterat, si incerta haec narratio haberetur; nec nisi ita intelligitur, quî in his commatibus tanta, ut paucae voces insint, quae non in aliquo ex Codd. aliter legantur, extiterit lectionis varietas, eaque hoc respectu, quod numerus Codicum, unde notantur, dimidiam Codd. partem haud multum superat, neque inter illos ii sunt, qui alias saepe a textu vulgari recedere solent, etiam maior. Denique si spuria sunt, intelligitur, quî sententiarum nexui magis obsint, quam conveniant; et quî tot vocabula in XII. versibus cumulentur, qui in nullo alio Ioannis loco inveniuntur.“ *Vaterus* l. l. At vero si vel maxime haec narratio propter argumenta externa tollenda sit, locus tamen in-

internis argumentis non convincitur. Enimvero nihil continet, quod Domino indignum iudicari debeat. Minime igitur haec pericopa efficta esse, sed rem vere gestam tradere et primum ore tum scripto propagata, deinde margini adscripta et tandem textui illata esse videtur. Qua in sententia plures eorum etiam conveniunt, qui hunc locum tanquam spurium impugnarunt, e. c. *Knappius*, *Lückius*. Mira est lectionis varietas, quam *Griesbachius* diligentissime notavit. Nos potiores tantum variantes *e codicibus graecis* notabimus.

Cap. VII, 53. Καὶ ἐπορεύθη — αὐτοῦ) *Et reversus est quisque in domum suam.* Pro ἐπορεύθη alii legunt ἐπορεύθησαν. Sunt qui sermonem esse putent de iis, qui ad festum celebrandum Hierosolyma se contulissent. At vero, si horum verborum connexum statuamus cum iis, quae praecesserunt, magis convenire videtur, ut verbum ἐπορεύθη ad synedros referatur, hoc sensu: *Discessio Synedrii facta est re infecta.*

Cap. VIII, 1. Ἰησοῦς — ἐλαιῶν) *Iesus autem abiit in montem olivarum*, in montem, qui ab oleis nomen habet, quinque stadiis ab urbe distantem. Solebat Iesus sub noctem abire Bethaniam, ad radices montis olivarum sitam, ibique noctem consumere. Vid. Matth. XXI, 17. Luc. XXI, 37. XXII, 39.

2. Ὄρθρου — ἐδίδασκεν αὐτούς) *Mane autem reversus est in templum, ubi magna multitudo convenerat, et eam instituit.* παραγίνεσθαι, *advenire, venire aliquo.* Ὄρθρος, *diluculum*, tempus ubi nox quidem evanescit, nec tamen orta est dies; ex usu seriorum scriptorum *aurora.* Certe hoc sensu saepius

apud

apud LXX. et quidem pro בֹּקֶר, Iudic. XVI, 2., et pro שַׁחַר Genes. XXXII, 27. al. Respondet etiam voc. ὄρθρου Hebr. הַשְׁכֵּם Prov. XXVII, 4. Ier. VII, 24. Ceterum hoc voc. (de quo cf *Schulthessium* l. l. p. 293. sqq.) non solum in Ioannis, sed etiam in Lucae Evang. est ἅπαξ λεγόμενον. Πάλιν respicit ad diem proxime praeterlapsum. Pro παρεγένετο Cod. Cantabr. habet παραγίνεται. Cod. 15. aut 16. habent ἦλθεν. Alii codd. 2. παρῆλθεν. Πᾶς ὁ λαὸς) *Ingens populi multitudo.* Ex quibus verbis colligitur, diem adhuc fuisse festum s. sabbatum; et quidem *Schulthessius* (l. l. p. 288. sqq) monet indigitari ἐξόδιον s. πανήγυριν, quae octavo die festum tabernaculorum sequi solebat (d. XXII. mense *Tisri*), atque ut Sabbatum celebrabatur; vid. Num. XXIX, 35. coll. Levit. XXIII, 39 — 42. Neh. VIII, 18. Tum c. VII, 37. significaretur festi dies septimus isque extremus. πρὸς αὐτὸν) Abest a codicibus 11. καὶ καθίσας ἐδίδασκεν αὐτούς) Qui mos longum sermonem ordienti. Abest a cod. Cantabr. et 69.

3. Ἄγουσι) In codicibus 2. legitur Φέρουσι, in Cod. 69. καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ. Οἱ γραμματεῖς (in Ev. Io. ἅπαξ λεγ., quare alii legunt οἱ ἀρχιερεῖς, ut VII, 32.), literarum sacrarum legumque periti, qui non solum describendos curabant libros V. T, verum etiam Synedrio assidebant, ut in causis e codice sacro definiendis ac dirimendis sententiam dicerent. πρὸς αὐτὸν) Abest a multis, aut alio loco ponitur; in tribus, πρὸς τὸν Ἰησοῦν, et certo abfuit ab antiquioribus. ἐν μοιχείᾳ) ἐπὶ μοιχ. in codd. 39. ἐπὶ ἁμαρτίᾳ in Cantabr. κατειλημμένην) Cantabr. legit εἰλημμένην.

In

In codicibus 16. legitur καταληφθεῖσαν. Ἐν μέσῳ, *inter*, Matth. X, 16. subintellige αὐτῶν (vid. Matth. XVIII, 2.). Mulierem statuerunt in loco conspicuo.

4. Λέγουσιν) εἶπον, in codd. 25. αὐτῷ) Codices 15. addunt πειράζοντες. Cantabrigiensis copiosius habet: ἐκπειράζοντες αὐτὸν οἱ ἱερεῖς, ἵνα ἔχωσιν κατηγορίαν αὐτοῦ. Nempe alii habebant κατηγορεῖν αὐτοῦ, alii κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ. Sed alii haec legunt v. 6. κατειλήφθη) Codd. 37. in *activo* ταύτην εὕρομεν — μοιχευομένην. Codd. 38. ταύτην εὕρομεν — κατειλημμένην. Porro 5. habent κατελήφθη, 14. κατελήπται, alii decem εἴληπται. ἐπαυτοφώρῳ verti potest *ipso facto*, et construi cum μοιχευομένη, ut sensus sit: *deprehensa est ipso facto adultera;* deprehensum est de illa, quod ipso facto adulterium iam commiserit. Ἐπαυτοφώρῳ potest etiam esse *palam*, *manifeste*, et construi cum κατειλήφθη, ut sensus sit: *palam deprehensa est adultera*, ita ut non opus sit in rem ipsam, utpote satis notam, altius inquiri. Vox est graeca forensis. *Demosthenes* in Stephanum: τοῦτον ὑμεῖς ἠδικηκότα ἐπ' αὐτοφώρῳ λαβόντες. *Hunc in ipso iniuriae manifesto facinore deprehensum.* Plura loca Wetsten. habet. Indicant, non agi hic de suspicione, in quam constituta erat potio aquae Zelotypae.

5. Ἐνετείλατο) in Cantabr. ἐκέλευσεν, redditum sc. e latino. λιθοβολεῖσθαι) Codices 38. λιθάζειν, quidam λιθάζεσθαι. Lege Mosis adulteris poena mortis indicitur Levit. XX, 10. Deut. XXII, 22. quod Hebraeorum magistri de strangulatione interpretantur. *Sanhedrin:* R. Ionathan dixit, omnis mors, dicta in lege simpliciter, non est, nisi strangulatio. Inde se-

que-

queretur, ipsos Synedrii assessores dixisse, quae cum lege Mosaica non conveniunt Sed parvi momenti est in hac re Rabbinorum auctoritas, quippe qui in explicanda lege Mosaica multa commenticia immiscuerunt. Nam strangulationis poenam lex Mosaica prorsus ignorat. Ceterum num haec mulier *uxor* fuerit, an *desponsata* tantum necdum nupta, ut adeo lex de adulteris ad eam non pertineret, quia crimen fecisset medium inter stuprum et adulterium, certo definiri nequit. De lapidationis poena cf. *Seldenus Uxor hebr.* III, 11. aut *Michaelis Mos. Recht* T. V. §. 260.

6. Τοῦτο δὲ — κατηγορεῖν αὐτοῦ) *Hoc autem ex eo quaerebant, eum explorandi causa, ut haberent criminandi materiem.* Ἵνα ἔχωσι, *ut haberent*, de quo possent; cf. c. VIII, 26. XVI, 12. Accusare volebant vel ut contemtorem legis Mosaicae, si a verbis eius recederet; vel, si iis insisteret, tanquam immitem et immisericordem, imo Sapientum placitis adversantem. In tanta licentia et morum corruptione illorum temporum, quam Talmudici etiam fatentur, multi Doctores in ea opinione fuisse videntur, non animadvertendum esse in mulieres adulterii reas, ex rigore disciplinae Mosaicae, aliis contradicentibus. Magis magisque autem severa lex de adulteris antiquata est. Eo etiam animo Pharisaeos et Legisperitos proposuisse Iesu hanc quaestionem, ut eum accusarent apud Romanos, ut rebellionis auctorem, et occidere sine iudicio suadentem, si mulierem lapidandam dixisset, sat evidenter demonstrarunt *Hugius* et *Schulthessius.* Ipsi enim Iudaeorum magistri fatentur, Iudaeos, iam XL. annos ante Urbem expugnatam, iure

supplicium capitale sumendi a Romanis privatos esse. Crimina igitur cuiusvis generis morte haud puniebantur, nisi Romanorum leges id flagitarent. Constat autem adulterium Romanis inter crimina capitalia non fuisse, eosque lapidationis poenam prorsus ignorasse. Quae igitur poena etiam Iudaeis, Romanorum ditioni subiectis, haud amplius erat *forensis* sed *tumultuaria* tantum. Etenim historia docemur, Iudaeos more Zelotarum usurpasse nonnunquam ius illud lapidationis, tanquam a Deo ipso per Mosen ipsis concessum. Huius rei exempla exstant Ioann. X, 31. Actor. V, 26. XIV, 5. 19. 2 Cor. XI, 25. Eiusmodi Zelota et seditionis auctor fuit *Iudas*, Galilaeus, de quo cf. Actor. V, 37. coll. Luc. XIII, 1. Iam nostro loco Pharisaei et Legisperiti quaerunt ex Iesu, quid sibi de hac re videatur. Quodsi igitur Iesus legem Mos. confirmasset, accusare eum poterant apud Procuratorem imminutae potestatis maiestatisque Rom. Quare recte *Hugius (de coniugii Christ. vinculo indissolubili* p. 25.): „*Eadem fraude* (ut Marc. XII, 13.) *Dominum circumvenire moliebantur, qui rogatum venerant, qua sibi lege animadvertendum in adulteram videretur. Si pro Romanis staret, contemtor divinae legis; si pro Mose, improbus in Romanos et novarum rerum cupidus: uno verbo vel improbus vel seditiosus audiebat*“ *Lückius* in huius loci interpretatione, quod attinet Iudaeorum in puniendis criminibus potestatem, non satis sibi constat. Cf. T. II. p. 187. coll. p. 478. ἔγραψεν εἰς τὴν γῆν) Γῆ, h. l. vel *pulvis* est, vel *pavimentum*. Supra v. 2. dictus erat Iesus consedisse humi, more Orientalium; igitur facile nunc poterat digito tangere humum et inscribere,

bere, ut solent homines nihil curantes, vel etiam meditabundi. Ineptae autem quorundam sunt coniecturae, qui, quid Iesus scripsisset, investigare voluerunt. Scripsit in terra ductus nihil significantes; quo actu significare voluit Iesus, se ad negotium, quod proponebant callidi homines, parum attendere, neque se valde cupere ad interrogata respondere, quod et animo insidioso illa proposita esse, et causae discussionem exiguum fructum habituram esse, praevideret. Vid. Schol. ad Aristoph. Acharn. 31. Talis erat quaestio, ut responsione ne digna quidem esset; nam ex ipsa lege Mosis decisio facile peti poterat. Iudicis autem personam agere, et auctoritatem civilem sibi arrogare Iesus nec voluit, nec debuit. Addunt hic codices nonnulli: προσποιούμενος, alii καὶ προσπ. Codices autem 36. μὴ προσποιούμενος, *nihil curans*, ut Christus prae se tulisse dicatur nihil ad se illa pertinere, aut nihil se attendere.

7. Ἀνακύψας) ἀναβλέψας habent codd. 21. ἀνέκυψε καὶ codd. 12. ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν) *Qui ex vobis hac culpa immunis est.* Ἀναμάρτητος h. l. ut saepe alias est, qui nec scortator est nec adulter. *Herodot.* V, 39. τὴν ἔχει γυναῖκα ἐοῦσαν ἀναμάρτητον ἑαυτῷ, *quam haberet uxorem, quae nihil adversus ipsum deliquisset*, quae venere illicita non usa esset. In N. T. voc. ἀναμάρτητος est ἅπ. λεγ. Extat haec vox in epitaphio pueri fere triennis ap. Muratorium Thesaur. Inscription. IV. p. 2062.: ΕΙΔΟΙΣ ΟΚΤΩΒΡΙΟΙΣ ΣΑΒΙΝΙΑΝΩ ΝΑΡΚΙΣΣΩ ΤΕΚΝΩ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ ΑΝΑΜΑΡΤΗΤΩ ΤΙΣ ΕΖΗΣΕΝ ΕΤΗ Β ΜΗΝΑΣ Θ ΗΜΕΡΑΣ Ι. Cf. *Münteri* Programma *Symbolae ad interpretationem Evang. Ioann. ex mar*

moribus et numis, maxime Graecis. Havniae, 1826. 4. — Qui studio indefesso Christo calamitatem machinarentur, sane fuerunt ex ordine Pharisaeorum malitiosissimi; quibus igitur Iesus, quum sine dubio accuratius eos novisset, nullo mulieri facto periculo, sic respondere poterat. Satis enim constat, Iudaeorum proceres Christi temporibus illecebris vitiorum cupiditatumque lenociniis maximam partem deditos fuisse. Cf. Rom. II, 17. sqq. Matth. XXIII, 24. sqq. *Iustinus Mart.* in *Dial. cum Tryph.* de Rabbinis οἵ τινες, inquit, μέχρι νῦν καὶ τέσσαρας καὶ πέντε γυναῖκας ἕκαστον ἔχειν συγχωροῦσι, καὶ ἐὰν εὐμορφόν τις ἰδὼν ἐπιθυμήσῃ αὐτῆς. — Vix *Lückius* huius loci sensum attigisse videtur, qui voc. ἀναμάρτητος significatione latissima accipiendum esse arbitratur. πρῶτος — βαλέτω) *Primus lapidem in eam coniiciat*, illum nempe lapidem, quem testes ex mandato divino Deut. XVII, 7. XIII, 10. et more Iudaico, in lapidationis reos coniicere solebant. Quasi dicat: In re tam manifesta inanis est et inepta quaestio. Igitur si quis vestrum alienus est a simili culpa, is exigat poenam ad rationem legis severam. Sic (verba *Hugii* in fine Diss. I.) iudicium per invidiam sibi oblatum deflexit et pro demandato a patre munere virtutis partes egit, omneque punctum tulit in re ardua et difficili; quod incumbente hominum turba ex improviso alium quemquam mortalium ea animi praesentia ac sagacitate, quasi in momento, effecturum fuisse, magnopere diffido.

8. Ἐγραφεν) Addunt ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας codd. 7. *eorum videlicet qui accusabant, et omnium peccata mortalium.* Hier. Bar hebraeus ex codice quodam Alex. ap. Assemann. Sed vide dicta ad comm. 6.

9. Οἱ

9. Οἱ δὲ — ἐσχάτων) *Quo audito, singuli sibi male conscii, et seniores* (primi dignitatis viri) *et reliqui.* Ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, conscii sibi, se ab eo scelere, cuius mulierem accusaverant, non esse immunes. Bene etiam huic loco congruit *Schulthessii* sententia (l. l. p. 266. 270.), qui Pharisaeos et legisperitos minus *conscientia* sua tactos (namque erant κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν 1 Tim. IV, 2., *quorum conscientia quasi callis obductis omnem sensum perdiderat*) sed potius *prudentia* commotos abiisse existimat. Venerant enim ad Iesum quasi eius consilio et auctoritate niterentur. Verum si contigisset, ut Domino auctore turba plebis ad mulierem lapidibus obruendam incitaretur; huius rei spectatores et delatores esse cupiebant. At vero tantum abfuit ut Pharisaeorum spei responderet eventus, ut potius omnem consilii sui ordinem turbatum esse viderent, quum Iesus eos ipsos constitueret mulieris accusatores criminisque ab illa facti testes; ut adeo secundum legem Mosaicam nemini ex adstantibus liceret, lapidem in mulierem primum coniicere. Εἷς καθ' εἷς, *singuli* vel *singulatim.* Formula (quae etiam extat Marc. XIV, 9.) effecta est ex Hebraica אֶחָד כְּאֶחָד *unus ut alter;* nam praepositio κατὰ saepenumero similitudinis index est; et אֶחָד in Hebraeo sermone refertur ad אֶחָד, sicut *unus ad alterum* in lingua Latina. Vid. *Fischeri* Prolus. XVII. p. 414. sq. Verba ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἕως τῶν ἐσχάτων *Keuchenius* interpretatus est: *ab honoratioribus ad vilioris conditionis homines.* πρεσβυτέρους h. l. non tantum esse homines provectioris aetatis, sed inprimis *dignitate eminentes*, inde patere

patere videtur, quod iis opponuntur *οἱ ἔσχατοι, viliores conditionis homines.* Alii vertunt: *seniores aeque ac iuniores.* Sed quum verba ἕως τῶν ἐσχάτων a multis Codd. absunt, plane ea eiicienda esse *Schulthessius* censet. μόνος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἡ γυνὴ) *Solus*, i. e. sine Pharisaeis et legisperitis. Nam Apostoli aderant, forte et turba aliqua. ἐν μέσῳ οὖσα) Conspicua Apostolis, forte et turbae.

10. Μηδένα θεασάμενος;) Eorum, qui mulierem adduxerant. πλὴν τῆς γυναικὸς) πλὴν saepe alio sensu occurrit in Evang. Luc., sic cum Genitivo non nisi Actor. VIII, 1. XXVII, 22. Sed omnino desunt haec et sequentia verba in quibusdam Codd. et Verss. *οἱ κατήγοροί σου*) i. e. qui mea auctoritate videbantur uti velle ad te puniendum. οὐδείς σε κατέκρινεν;) *Nemo te condemnavit?* scil. ad lapidationis poenam.

11. Οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω) Ego auctoritatem meam in hoc non commodo, ut populum, qui salva conscientia a talis supplicii exactione abstinere potest, ad id excitem. Nolebat esse disceptator rerum civilium, ideo neque ipse de femina iudicium ferebat. μηκέτι ἁμάρτανε) Alioqui multo gravius a Deo damnanda. Hoc ideo adiicit, ne veniam dare videretur peccandi. Verbum autem ἁμαρτάνειν ad *illicitos amores*, et nominatim *adulterium* hic referendum est. Sic ἁμαρτία est *adulterium* 2 Petr. II, 14. et γυνὴ ἁμαρτωλὸς, *prostibulum*, Luc. VII, 37.

12. Cf. ad hunc locum v. 12—59. *Ziegleri* Commentat. in *Henkii* Magazin etc. Tom. V. pag. 227. sqq. Πάλιν) *Alio tempore* ut c. IX, 15. et alibi. Nam v. 13. Pharisaei adfuisse dicuntur; supra autem

tem v. 9. dictum erat, Pharisaeos discessisse. Oportet igitur, quae nunc narrantur, alio tempore contigisse. τὸ φῶς τοῦ κόσμου) Cf. supra c. I, 4. 9. Luc. II, 32. Multi interpretes existimant, Iesum ab oriente tum sole, aut candelabro aureo (Succa V, 2.) aut a candelis et facibus accensis occasionem tropi sumsisse. Sed haec incerta sunt. Iesus omni tempore sic describere se potuit, quum iam quaedam vaticinia V. T. אוֹר, *lumen* omnibus gentibus promiserint. Se ipsum Dominus Soli comparat, universum mundum illustranti. *Münterus* l. l. p. 14. sq. de usu voc. φῶς symbolico exempla ex inscriptionibus quibusdam attulit. ὁ ἀκολουθῶν ἐμοί) Qui ductum meum sequitur (nam lux praeferri solet), i. e. se mihi in disciplinam tradit. οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ) *Non versabitur in ignorantiae et vitiorum tenebris*, non erit miser. ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς) *Utetur luce salutis*, luce quae salutem affert; cognoscet omnia quae sunt necessaria ad consequendam salutem et aeternam felicitatem.

13. Οἱ Φαρισαῖοι, nonnulli ex Pharisaeis, qui aderant. Σὺ περὶ σοῦ μαρτυρεῖς, *tu te ipsum laudas*, magnifica de te praedicas. Μαρτυρεῖν περὶ ἑαυτοῦ, vel ἑαυτῷ, *seipsum laudare, commendare.* ἡ μαρτυρία — ἀληθὴς) *Non es fide dignus*, quia nempe testis es in propria causa. Quam Pharisaeorum obiectionem Iesus h. l. ratione paululum diversa ab illa c. V, 31. sqq. refellit. Ibi non ex sua mente, sed ex hominum opinione locutus est.

14. Κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ) Etiamsi ego solus haec de me praedicarem: etiamsi nulla essent de me

me praegressa prophetarum, nulla Ioannis Baptistae testimonia. ἀληθής — μαρτυρία μου) Testimonium meum fide dignum esset. οἶδα πόθεν ἦλθον, καὶ ποῦ ὑπάγω) *Nam mihi quidem constat, unde venerim, et quo abiturus sim.* Est circumlocutio legationis, quae accipi primo, deinde renuntiari solet. Ego scio, a quo et quae mihi data sint mandata. *Scio me ut legatum a patre missum esse.* Non incerta loquor. ποῦ ὑπάγω, i. e. ἐλεύσομαι. Rei, quam quis accurate novit, quamvis ad ipsum pertineat, testis esse potest. Legationis a Patre iniunctae Iesus solus sibi conscius esse poterat, reliqui ab ipso id debent discere. Lumen, ait *Augustinus*, et alia demonstrat et se ipsum. Testimonium sibi perhibet lux, aperit sanos oculos, et sibi ipsa testis est. ὑμεῖς — ὑπάγω.) *Vos autem nec scitis nec scire vultis, a quo sim missus.* Nihil vestrum iudicium valet, si, quae ex Dei decreto, vobis ignoto, eveniunt, humana ratione vultis iudicare. Me Messiam esse non nisi per me scire potestis.

15. Ὑμεῖς κατὰ τὴν σάρκα κρίνετε) Σάρξ h. l. opponitur rationi, et indicat praeiudicium auctoritatis, perversas opiniones. Vos ex affectibus humanis pravisque consiliis ducti, non vera ratione rem diiudicatis, quod supra VII, 24. dixit κατ' ὄψιν κρίνειν, iudicare secundum ea, quae incurrunt in oculos. ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα) scil. κατὰ τὴν σάρκα, ut vos soletis pro ratione κόσμου τούτου. Ego ab omni sinistro iudicio sum liber. Videtur nempe hic expressus esse sermo vitae communis, ubi illud: *die Leute richten*, semper dicitur ita: sinistre iudicare. Vis orationis videtur esse in voc. ἐγὼ, scil. ἐγὼ ἀπ' ἐμαυτοῦ, cf. c. V, 30. Hunc verborum sensum commendant etiam verba

comm.

comm. seq. Alii vertunt: *Ego non condemno quemquam;* quod h. l. sententiarum nexui minus congruit.

16. Καὶ ἐὰν — πατὴρ) *Et si sententiam fero, sententia mea vera est; neque enim solus statuo, sed ego cum patre, qui me misit.* Κρίνειν h. l. est *iudicare, sententiam ferre.* Si de me ipso sententiam fero, me scilicet a Deo esse missum, vel: si sententiam de vestra pravitate interdum dico, hoc meum iudicium est verum, fide dignum; fertur enim monente et consentiente Patre. Pro ἀληθὴς nonnulli codd. habent ἀληθινή. Verbum κρίνειν nunc alia significatione sumitur.

17. Καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται) Quod iam dico, non tantum naturali aequitati congruit, sed scriptum quoque est in lege; vestra, inquam lege, in qua gloriamini. ὅτι δύο — ἐστιν) *Duorum hominum testimonium fidem habere,* fide dignum esse. Deut. XVII, 6. XIX, 15. (coll. Matth. XVIII, 16.), quorum locorum sententia exprimitur, non singula verba laudantur.

18. Ἐγώ εἰμι — πατὴρ) Sunt et hic, inquit Christus, duo testes de re eadem — ego et Pater. Quodsi igitur duorum hominum consensus tanti est, quanti haberi debet consensus Dei et a Deo missi? Testis esse poterat Iesus in sua causa, quia nec in vita nec in doctrina eius quicquam erat culpandum. Cuius indolis Christus fuerit, ex eius dictis factisque facile cognoscere poterat quicunque veritatem amabat. Sic arbor per fructus de se testatur. Similia Iesus docet Matth. XII, 33 — 37. Accedebat testimonium Patris, tum in miraculorum edendorum facultate, filio concessa, tum

in

in declarationibus de futuro Messia, quae in V. T. reperiuntur.

19. Ἔλεγον — πατήρ σου) Intelligere poterant Deum esse alterum illum testem, ad quem provocaverat Iesus comm. 18. (vid. supra V, 18.) Sed res illis videbatur incredibilis. „Odio excaecati (ait *Grotius*) non intelligebant, quem patrem suum diceret.“ Vid. not. ad V, 42. et VII, 17. Vix Iudaeorum verbis inest malitiosa dissimulatio. Similis quaestio est Philippi infra XIV, 8. Haud inepte Augustinus: Patrem Christi carnaliter acceperunt, quia verba Christi secundum carnem iudicaverant. οὔτε ἐμὲ οἴδατε, οὔτε τὸν πατέρα μου) Ita affectibus impedimini, ut nec meam qualitatem intelligatis, nec quem dicam esse patrem meum, quum tamen utrumque satis clare vobis exposuerim Nihil igitur vobis proderit eum describere. Nam non vultis eum nosse et colere, uti me non nostis et colitis. εἰ ἐμὲ — ἤδειτε ἄν.) i. e. Si character meus, si consilia mea vobis essent perspecta, si ex operibus meis cognosceretis, me esse legatum divinum, Dei filium, tunc perspecturi essetis, quis is sit, quem ego Patrem meum dico, etsi non forma visibili praesens est. Adverb. ἄν, *forsitan*, sunt qui existiment non esse dubitantis, sed increpantis.

20. Ταῦτα — ἱερῷ) *Haec dixit Iesus in atrio mulierum, docens in templo.* Τὰ ῥήματα, *sermones.* Ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ. Cf. Marc. XII, 41. Hoc autem loco non ipsum aerarium sacrum intelligitur, sed locus, ubi illud asservabatur, *atrium mulierum*, in occidentali parte templi, ubi cistae 13 collocatae erant et multa vasa aurea Erat locus valde celebris, in quo etiam

etiam multi Sacerdotes versari solebant. Ἐν, *ad, apud, iuxta.* Ἡ ὥρα est tempus calamitatum et mortis Christi, a Deo praefinitum. Vid. not. ad c. VII, 30.

21. Εἶπεν — ἐλθεῖν) *Iterum Iesus ad eos dixit: quum equidem hinc proficiscar, tum me desiderabitis, et propter peccata vestra miseri eritis; nam quo ego sum abiturus, eo pervenire non potestis.* Utrum voc. πάλιν hic significet: *alio tempore*, an *deinceps*, non satis constat. Utramque significationem contextus admittit. Αὐτοῖς, iterum pertinet ad Iudaeorum proceres et Pharisaeos. Ὑπάγειν et abire, proficisci, et e vita discedere, mori, et ad summam felicitatem pervenire significat, quo posteriori sensu h. l. Iesus intellexisse videtur. Καὶ ζητήσετέ με, *desiderabitis me* (vid. not. ad VII, 34.) et auxilium meum, in calamitate illa publica, vobis iam imminente. Καὶ ἐν — ἀποθανεῖσθε) *Atque vestra vos perdet improbitas*, propter hanc pertinaciam vestram peribitis, poenas dabitis. Similes phrases pro מוּת בַּעֲוֹן extant apud Alexandrinos, Ezech. III, 19. XVIII, 26. XXXIII, 9. 18. Ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν itaque verti potest: *propter* peccatum vestrum, incredulitatis nimirum, quod alia multa post se traxit peccata, comma 24. infra c. XVI, 9 *Lückius* aliique negant h. l. indigitari mortem *propter* peccata, sed significari contendunt mortem *in* peccatis, quam damnatio secutura est. Voc. ἁμαρτία accipiunt sensu amplissimo de perdita vitiisque corrupta animi conditione, in qua qui moritur, in Christi societatem coelestem recipi non potest. Dicit enim Iesus comm. 24. οὐ πιστεύσετε, atque ideo ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν, et (v. 21.) οὐ δύνασθε ἐλθεῖν,

ὅπου

ὅπου ἐγὼ ὑπάγω. Nam μετάνοιαν demum sequitur ἄφεσις ἁμαρτιῶν. Quae interpretatio valde sese commendaret et nobis quoque praeplaceret, nisi difficultas existeret per vocc. ζητήσετέ με v. 21. Iam vero qui Christum quaerit eum in finem, ut animo reficiatur atque regeneretur, qui ergo se ad Christum trahi patitur, ei nunquam Dominus deesse sed lubentissime eum vult excipere; quod disertis verbis dicit c. VI, 37. Quare hoc loco Christus non tantum corruptam animorum conditionem sed etiam tristem reipublicae statum attingere videtur. ὅπου — ἐλθεῖν) i. e. vos non potestis eadem mecum frui felicitate. Quomodo Iudaei haec verba intellexerint, statim v. 22. indicatur.

22. Ἔλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι) Non ad Iesum, sed inter se haec dixisse videntur Iudaeorum principes. Μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτὸν — ἐλθεῖν) Ex verbis: *Quo ego vado, eo vos non potestis pertingere*, concludebant Iudaei, eum sibi mortem consciscere velle. Qui enim rebus humanis ereptus est, eum mortales non possunt laedere amplius. Irridendo hoc dixisse videntur Iudaei, i. e Iudaeorum primores. Alias de hoc loco opiniones, quas protulerunt *Origenes* et *Tanaquil Faber* (qui contra omnium Codd. auctoritatem verb. ἀποκτενεῖ ex loco parall. VII, 35. convertit in ἀποξενοῖ), refutavit *Lückius* T. II. p. 209. sqq.

23. Ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω — κόσμου τούτου) *Vos humilia spectatis, ego vero divina specto; vos sequimini ingenium huius seculi, non item ego.* Opponuntur hic τὰ κάτω et τὰ ἄνω sc. μέρη, terra et coelum. E terra esse tum de eo dicitur, qui e terra oriundus est, tum de eo, qui terrena et humana tantum spectat

spectat, qui humano modo sentit et agit, ut hoc loco. Vid III, 31. Idem fere in sequentibus verbis dicitur. Nempe ἐκ τοῦ κόσμου τούτου εἶναι, *ex hoc seculo esse* significat: ea sentire et facere, quae homines pravi statuunt, i. e. inhonesta et mala. Κόσμος, *vulgus* improborum hominum, qui veritatem divinam contemnunt. Iudaei nempe optabant et exspectabant Messiam terrenum, opes et honores; humili sentiendi et agendi ratione praediti erant. Iesus autem divina et coelestia consilia sequebatur, et ea, quae Deo probantur.

24. Εἶπον οὖν — ἁμαρτίαις ὑμῶν) *Ergo vere dixi, vos, nisi abieceritis istam malitiam ac perversitatem, per eam perituros esse: nisi enim me pro eo habueritis, quem exspectatis, sane vos perdet pertinacia vestra.* Ἐγὼ cum vi quadam dictum est. Nisi credideritis, *me* esse, sc. eum, quem me dico esse, i. e. Messiam; nisi mihi ut Messiae fidem habueritis. Eventu comprobatum est, quod Iesus hic est minatus. Iudaei, postquam omnia salutaria consilia Iesu de emendandis moribus et coelesti sua doctrina amplectenda reiecerant, in tot ac tanta prolapsi sunt peccata ac scelera, ut nullo modo sanari potuerint; cuius malignitatis et pervicaciae iustas dederunt poenas in excidio urbis et totius reipublicae funere. Hanc et multo maiorem miseriam in altera illa vita evitare poterant, si salutaribus Iesu et Apostolorum monitis paruissent.

25. Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν) *Omnino is sum, quem me esse vobis dico,* proprie: Id sum quod loquor, i. e. dico vobis. Graeci haud raro adverbialiter sumunt accusativum tam ἀρχήν, quam τέλος, et ad ἀρχὴν addunt et non addunt articulum; cuius dictionis significatio est: *omnino, prorsus, profecto. Plato*

Lyside:

Lyside: πῶς οὖν οἱ ἀγαθοὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἡμῖν φίλοι ἔσονται τὴν ἀρχήν, *quo pacto igitur boni bonis amici futuri sunt omnino. Demosthenes:* πρὸς ἰμείους δημηγορικοῖς: τὴν μὲν οὖν ἀρχήν, εἰ καλῶς ἐγινώσκετε, *Primum sane, seu omnino, si rem intelligeretis*, nihil opus esset etc. Plurimum usi sunt hoc adverbio Graeci cum negatione. *Herodotus* Polymnia: οὐδὲ λέγω ἀρχήν, *ne omnino quidem dico. Xenophon* L. I Cyropaed. οἱ περσικοὶ νόμοι προλαβόντες ἐτιμέλονται, ὅπως τὴν ἀρχὴν μὴ τοιοῦτο ἔσονται οἱ πολῖται, *Praevertentes leges Persicae, ne omnino tales sint cives, student.* Sic etiam *Philo*, ut Lösnerus ostendit. λαλεῖν autem hebraico more saepe est, *dicere aliquid concise.* Matth. IX, 18. XIII, 3. 34. et alibi. Alii sic explicant: *Ego sum is, quem inde a principio* muneris docendi *me esse professus sum.* τὴν ἀρχήν, pro κατὰ τὴν ἀρχήν, ut ἀρχὴ sit initium muneris Christi. Rursus alii: *Primo (für's Erste) sum is, qui vobiscum loquor;* sed facile patet, quam contortum hoc sit. Nonnulli haec verba cum sequentibus iungunt; sed et hoc est contortum. Probabilius est, hoc referri ad ea, quae paullo ante v. 24. dixerat: *Certissime sum, quod vobis dico;* scil. ὁ Χριστὸς. In qua interpretatione plurimi interpretes cum nobis consentiunt.

26. Πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν) i. e. Multa de vobis dicere possem ad vos notandos, sc. propter ingenii tarditatem et pertinaciam; multa vobis possem exprobrare, et conqueri de vobis, et malignitate vestra, qua non tantum consilia mea salutaria reiicitis, sed etiam sermones meos pervertitis. Sed hoc (v. 21. 23. 24.) adversum vos pro hoc tempore sufficiat. Plura nunc dicere, nihil attinet; subandiendum est:

est: nam quae nunc reticeo, nihil prodesset, si contra vos (s. de vobis) proferrem, quia credere nolitis. ἀλλ' ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστι) Oratio brevis et concisa, ut solet indignantium esse. Ἀλλὰ elliptice. Subaud. vel: *certissime quae vobis dixi evenient*, nam Deus, ex cuius voluntate inter vos versor, veracissimus est: vel: *probe sciatis* Deum esse veracem, ut adeo haud impune spernentur, quae sua auctoritate docenda curavit. Alii aliter nexum verborum constituunt. *Schottus* (in *Opuscc.* T. I. p. 94. sqq.) contendit, verba πολλὰ ἔχω — κρίνειν, non tam ea significare, quae Iesus, si velit, dicere possit, quam *quae revera et hucusque dixerit et porro moniturus sit*, magnam Iudaeorum perversitatem reprehensione iusta notaturus. Sed hoc repugnat usui loquendi. Qui enim dicit: *multa habeo quod dicam*, neque tamen ea profert, indicat, se plura dicere nolle. Accedit, quod quae Iesus adiecit, non essent *multa*. κἀγὼ — κόσμου) *Ego vero, quae ab ipso cognovi, palam omnibus trado.* Non mea sunt, quae doceo, sed Dei verissimi, quare mihi credere deberetis, quod quum non faciatis, estis inexcusabiles; εἰς τ. κ. i. e. πρὸς τὸν κόσμον, ad omnes homines, cuiusvis conditionis.

27. Οὐκ ἔγνωσαν, ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν) *Non intelligebant, quod de Patre ad illos loqueretur.* Non intellexerunt Iudaei, Deum esse, qui Iesum miserit, quia iudicabant κατ' ὄψιν et κατὰ τὴν σάρκα, VII, 24. VIII, 15. Ceterum in hac annotatione (ut scite not. *Vater* ad h. l.) Ioannes voc. πατέρα eo sensu adhibuit, quo ipse et Christiani hac voce uti solebant. Constructio, λέγειν τινὰ pro περὶ τινος, *dicere aliquem*

pro

pro *de aliquo*, valde est frequens Graecis et Latinis. Vide *Kypkium* ad h. l.

28. Ὅταν ὑψώτητε — ταῦτα λαλῶ) *Quando filium hominis* (me) *evexeritis*, *tum intelligetis*, *me eum esse*, *neque ex meo arbitrio quicquam facere*, *sed docere quae Pater me docuit.* Ὑψοῦν, proprie est *evehere*, *exaltare.* Hoc loco nonnulli explicant: *pro Messia declarare*, alii recte: *interimere*, *auferre*, *cruci affigere.* Oratio omnino obscura erat his auditoribus. Cf. cap. III, 14. Vid. dicta ad c. VII, 39. τότε γνώσεσθε, ὅτι ἐγώ εἰμι) Tum demum intelligetis, me esse (illum, quem Pater misit). Grotius distinguit ὅ, τι, quod sumit pro τί. Dixerat primum, lucem se esse mundi: quid praeterea sim, inquit, cognoscetis post mortem meam. Quae tamen interpretatio nimis artificiosa esse videtur. καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ) Post καὶ potest repeti ὅτι, et construi cum praecedentibus, hoc modo: *nec me proprio arbitratu facere quicquam.* Quod dixi antehac, me nihil iniussu Patris facere, id tunc apparebit. Hanc Iesu praedictionem confirmavit eventus. Nam per eius ad vitam reditum, inprimis vero per vim doctrinae ab eo propositae, eiusque longe lateque propagatae palam factum est, consilia hostium, eum e medio tollendi, irrita fuisse, ipsumque *recte* de se dixisse.

29. Καὶ ὁ πέμψας — πάντοτε) *Etenim, qui me misit, mihi adest, neque me solum relinquit* et destituit, *quandoquidem ego semper, quae illi probantur, facio.* Καὶ, *etenim.* Causam exprimit Iesus, cur eventurum esse, quod v. 28. dixerat, confidat. Vim phraseos εἶναι μετά τινος, exposuimus ad Matth. XVIII,

XVIII, 20. Auxilio suo *adest mihi pater*, qui me legatum suum fecit, et prosperos successus mihi dabit. Τὰ ἀρεστα τῷ πατρὶ ποιεῖν hic est ad arbitrium Patris legatione fungi, id. q. θέλημα ποιεῖν, c. VI, 38.; alias ποιεῖν τὸ ἔργον τοῦ πατρὸς, negotium a Patre sibi demandatum perficere. Cf. c. IV, 34. XVII, 4.

30. Ταῦτα — εἰς αὐτὸν) *Hoc eo ita loquente, multi ei habuerunt fidem.* Πιστεύειν h. l. est pro Messia habere, ideoque in numero discipulorum esse velle. Plerique autem infirma fide credidisse videntur.

31. Ἐὰν ὑμεῖς — ἐστέ) *Si vos constanter adhaeseritis meae disciplinae, agnoscam vos veros discipulos meos.* Μένειν ἐν τῷ λόγῳ aut ἐν διδαχῇ Christi, ut dicitur 2 Io. v. 9. est *retinere doctrinam, observare praecepta*, cui opponitur παραβαίνειν. Luc. VIII, 15. τὸν λόγον κατέχειν καὶ καρποφορεῖν. — Ἀληθῶς μαθηταὶ, veri nominis sectatores; nunc nondum tales erant. ἐστέ pro ἔσεσθε, ut XV, 14.

32. Καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν) *Et indies magis cognoscetis veritatem*, i. e. praestantiam et veritatem doctrinae meae; accuratius et perfectius cognoscetis. Ἡ ἀλήθεια, *vera religio*, vera doctrina. Experiendo cognoscetis vim et indolem doctrinae, discetis, qualis sit veritas. Cf. supra cap. VI, 69. καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς) *Et vera religio vos reddet liberos.* Profectus ille in cognitione verae doctrinae vos liberos reddet a dominio vitiorum; idque tum praeceptorum puritate, tum promissorum praestantia. *Cic.* Paradox V. ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος. *Epictet.* ap. *Arrian.* IV, 7. εἰς ἐμὲ οὐδεὶς ἐξουσίαν ἔχει· ἐλευθέρωμαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἔγνωκα

αὐτοῦ τὰς ἐντολὰς, οὐκέτι οὐδεὶς δουλαγωγῆσαί με δύναται, *in me nemo potestatem habet. Libertate sum donatus a Deo; novi eius mandata; nemo posthac in servitutem redigere me potest.* — Iudaei hoc intelligebant de politica libertate, qua se carere minime putabant, ut patet ex iis quae sequuntur.

33. Ἀπεκρίθησαν αὐτῷ) Cum colloquendo progrederetur Iesus ad notionem ἐλευθερώσεως, offensi sunt vel quidam ex iis Iudaeis, qui Iesu nomen iam dederant; ita ut cerneretur, quam difficulter ad τὸ μένειν perducerentur; vel alii e Iudaeis Iesu iam dudum adversatis, id quod non definitur. σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν — πώποτε) *Posteri Abrahami sumus nec cuiusquam unquam servi fuimus.* Σπέρμα, זֶרַע, pro *sobole*, Hebraismus est, Gen. IV, 25. et alibi passim. Non sumus nati ex Cananaeis aliisve servilibus populis, sed per legitimum tramitem et ingenua capita ab Abrahamo usque descendimus; tum vero nemo nos in servitutem bello redegit. Erant quidem Romanorum imperio subiecti Iudaei, sed habebant suos reges e familia Herodis, et non tantum in rebus sacris, sed politicis etiam libertatis specie fruebantur. Inprimis vero eam ob causam libertatis eximiae et singularis persuasione turgidi erant, quoniam genus ducebant ab Abrahamo, auctore et principe nobilitatis, qua gens gloriabatur, et etiamnum gloriatur. Vid. *Eisenmengeri Entdecktes Iudenthum*, pag. 576. sqq. Qua renegant se esse servos, et promissionem libertatis indigne ferunt.

34. Πᾶς ὁ ποιῶν — ἁμαρτίας) *Qui sceleste vivit, is peccati est servus*, nec pertinet ad Dei familiam, quia ab illo vitio, cui studet, tanquam captivus fertur atque

atque agitur. Ἁμαρτία altera vice est propensio ad malum. Et Graeci et Latini eum, qui cupiditatibus, luxuriae, libidini deditus sit, *servum cupiditatum* appellant. *Philo:* ὅτι πᾶς ὁ σπουδαῖος ἐλεύθερος. De vita Mos. p. 684. C. *Cicero* Verr. c. 22. Ostendit his verbis Iesus, se non politicam, sed internam, moralem libertatem a vitiorum servitute promittere.

35. Ὁ δὲ δοῦλος οὐ μένει ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰς τὸν αἰῶνα) *Servus non semper manet in heri domo.* לְעוֹלָם, i. e. toto vitae suae tempore, ut apud Horatium: *Serviet aeternum, qui parvo nesciet uti.* Voces ὁ δοῦλος et ὁ υἱὸς hoc commate *universe* accipiendae sunt de *quovis* servo, et de *quovis* filio. Haec autem generalis sententia, quod perpetua mansio in familia non servorum, sed filiorum sit, ad Iudaeos applicatur. In applicatione supple ad sensum e commate 34. *Vos sceleste vivitis; ergo servi estis peccati, et opus est vobis vindicatione in libertatem, quam ego praestare possum et volo.* Respexit Christus ad id, quod fieri solet in vita communi. Quemadmodum servus, ubi deliquit, expellitur domo; sic Deus vos, servos scelerum et flagitiosos expellet domo sua; non tractabit vos ut liberos. ὁ υἱὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα) *Filius perpetuo manet* in aedibus. Si quis igitur manet filius Dei, is tractabitur perpetuo ut τέκνον τοῦ θεοῦ. Nimis tamen similitudo non est extendenda.

36. Ἐὰν οὖν — ἔσεσθε) Si igitur ego, filius Dei vos in libertatem vindicavero, vera libertate fruemini. Nunc enim filius est Dei filius, qui ἔχει ἐξουσίαν χαρίζεσθαι, potestatem servos vitiorum liberandi. *Liberat nos Christus*, dum nos a vitiis abstrahit, et efficit,

sponte, sine coactione et servili metu virtuti studeamus, Deumque colamus. Hoc efficit per doctrinam suam, (v. 32.) si quis eam tenuerit, et observaverit (v. 31.). Qui igitur hoc modo liberatus est per filium Dei, is vere liber est, et felicitate filiorum Dei fruitur. Rom. VIII, 2. 15. 17. 21. Fortassis respicitur locus Genes. XXI, 10. coll. Gal. IV, 30. Sunt etiam qui opinentur alludi hoc loco ad ritum quarundam Graeciae civitatum, in quibus filio haeredi, fratres adoptare, eademque secum illis iura concedere licebat.

37. Οἶδα, ὅτι σπέρμα Ἀβραάμ ἐστε) Sensu illo vulgari, non illo καθ' ὑπόνοιαν, quo nati ex aliquo dicuntur, qui eius exemplo aut praeceptis animum informant. Genus ducitis ab Abrahamo, sed non estis ei similes ratione indolis. ἀλλὰ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι) Vos adeo consilia agitatis de me occidendo, qui tamen et ipse originem traho ex Abrahamo. οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν) *Non penetrat in vos.* ἐν ὑμῖν, pro εἰς ὑμᾶς. Nonnus ita: οὐ γὰρ ἐμός ποτε μῦθος ἐς ὑμετέρην Φρένα δύνει, quippe mea haud penetrat in vestram oratio mentem. Alii: *Doctrina mea non capit incrementa in vobis*, non habet prosperum successum; varie impeditur. Nam χωρεῖν saepe esse *procedere*, *succedere*, *increscere*, Kypkius ad h. l. docet.

38. Ἐγὼ — ποιεῖτε) *Ego quae a Patre meo didici, ea doceo: Vos autem, quae a patre vestro didicistis, ea facitis.* Ὁρᾶν, ut ἀκούειν h. l. saepe est *discere;* V, 19. III, 11. 32. Παρὰ τῷ πατρὶ, *apud patrem;* παρὰ cum Dativo indicat *familiaritatem, consuetudinem.* Pro ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ in aliis libris ex interpretamento legitur: ἀκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς.

Doc-

Doctrinam suam vere divinam esse dicit; at Iudaeos factis suis ostendere, quem imitentur. Cf. infra v. 44. Ceterum *Lückius* (T. II. p. 229.) contendit, haec a Iesu *ironice* dicta esse. Cui adstipulari non possum. Equidem arbitror, Dominum, severissima reprehensione usum, corruptam Iudaeorum agendi rationem ad Diabolum tanquam auctorem retulisse, ex more loquendi Hebraeis inde ab exsilio Babylonico perquam usitato.

39. Quia ambigue Christus locutus erat de patre ipsorum, repetunt quod dixerant, sed efficacius, q. d. nolle se alium patrem agnoscere quam Abrahamum; eo se parente gloriari. Ideo Christus respondet: Εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ — ἐποιεῖτε) *Si Abrahami essetis filii* (digni tanto patre,) *exemplum Abrahami imitaremini*, opera faceretis ipsius operibus similia. Ab Abrahamo eos genus ducere, haud diffitetur, (comm. 37.) sed dignos eos esse tanto patre, id vero negat. Seneca epist. 44. *Omnes hi maiores tui sunt, si te illis dignum gesseris. Schemoth* R. XLIV. *Si faciunt voluntatem meam, sunt filii mei; si non faciunt, non sunt filii mei* S. D. Hos. II, 5.

40. Ἄνθρωπον — θεοῦ) Sensus: Multum abest, quin vos Abrahami filii sitis. Etenim vos geritis veritatis inimicos, quia me interficere quaeritis, quae a Deo ipso didici docentem. Τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησεν) *Hoc Abrahamus non fecisset.* Τοῦτο, i. e. tale quid. Abrahamus veritatem divino nomine sibi revelatam, quanquam in speciem minus credibilem, admisit in animum.

41. Ὑμεῖς — ὑμῶν) *Vos factis imitamini patrem vestrum.*

vestrum. Nondum clare dicit, quem patrem intelligat Attamen Iudaei sermocinatione eo perducti sunt, ut generationem naturalem non amplius mente versati, Deum ipsorum patrem esse contendant. ἡμεῖς — γεγεννήμεθα) *Nos non sumus per scortationem prognati.* Quasi dicant: Si non de nativitate corporis, sed animi agis, etiam sic nihil est, quod nobis obiicias. γεννᾶσθαι ἐκ τῆς πορνείας idem est ac τέκνα τῆς πορνείας εἶναι. Πορνεία autem metaphorice est idololatria, quia populus Israeliticus ob arctissimum vinculum, quo cum Deo per veram religionem et summa beneficia divina iungebatur, saepe cum uxore, a Deo amata, comparari solebat, et fides, Deo data a populo, idololatriae studio eodem modo fallebatur, quo fides coniugalis adulterio violari solet. Iudd. II, 17. 1 Paral. V, 25. Ies. I, 21. Hos. I, 2. IV, 12. et aliis locis. ἕνα πατέρα ἔχομεν, τὸν θεὸν) Unum Deum colimus, eundem, quem coluit Abrahamus. Eundem Deum profitemur patrem nostrum, omnium rerum creatorem et conservatorem. Ies. LXIII, 16. Hos. II, 4. Simili modo loquitur *Philo* de migr. Abrah. p. 447. edit. Mangey. ἄθεος μὲν ὁ ἄγονος, πολύθεος δὲ ὁ ἐκ πόρνης, τυφλώττων περὶ τὸν ἀληθῆ πατέρα, καὶ διὰ τοῦτο πολλοὺς ἀνθ' ἑνὸς γονεῖς αἰνιττόμενος.

42. Εἰ θεὸς πατὴρ ὑμῶν ἦν) Si, ut profitemini, Deum tanquam patrem sincere coleretis. ἠγαπᾶτε ἂν ἐμὲ) *Diligeretis etiam me,* studia mea, doctrinam meam. Aequum est, ut, qui aliquem amat, amet et eos, quorum opera ipse, maxime ad res eximias, utitur. ἐκ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω) i. e. ἐξελθὼν ἥκω, *a Deo missus adsum, a Deo profectus veni.* Praesens ἥκω etiam apud scriptores Atticos vim habet praeteriti temporis.

poris. Quo sensu hoc voc. saepius in Ioannis scriptis deprehenditur; cf. c. II, 4. IV, 47. 1 Io. IV, 20. Vox ἐξέρχεσθαι saepe apud *Ioannem* est hoc sensu, ut originem significet; cf. XVI, 27. 28. 30. XVII, 8.

43. Διατί — τὸν ἐμὸν) *Si Deum nostis, cur meam dialectum non agnoscitis?* Λαλιὰ ut Matth. XXVI, 73. Qui unius sunt familiae, eadem dialecto uti solent. Ita autem Iesus hic vocat suam docendi rationem plane divinam. Hanc auditores Iesu non intelligebant; calumniabantur potius eius verba, non tantum non obscura sed etiam vel maxime perspicua, atque sinistre interpretabantur. ὅτι — τὸν ἐμὸν) Causa haec est, quod tam pravo estis ingenio, *ut ne aures quidem mihi accommodare possitis.* Οὐ δύνασθε, nempe prae animi vestri malignitate. Vid. c. V, 40. Indicatur ratio eius, quod in interrogatione fuerat propositum. Non agnoscebant doctrinam Christi pro divinitus revelata, quia eo erant stupore, ea contumacia, ut eam ne audire quidem vellent, XIV, 17. Bene etiam huic loco congruit *Kuinöli*i interpretatio. Qui V. D. verba λαλιὰ et λόγος refert ad ea, quae hactenus Iesus de Iudaeorum patre, quem imitentur, dixerat, ut sensus sit: *cur verba mea* haud obscura *non vultis intelligere? nempe quoniam verba mea audire s. ferre non potestis*, quoniam sunt vobis intolerabilia; coll. VI, 60.

44. Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ) Vos adversarii illius generis humani, diaboli perversitatem imitari soletis; *diabolicae indolis estis.* Oppositum v. 47. est ἐκ θεοῦ εἶναι. Ut *filius Abrahami* dicitur, qui eius facta aemulatur, sic *filius diaboli*, et *patrem dia-*

diabolum habere, dicitur, qui facit opera diaboli. καὶ τὰς ἐπιθυμίας — θέλετε ποιεῖν) *Et quae ei placent, facere studetis.* ἐπιθυμίας, i. e. quod ei collibitum est; θέλετε, vultis toto animo, cupitis facere, et cum voluptate et gaudio facitis. Act. XIII, 10. 2 Thess. II, 9—12. 1 Io. III, 8. 10. Phrasis τοῦ πατρὸς ὑμῶν posita est pro αὐτοῦ. Ioannes loco Pronominis repetere solet nomen quod praecessit. ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς) *Ille homicida fuit ab initio*, sc. rerum humanarum; quum nimirum homines primos dolo malo in peccatum illexit, unde mors erat secutura. Diabolum vocari ἀνθρωποκτόνον ob delictum primorum hominum, inde apparet, quoniam non reperitur aliud factum, ad quod ille concurrisse dicatur, et quoniam ipsi etiam Iudaei statuerunt, per diabolum a principio peccatum esse introductum. Sap. II, 14. Ἀνθρωποκτόνος vocatur diabolus, quoniam occasionem peccandi, et sic etiam moriendi praebuit. Sed vox ἀνθρωποκτόνου paullo laxius sumi potest, de eo *qui hominum perniciem quaerit*, non praecise de eo, qui causa et occasio est mortis physicae. Cf. 1 Io. III, 15. Notandum etiam est, alias externas errandi peccandique causas a Iesu non excludi. Nonnulli Interpretes, *Cyrillum Alex.* secuti, contendunt, respici hoc loco *Caini parricidium*, quod Iudaei genio malo adscripserint tanquam auctori, quippe qui instigaverit Cainum, ut fratrem interimeret. Qui hanc opinionem tuentur, sunt: *Döderlinius (Instit. theol. christ.* P. I. p. 12.), *Schulthessius (Exegetisch-theolog. Forschungen* T. I. Partic. I. p. 39. sqq.), *Nitzschius* (in *Theol. Zeitschrift, herausgeg. von Schleiermacher, De Wette und Lücke*, Berl. 1822. Fascic. III. p. 52. sqq.) et

et *Lückius* (T. II. p. 234. sq.). Schulthessii rationes diligenter ponderavit easque refutavit V. D. in *Bengelii Archiv für die Theologie*, T. IV. Partic. III. p. 754. sqq. Nitzschii argumenta examinavit et redarguit *Barthius* in *Tzschirneri Magazin für christl. Prediger*, T. II. Part. II. 1824. p. 35. sqq. Mirum sane est, Viros illos Doctissimos tam multa in textum intulisse, quae ne uno quidem verbo attinguntur. Neque enim in hac nostra narratione, neque in illa Mosaica Genes. Cap. IV. Caini parricidium Diabolo tribuitur tanquam auctori. Locus 1 Io. III, 12., ad quem potissimum provocant, minime isti interpretationi favet. Ibi enim sermo est de amore, qui Dei liberos deceat, mutuo, et Cainus inducitur, ut exemplum lectoribus existat hominis, qui tam alienus erat a fraterno amore, ut Abelem interimeret. Verba, quae ibi occurrunt: ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν, nihil nisi hoc volunt exprimere: *Cainus similis erat genio malo;* vim verbis inferunt, qui vertenda ea existiment: *Diabolus Cainum instigavit.* Neque etiam hoc satis probatum est, quod Interpretes illi autumant, Dominum duplici de causa Iudaeos exprobrasse, nimirum quod sint et *sanguinolenti* et *veritatis inimici.* Unum est quod Christus in Iudaeis maxime notat, scil. *veritatis contemtus*, ex quo tandem sanguinis libido proficiscitur tanquam e fonte suo. Nisi, quam Iesus docuit, veritatem odissent, nunquam Iudaei caedis propositum cepissent. Quicunque enim veritatis divinae studiosus est, is in eum amorem imbuitur, quo ductus non interitum aliorum sed eorum salutem meditatur. Καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἔστηκεν) Affirmatio per negationem contrarii. Sensus est: *deflexit a veritate;* male et fraudu-

dulenter egit. Gen. III, 4. 5. Ex quo patet, diabolum non ob caedem, quam Caino suaserit, sed propter seductionem protoplastorum homicidam nominari. Hos enim mendacio et fraude ad peccandum illexit. In historia Caini nihil tale legimus. Ceterum, quia legitur h. l. οὐχ ἕστηκεν, sunt qui existiment respici Iudaeorum opinionem de *lapsu* diaboli, quem olim genium bonae indolis fuisse statuebant. Sed satis constat, Praeteritum ἕστηκα more Graecorum (vid. *Buttmanni griech. Gramm.* p. 220.) saepissime significationem Praesentis habere, e. c. cap. I, 26. III, 29. et multis aliis locis. Varias de lapsu Diaboli opiniones, quas ecclesia antiqua fovebat; vid. in *Münteri Handbuch der Dogmengesch.* T. II. p. 35. sqq. et *Keilii Opuscc. acad.* Vol. II. p. 566. sqq. ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ) *Quia non est in ipso studium veritatis*, quia veritas non pertinet ad τὰ ἴδια αὐτοῦ. Similis phrasis 1 Macc VII, 18. Disertis verbis etiam diaboli omnis malitia hic refertur ad fontem quasi, scil. veritatis contemtum. ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ) *Quando mentitur, loquitur pro ingenio suo.* ἴδια h. l. idem valet quod ἰδίωμα; naturalis indoles, ut e. c. arborum et agrorum ἰδίωμα dicitur. ὅτι ψεύστης ἐστὶ) *Sane mendax est;* in more habet fallere. ὅτι, *sane, utique.* καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ) *et auctor eius*, sc. mendacii, non mendacis diaboli, ut iam olim quidam inepte intellexerunt, quasi sensus esset: Diabolus non minus, quam Diaboli pater, est auctor omnis pravitatis. Scilicet vox αὐτοῦ in phrasi πατὴρ αὐτοῦ non pertinet ad proxime antecedens ψεύστης, sed ad remotius ψεῦδος, quod pronominibus relativis frequenter usu venit, v. c. 2 Io. 6. Actor. III, 16. Ephes. III, 6.

45. Ἐγὼ δὲ — μοι) Est Hebraismus, pro: *Mihi vero non creditis, quia verum vobis eloquor*, quia vera doceo. Adeo alieno et averso animo a veritate estis; cuius vitii quem patrem habeatis, iam indicavi. Ἐγὼ δὲ, Nominat. absolutus, *quod me attinet.*

46. Τίς ἐξ ὑμῶν — ἁμαρτίας;) *Quis vestrum erroris me convincere potest?* Per ἁμαρτίαν *error* h. l. est intelligendus, s. fraus et impostura in docendo, nam τῇ ἁμαρτίᾳ statim opponitur ἡ ἀλήθεια, ut v. 45. ἀλήθειαν λέγειν τῷ λαλεῖν ψεῦδος v. 44. Tantum abesse dicit Christus, ut *mendacii* redargui possit, ut sibi ne levissimum quidem *errorem* iure possint exprobrare; tanto magis igitur fide dignam esse doctrinam suam. Ἁμαρτία nempe proprie indicat *aberrationem a scopo*, s. *recto tramite*, sicuti ἁμαρτάνειν notat, *a scopo aberrare, metam non attingere.* Sic etiam Profani, e. g. Plutarch. placit. philos. Lib. I. c. 3. ἁμαρτάνει οὖν ὁ Θαλῆς, *errat igitur Thales*, quum aquam elementum et principium esse dicit. Εἰ δὲ ἀλήθειαν — μοι;) *Quodsi vero doctrina mea vera est*, si ea dico, quae fide perdigna sunt, *cur mihi fidem non habetis?* Causa intelligitur et ex iis, quae dixerat comm. 42 – 45. et statim comm. seq. notatur.

47. Ὁ ὢν — οὐκ ἐστέ) *Qui ex Deo natus* (verus Dei cultor) *est, is doctrinam eius admittit; quare vos eam spernitis, quum non sitis Dei filii* (cultores). Ἐκ τοῦ θεοῦ εἶναι idem est quod υἱὸν τοῦ θεοῦ εἶναι, atque ἐκ τοῦ θεοῦ γεννηθῆναι, 1 Io. V, 18. 19. atque 3 Io. v. 11. (Vid. etiam not. ad c. V, 42.) Opponitur, υἱὸν, τέκνον τοῦ διαβόλου εἶναι. *Ex Deo esse*, et *Deum cognitum habere et colere*, inter se permu-

mutantur. Igitur ἐκ τοῦ θεοῦ εἶναι est *Deum imitari, colere.* Τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ, *doctrina divina*, ut Io. III, 34. Ultima verba sic construenda sunt: ὅτι δὲ ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, διὰ τοῦτο ἐκ Θεοῦ οὐκ ἐστέ. Ἀκούειν, *assentiri, probare, admittere doctrinam*, ut V, 24.

48. Iudaei, quum re ipsa Iesum convincere non possent, nominibus eum inquinare student criminosis, atque ideo dicunt: Οὐ καλῶς — ἔχεις;) *Nonne recte* (nos) *dicimus, te esse Samaritanum et insanum? Samaritanum te esse;* intellige non gente, sed sensu, quia negas, veritatem religionis esse penes Iudaeos. Tam blasphema sentis et loqueris, ut solent illi Samaritani, i. e. haeretici. Vid. not. ad IV, 9. δαιμόνιον ἔχεις) δαιμονᾷς, ut iam aliquoties habuimus, v. c. VII, 20. Nostri dicunt: Diabolus talia ex te loquitur. Cf. cap. X, 20. ubi δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται iunguntur.

49. Ἐγὼ δαιμόνιον — ἀτιμάζετέ με) *Ego non insanio, sed potius patrem meum honoro, quanquam vos me ignominia afficitis.* Τιμῶ τὸν πατέρα μου scil. ἀληθείαν λέγων, cf. v. 40. 46. Exsequor ea, quae Pater me docuit. Uti ille me edocuit, ita homines edoceo, unde etiam flagitiosos dico flagitiosos, servos et liberos Satanae; hanc enim doctrinam mihi demandavit Pater. Καί, ut Hebraic. ו, *quanquam, etsi.* 1 Sam. I, 5. Alii vertunt: *quare*, alii: *tamen.* Ἀτιμάζειν, *ignominiose tractare* (Luc. XX, 11.), *conviciis petere.*

50. Ἐγὼ δὲ οὐ ζητῶ τὴν δόξαν μου) *Sed* (quanquam vos me conviciis petitis) *honorem meum iam vindicare nolo.* Nolim vobiscum sine fructu de digni-

dignitate mea disputare. Non doceo ista, quae vobis propono, cupiditate humanae gloriae, quod et ex verbis et ex factis meis facile collectu est. Ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων) *Est tamen qui eum spectet atque vindicet;* est aliquis mihi favorem concilians, sententiam ferens. Deus quaerit, spectat honorem, gloriam meam, i. e. ex adiuncto: efficit, ut innotescat mea dignitas et auctoritas. Hoc autem effecit Deus, dum multis modis comprobavit, hunc esse filium suum, et legatum ad homines. Κρίνειν dicitur Deus, quum punit et *praemiis ornat.* Itaque verborum: Deus κρίνει τὴν δόξαν μου sensus est: Punit contemtores dignitatis meae, et qui eam agnoscunt, praemiis ornat. Salvam esse vult meam dignitatem per praemia et poenas.

51. Ἐάν τις — τηρήσῃ) *Si quis doctrinae meae constanter morem gesserit.* Τηρεῖν, quod Verbum LXX. potissimum ponunt pro נָצַר et שָׁמַר, proprie est *observare, animum defigere in aliquid;* tum ex adiuncto transfertur ad illum, qui animum habet defixum in aliquid, ut in agendo semper eius habeat rationem: itaque *praestare, exacte peragere.* θάνατον — αἰῶνα) *Is nunquam erit miser*, mors ei non erit terribilis; namque eam vitam consequetur, quae morte careat: *etiamsi mortuus fuerit, vivet*, XI, 25. 26. et vid. dicta ad c. V, 24. Μὴ εἰς τὸν αἰῶνα, *nunquam.* Ita Iudaei intellexerunt hanc phrasin, v. 52. 53. nec Iesus correxit hanc eorum interpretationem, quam etiam postulat usus hebraeograecus. Ps. XV, 5. οὐ σαλευθήσεται εἰς τὸν αἰῶνα, *nunquam commovebitur.* Phrasin τὸν θάνατον θεωρεῖν Iudaei v. 52. interpretabantur de morte proprie dicta. At Salvator designaverat mortem

tem impropriе sic dictam, *miseriam aeternam:* nam phrasis θεωρεῖν τὸν θάνατον significat etiam *miseriam experiri*, *infelicem et miserum esse.* Cf. Ioan. X, 28. VI, 50. Promittit igitur Christus suis vitam beatissimam, post mortem corporis futuram. Alii: *non morietur in perpetuum*, quia nempe resuscitaturus sum eum. Exemplo illustrat Iesus id, quod v. 50. dixerat, id sibi honoris et dignitatis a Patre datum esse asseverans, ut homines a miseria summa et aeterna per doctrinam suam immunes praestare possit.

52. Δαιμόνιον ἔχεις) Plane insanis, quum talia polliceris. Talia nemo proferre potest, nisi ex quo genius malus loquitur. Ἀβραὰμ ἀπέθανε καὶ οἱ προφῆται) Qui intimae admissionis amici Dei, et oraculorum divinorum interpretes erant, ipsique sermonem non hominis, sed Dei observarunt, mortui tamen sunt. Omnia enim intelligunt crasse et κατὰ πόδας, odio fascinati. καὶ σὺ λέγεις) Tu neutiquam illis comparandus haec audes dicere. ἐάν τις τὸν λόγον μου τηρήσῃ) Emphasis est voce μου: nam supponunt a Mose et prophetis religiose servata mandata Dei. Γεύεσθαι τοῦ θανάτου, *experiri mortem* idem est quod v. 51. θεωρεῖν τὸν θάνατον. Cf. not. ad Matth. XVI, 28.

53. Μὴ σὺ μείζων — ἀπέθανον) *Esne tu praestantior Abrahamo, qui mortuus est, et vatibus, qui mortui sunt?* Ὅστις pro ὅς in N. T. saepius occurrit, nec scriptoribus bene Graecis aliena est. Vid. *Brunckium* ad Eurip. Bacch. 115. τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς;) *Quem te ipsum facis?* Quem te venditas? Quid tibi arrogas? Satis tuam insaniam probas, dum te esse praestantiorem Abrahamo, Mose et omnibus Pro-

Prophetis perhibes, quippe qui se ipsos immunes a morte reddere non potuerunt, multo minus suos asseclas. Tu te effers ultra hos omnes, et omnino ultra omnes homines, sic ut potestatem divinam habere, imo Deus esse tibi videaris.

54. Ἐὰν ἐγὼ — οὐδέν ἐστιν) *Si ipse mihi tribuerem dignitatem*, (si gloriarer me esse maiorem Abrahamo ex vana gloriae cupiditate,) *vana esset haec gloriatio.* οὐδέν ἐστι, ut 1 Cor. XIII, 2. ἔστιν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με) *Is, qui mihi tribuit hanc dignitatem, est pater meus*, cuius auctoritate haec talia facio et loquor. Cf. supra c. V, 36. sqq ὃν — ὑμῶν ἐστι) Pro θεὸν ὑμῶν εἶναι, cuius constructionis exempla ex Profanis attulerunt *Raphelius* et *Kypke. Quem vos Deum vestrum esse dicitis*, cuius vos cultores esse profitemini.

55. Καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτόν) *Quamquam vos eum non nostis*, scil. recte, vere. Non intelligitis eius consilia de salute hominum per me restituenda et qualem cultum praecipue desideret. Vid. c. I, 18. οἶδα αὐτόν) Penitus pernovi. Καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ) *Eiusdemque mandata exsequor*, ago quod mihi ab eo praescriptum est, et munere mihi demandato accuratissime fungor. Τηρεῖν τὸν λόγον τοῦ πατρὸς idem significat, quod ποιεῖν τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ Io. IV, 34. XVII, 4. et vid. modo notata ad comm. 51.

56. Ἀβραὰμ — ἐχάρη) *Abrahamus, gentis vestrae auctor, laetabatur, exspectans se visurum esse diem meum, viditque et gavisus est.* Ante ἵνα ἴδῃ inserendum est: *exspectans, spe fretus;* alias esset Soloecismus. *Dies Christi* nihil aliud esse potest, nisi tem-

tempus Christi advenientis, seu in universum *tempus Messianum*, Luc. XVII, 22. Similis est dictio: ἡμέρᾳ Νῶε Matth. XXIV, 37. In locis etiam, quibus sermo est de reditu Christi in terram, similes dicendi formulae obviae sunt: ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου seu Χριστοῦ, s. Ἰησοῦ Χριστοῦ, s. τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, 1 Cor. I, 8. V, 5. 2 Cor. I, 14. Phil. I, 6. 10. 1 Thess. V, 2. 2 Thess. II, 2 Ἰδεῖν τὴν ἡμέραν τινὸς est igitur: videre aliquem viventem, agentem, versantem inter homines, cum aliquo vivere, tempus eius vivendo attingere, ut Luc. XVII, 22. Hoc vero ἰδεῖν intelligi potest aut de *visu corporeo* (quo sensu Iudaei acceperunt), aut de *visu in animo*. Si de visu corporeo intelligamus, sensus esset: Abrahamum exspectasse laetabundum, ut Messiam videret viventem, versantemque inter homines. Haec interpretatio et usui loquendi, et ipsi rei conveniens est. Nam et alii viri probi V. T. exspectasse et optasse dicuntur, ut sic viderent Messiam, ipso Christo hoc confirmante Matth. XIII, 17. Obstat autem huic interpretationi quod statim sequitur: καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη. Nam Abrahamus non vidit Messiam in his terris versantem. Quare statuendum est transitum fieri a proprietate verborum ad significationem tropicam, ut nempe *videre diem alicuius* sit: *mente et animo videre*, aut repraesentare sibi futuras eius res; quod usui loquendi in omnibus linguis optime convenit. Cf. Hebr. XI, 13. Neque tamen, ut scite monuit *Lückius* (T. II. p. 247), nostro loco verbum ἰδεῖν commutandum est cum προϊδεῖν, aut πόρρωθεν ἰδεῖν. Ita enim in verbis καὶ εἶδε esset tantummodo repetitio superiorum, et res eadem bis diceretur. Verisimile potius est, *factum* quoddam ex Abraha-

rahami vita respici, Iudaeis haud ignotum, et quidem quod narratur Genes XXII, 18. Promissio ibi Abrahamo facta est, per unum ex eius posteris omnes gentes felices fore. Sic sensus bene procedit hoc modo: Abrahamus, pater vester (scil. quo vos patre iactatis) exsultavit olim, quum promissiones acciperet de danda posteris suis salute; hoc autem tempus, quo omnia secundum Dei promissiones facta sunt, vidit iterumque gavisus est; quamquam enim mortuus est Abrahamus, vivit tamen apud Deum in coelo. — Alii aliter hunc locum interpretati sunt Et quidem nonnulli phrasin *videre diem alicuius* volunt esse: experiri ea, quae quis facit; non quo videas illum adspectabili modo viventem et versantem, sed experiaris, quid agat. *Dies Dei* saepissime in V. T. dicitur opus Dei, et tum *venit*, *instat dies Dei* significat: insigne opus operabitur Deus. Iam autem, quum quaeritur, qualem tandem operationem Messiae viderit et expertus sit Abrahamus, tum interpretes in varias scinduntur opiniones, e. gr. vidisse Abrahamum opus Dei, vel Messiae, quum Gomorra cum Sodoma est excisa; quum Isaacum arae imposuit, et vitae restitutum recuperavit etc. sive etiam tota res refertur ad visionem; Deum nempe per visionem Abrahamo omnem seriem vitae Christi declarasse; quae omnia ex mero arbitrio dicuntur Vid. *Mori* recitationes in Evang. Ioannis edit. *Dindorf*, Lips. 1796. p. 162. sq. — Parum probabilis etiam est *Tittmanni* periphrasis huius loci: Abrahamus *laetatus fuisset*, si ei *contigisset* me viventem in his terris oculis videre (ἴδῃ), ut tum Iudaei videbant; mente et animo videbat (εἶδε), exspectabat adventum meum, atque vel hoc ei magnam laetitiam creavit. Sed

usus loquendi et contextus huic interpretationi adversantur. — *Zieglerus* (*Erläuterung der schwierigen Stelle Io.* VIII, 12 – 59. in *Henkii* Magazin, Tom. V. pag. 247. sqq.) statuit, diem Messiae esse eundem cum die Iehovae; nam apud istius aevi Iudaeos eam viguisse opinionem, Messiam cum Deo esse coniunctissimum, ita ut illa etiam loca V. T., ubi de apparitionibus numinis in his terris sermo est, de Messia exposuerint (quod probat ex paraphrasibus Chaldaicis et libro *Sohar*, coll. *Schöttgen.* Hor. hebr. T. II. p. 6. 7.). Iam vero diem Iehovae designare illud tempus, quo Deus maiestatem suam manifestet, Ioel II, 1. Amos V, 18. Io. XII, 41. porro gestire, desiderare diem Iehovae idem esse ac *desiderare*, *optare maiestatem Iehovae*, quae simul etiam sit maiestas Messiae, hanc autem gloriam et maiestatem Iehovae vel Messiae h. l. ex serie orationis nihil esse aliud nisi immortalitatem, et summam felicitatem in altera vita; ergo sensum verborum: *Abrahamus diem meum videre gestiit*, esse: *immortalitate et felicitate summa apud Deum frui optavit*, huiusque voti compos factus est post mortem corporis, Luc. XX, 37. 38. — Huic interpretationi contextum favere, negari vix potest. Iesus enim v. 51. promiserat: *Si quis meae doctrinae obtemperaverit, is nunquam erit miser;* hoc fieri posse, Iudaei negaverant v. 52. 53. Iesus autem affirmat v. 36. Cf. *Schmidtii Biblioth. für Kritik und Exegese* etc. Tom. I. p. 329. sqq. Facilior tamen videtur esse explicatio, si post εἶδε subaudiamus ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *vivens in coelis*, Luc. XX, 38. Ceterum Verbum ἀγαλλιάω nunquam habet notionem *optandi*, ut *Kuinölius* aliique volunt, sed significat tantum: *prae gaudio exsul-*

sultare, et ex adiuncto: *beneficia celebrare*, *laudes canere*. Ita LXX. usurpant pro גִּיל et עָלַץ.

57. Εἶπον οὖν — ἑώρακας;) *Hinc Iudaei: nondum es quinquagenarius, et Abrahamum vidisti?* Videntur Iudaeorum primores haec verba Iesu bene intellexisse, sed studio in alienum sensum detorsisse, eo consilio, ut ab eo elicerent apertam professionem, se esse Messiam, eumque deinde deferrent, tanquam seditiosum, qui dignitatem regis politici (Messiae) sibi arrogare vellet. Πεντήκοντα, inquiunt, ἔτη οὔπω ἔχεις. Quasi dicerent, certe nondum semisaecularis es. Nec refert, quod Christus multis inde aberat: agunt enim liberalius, quia hoc omne nihil ad eos annos, qui ab Abrahami aevo numerabantur. Alii interpretantur: *Nondum aetatem virilem superasti.* Nempe annus aetatis quinquagesimus fixus aetati virili terminus habebatur. καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας;) Solet fieri, ut qui nos videt, eum et nos videamus. Sensus est: Quomodo fieri potuit, ut tu et Abraham alter alterum conspiceretis? Sumunt omnia in sensu vulgari.

58. Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι) *Antequam Abrahamus esset* (existeret), *ego fui.* Verbum γενέσθαι h. l. optime vertitur: *existere;* minus congruit lat. *nasci.* Praesens tempus, ἐγώ εἰμι, aperte exprimendum est praeterito tempore: *ego fui*, ut Ps. XC, 2. Ier. I, 5. Praesens vim habet Praeteriti maxime tum, quum res, quae fuisse dicatur aliquando, etiam nunc esse pergat. Imprimis haec enallage temporum in Ioannis scriptis frequens est. Vid. I, 9. XIV, 9. XV, 27. al. Hoc loco etiam sic intelligi postulat series orationis. Obiectio erat: Non potes vidisse Abraha-

mum, quia nondum natus eras. Respondet Iesus: Ego fui, antequam ille fuit. Sic sensu pari respondetur obiectioni. Sed ab aliis huic loco alius infertur sensus. Nonnulli enim interpretantur: Ego Messias credi et sperari solebam; fuerunt iam ante Abrahamum, qui me satis nossent, ut post verba ἐγώ εἰμι supplendum sit: *Messias*. Cf. supra v. 24. 28. infra c. XIII, 19. Sic sensus esset: Ego sum Messias, Adamo, Enocho, Noacho et Patriarchis promissus, atque exspectatus, diu antequam Abrahamus natus esset. Sed Messiam Patriarchis ante Abrahamum fuisse promissum, vix idoneis argumentis confirmari poterit. Alii igitur explicant de *destinatione*. *Iam ante Abrahamum natum destinatus fueram Messias*. Vid. *Löffleri* commentationem, annexam versioni germanicae libri *von dem Platonismus der Kirchenväter* etc. edit. 2. p. 384. et *Ierusalemi nachgelassene Schriften*. P. I. p. 216. Sed tum in verbis Iesu non esset responsio ad obiectionem Iudaeorum. Si porro Christus hoc tantum dicere voluisset, se destinatione divina ante Abrahamum fuisse, nihil dixisset nisi quod quilibet de se dicere potest. Saepe autem dicitur in hoc Evangelio Filius Dei ante mundum conditum extitisse. Denique inde etiam apparet, Christum singulare quid dixisse, quia Iudaei ita exardescebant ira, ut arriperent lapides in eum coniiciendos. Ex mente saltem Ioannis ὁ λόγος, intime coniunctus cum homine Iesu, ante mundum conditum extitit, c. I, 1. seqq. et Iesus ipse de se, omnia Patris consilia tenente, qui eum viderit, audierit, in eius sinu fuerit, tam multa dicit, ut perquam difficile sit, hanc sententiam, Messiam extitisse ante mundum conditum, ex hoc Evangelio delere. Vid.

Ziegleri

Ziegleri commentat. modo laudatam, l. c. pag. 253. seqq.

59. Ἦραν — ἐπ' αὐτὸν) *Tum illi, sublatis lapidibus aggressi sunt eum obruere*, velut blasphemum. Cf. Matth. XXVI, 63 — 66. Io. V, 18. X, 30 — 33. Levit. XXIV, 15. 16. In verbis ἐκρύβη καὶ ἐξῆλθεν est Hebraismus: *Occultatus est et abiit*, pro: occulto, clam abiit, per multitudinem ipsi amicam, atque eum circumcingentem, ne furorem suum in eum exsequerentur Iudaei. διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν) Videtur hoc additum ex Luc. IV, 30. ut et quod sequitur καὶ παρῆγεν οὕτως ex initio capitis sequentis; nam et vetustissimi codices graeci non habent, et in Latinis deest.

CAP. IX.

1. Καὶ παράγων — γενετῆς) *Et in transitu vidit hominem inde a natalibus coecum.* Nempe coecus hic sedebat ad viam, ut fieri solebat Matth. XX, 30. Ἐκ γενετῆς) non frustra additur; nam id vitium constat humana ope esse insanabile. Ceterum quae hoc Cap. narrantur, quo tempore facta sint, non definitur. Verisimile tamen est, haec non eodem die facta esse, quo Iesus lapidationem effugerat, quia nunc eum aperte et secure una cum discipulis suis incedentem conspicimus. Hoc etiam inde colligi potest, quia Ioannes diserte annotat, die Sabbati coeco valetudinem a Iesu esse restitutam, v. 14. Locus huius facti in regione circa templum fuisse videtur. Ibi enim, ut stipem colligerent, aegrotorum et mendicorum plurimi commorari solebant Actor. III, 1. 2.

2. Τίς

2. Τὶς ἥμαρτεν — γεννηθῇ;) *Utrum ipse suis peccatis, an parentes ei contraxerunt coecitatem?* Ἁμαρτάνειν h. l. non est simpliciter *peccare*, sed etiam peccando culpam contrahere. Ex traditione habebant, coecitatem et alia eiusmodi corporis vitia poenas esse peccatorum. Existimabant vero etiam poenas a parentibus promeritas, nec tamen ab illis perlatas transferri in liberos. Quaerunt ergo, utrum huic homini parentes malum contraxerint, an ipse coecus peccaverit, quia multi Iudaeorum credebant praeexistentiam animarum, imo et μετεμψυχώσιν, ut apparet ex *Philone*, *Iosepho* et Talmudistis. Adde, quod Iudaeorum Magistri docent de peccatis hominum in utero matris commissis. Bereschith R. XXXIV, 12. *Antonius interrogavit R. Iudam, a quonam tempore incipit malus affectus praevalere in homine? an postquam exivit ex utero matris, an dum adhuc ibi est? Dicit ei R.: dum adhuc in utero est. Tum, inquit Antonius, calcitrabit in utero matris et erumpet. Dixit R.: hoc didici ab Antonino et consentit illud cum Genes.* IV, 7. — Schir. R. I, 6. *Dum in utero estis matris vestrae, committitis idololatriam, quia mulier gravida intrat in idolium.*

3. Οὔτε οὗτος ἥμαρτεν οὔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ) Haec accipienda sunt κατὰ τὸ ὑποκείμενον, i. e. accommodanda ad interrogationem discipulorum, qui de peccato quaesiverant, quo prae ceteris istè tantam calamitatem videretur meritus esse; non quod peccati isti prorsus expertes fuerint, sed eius, quod causam dedisset illius miseriae. ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ ἐν αὐτῷ) *Sed ut Deus in eo ostenderet quid facere possit.* Post ἀλλὰ repetenda sunt verba: τυφλὸς ἐγεννήθη.

νήθη. Ἔργα (pro Singul. ἔργον) τοῦ θεοῦ h. l. non est negotium a Deo demandatum, sed aliquid quod Deus ipse facit et facere potest. Nec exprimitur consilium, quo Deus permiserit, ut ille homo coecus nasceretur, sed effectus. Nolite quaerere, inquit Christus, an coecitas huius hominis sit poena peccati. Discite potius ex eo, quod iam fiet, quomodo Deus auxilio suo hunc et alios miseros exhilaret, coll. v. 4. Miseri homines non semper pro impiis sunt habendi.

4. Ἐμὲ — ἡμέρα ἐστὶν) *Oportet me agere, quae Deus agi vult, quamdiu opportunitas adest.* Me oportet potentiam et benignitatem Dei factis ostendere, dum durat vita atque agendi facultas et occasio suppetit. Per ἡμέραν opportunitas aliquid efficiendi significatur. Dies enim laboribus est destinatus. Forte iam inclinabatur dies, et nox paullo post instabat; hinc desumit Iesus occasionem huius sententiae dicendae. Haud tamen improbabilis est eorum sententia, qui existimant, Iesum his verbis quibusdam ex discipulis suis respondisse, qui Pharisaeorum invidiam metuentes eum dehortati sint, ne iterum Sabbato aegrotum sanaret. Quasi dixisset: non curo malevolorum invidiam, mihi quovis die facta salutaria a Patre demandata peragenda sunt, quamdiu in his terris versor, mox enim discedam. ἔρχεται νὺξ) Transibit illa opportunitas; postquam nox quasi inciderit, locus non superest rebus peragendis. Instat enim mortis tempus, quo nemini ideoque nec mihi amplius licebit quidqam operari. Obscure significat Iesus, se non diu inter homines esse versaturum, voce sua docturum, et per se effecturum miracula. *Nox* etiam apud scriptores exteros est frequens *mortis* imago. Cf. *Hom. Iliad.* X, 466.

5. Ὅταν

5. Ὅταν — κόσμου) *Quamdiu inter homines adhuc ago, solis instar me esse oportet,* i. e. beneficum. Τὸ φῶς τοῦ κόσμου est *sol,* omnia collustrans et calefaciens. Huic Christus se comparat. Vid. not. ad VIII, 12. Sunt quoque quibus h. l visus hominis restituendus illius metaphorae denuo adhibendae ansam dedisse videatur. — Verbis: φῶς εἰμι τοῦ κόσμου subaudiendum est: Itaque et nunc id agam, quod me agere decet, licet vos putetis, *Sabbati* religionem obstare. Cf. v. 14.

6. Ταῦτα — τοῦ τυφλοῦ) *His dictis spuit in terram, lutumque e sputo factum oculis coeci illevit.* Cur Christus hoc fecerit, non potest certo definiri, tacente Evangelista. Fortassis voluit ostendere, quam exiguis ad efficiendum uti posset rebus. Fortassis etiam fecit hoc ideo, quia praevidebat, inimicos eum reprehensuros esse ob leviculam hanc occupationem, quae ne digna quidem erat hoc nomine, atque ut tanto magis in apertum produceret Pharisaeorum improbitatem, qui eum criminaturi erant, quod sabbatum violasset. Constat ex locis Talmudicis sputum oculis nigris salubre quidem habitum esse ab Iudaeis, sed prohibuisse Pharisaeos hoc medicamento uti sabbato, ne religio sabbati violaretur. Tanchuma Fol. X, 2. *Dixit Samuel: etiam sputum ieiunum ponere vetitum est super palpebras sabbato.* Ceterum quamquam Iesus medicamento usus esset, neque tamen Ioannes sanationis causam ad rem naturalem sed ad divinam potius vim referendam esse censuit Cf. ad h. l. *Rosenmülleri altes und neues Morgenland,* T. V. p. 245.

7. Ὕπαγε, νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωὰμ) *Abi*

Abi et oculos ablue in piscina Siloam. εἰς pro ἐν. Piscina τοῦ Σιλωὰμ, בְּרֵכַת הַשֶּׁלַח Nehem. III, 15., sita ad angulum urbis Austro - orientalem (non austro-occidentalem, ut plurimi, *Bachienem* secuti, notaverunt), ortum habuit a *fonte* Siloam, qui, referente Hieronymo, teste oculato, ex montis *Sionis* radicibus oritur. Ex hoc fonte ducti erant rivi in duas *piscinas* maiores, quarum altera dicebatur *superior*, altera *inferior*. Vid. Ies. VII, 3. XXII, 9. et quae *E. F. C. Rosenmüllerus* ad haec loca notavit. *Carpzovius* in Notis ad *Schikardum de iure Regio Hebraeorum*, allatis Hebraeorum locis ostendit, fontem illum et piscinam inde ductam in magna existimatione apud Iudaeos fuisse. Vide etiam *Lightfooti* disquisitionem chorographicam Ioanni praemissam cap. V. et Cent. chorograph. Matthaeo praemissam cap. XXV. Ἀπεσταλμένος, *missus*, ab Hebraico שָׁלַח *misit*. Sic dictum volunt Hebraei hunc fontem, quod inde aqua emitteretur. Ista enim aqua *mittebatur*, i. e. ducebatur non tantum in duas piscinas, sed etiam in urbis varias partes; inde nomen erat *aquaeductui*. At vero in hac parenthesi non satis recte, explicata videtur vox Hebraea; namque non voc. שִׁלֹחַ (secundum Euphonismum graecum Σιλωὰμ), sed שִׁלּוּחַ sonat: ἀπεσταλμένος. Quare Interpretes existimant, hanc parenthesin, etsi in Codd. fere omnibus legatur, glossema esse, quod iam antiquitus in textum irrepserit. Minime tamen hac coniectura opus est. Nam quoad sensum illud שִׁלּוּחַ, quod proprie est: *emissio*, scil. *aquae*, optime congruit. Cur autem Christus coecum non statim

tim sanavit, sed ad piscinam Siloam misit? Nescimus hoc. Dominum vero lavationem illam oculorum ad sanationem perficiendam necessariam duxisse apparet. Chrysostomus respondet: ἵνα μάθῃς τοῦ τυφλοῦ τὴν πίστιν καὶ ἵνα ἐπιστομισθῇ τῶν Ἰουδαίων ἡ ἀγνωμοσύνη. εἰκὸς γὰρ ἦν ἅπαντας ὁρᾶν αὐτὸν ἀπιόντα, τὸν πηλὸν ἔχοντα ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς κεχρισμένον κ. τ. λ.

8. 9. Τυφλὸς ἦν) al. leg. προσαίτης ἦν. Ὅμοιος αὐτῷ ἐστιν) Qui hoc dicebant, hoc solo abstinebantur, ne eundem crederent, quod non cogitarent fieri posse, ut coecus visum acciperet. Θεωροῦντες positum est loco Praeteriti τεθεωρηκότες, ut frequentius formae personales in vivida narratione adhibentur.

11. Καὶ νιψάμενος, ἀνέβλεψα) *Statim ut lavi, accepi visum.* Est autem catachresis: nam ἀναβλέπειν proprie eorum est, qui videndi facultatem aliquando habuerunt; sed nec male *recipere* quis dicitur, quod communiter tributum humanae naturae ipsi abfuit. Ceterum, quas in hac narratione discimus facti περιστάσεις, verisimile est Ioannem comperisse ab ipso homine sanato, qui postea (v. 38.) Christo ut Messiae fidem habuit.

13. Πρὸς τοὺς Φαρισαίους) Grotius intelligit Synedrium, in quo plurimi erant Pharisaei. Alii aliquos Synedrii assessores, tanquam statores religionis; nam Sabbato hoc fecerat Iesus, v. 14. Quinam illi fuerint, qui τόν ποτε τυφλόν ad Pharisaeos ducerent, non definitur. Verum die sequenti id factum esse statuendum est, quia ipso Sabbato nullum actum est iudicium.

15. Πάλιν — ἀνέβλεψεν) Interrogabant eum accuratius, ut eo magis constaret de *crimine*, quod putabant, a Iesu perpetrati magnitudine.

16.

16. Οὗτος — οὐ τηρεῖ.) Non est a Deo missus, quia solet in Sabbato operari. Iam enim aliquoties sanaverat. ἄνθρωπος ἁμαρτωλὸς) Intellige ex verbis antecedentibus, qui se falso a Deo missum praedicat. Tales enim excellenter peccatores vocantur. 2 Thess. II, 5. Καὶ σχίσμα ἦν ἐν αὐτοῖς) *Atque dissensio inter eos orta est.* Σχίσμα, *dissidium*, q. d. divisae sententiae.

17. Σὺ τί λέγεις — ὀφθαλμούς) *Quid tu de eo sentis, cum oculos tuos aperuerit?* Nonnulli subaudiunt: *nempe die Sabbati.* Magis tamen quam sabbati violatio ipsum erat miraculum, quod Christo Pharisaeorum invidiam contraheret. Quare diligenter inquirebant, num fortassis fraudis notas in facto illo egregio invenirent. Ὅτι προφήτης ἐστίν) *Prophetam eum esse existimo.* Ingenue homo ille professus est, neminem nisi auctoritate divina missum tanta beneficia hominibus tribuere posse.

19. Ὑμεῖς λέγετε) Ipsa percunctatione ostendunt, quale responsum desiderent, nempe non fuisse revera coecum, aut certe non natum talem, ut aut everteretur aut minueretur laus sanationis. *Quem coecum natum dicitis;* quibus verbis haud obscure parentes ipsos quoque doli insimulabant.

21. Πῶς — οἴδαμεν) Ad quaestionem illam, *qui fit ut filius vester nunc utatur oculis?* accurate respondere metu Synedrorum declinabant. Quare responsionis onus in filium reiiciebant his verbis: αὐτὸς ἡλικίαν ἔχει κ. τ. λ.) *Adultus, maturus aetate est.* Sic apud *Philonem* de Leg. ad Cai. p. 1025. γυναῖκες αἱ ἐν ἡλικίᾳ et παρθένοι ac πρεσβύτιδες destinguuntur.

Ex

Ex Hebraeorum autem moribus ad perhibendum testimonium requirebatur aetas annorum XIII.

22. Ταῦτα — τοὺς Ἰουδαίους) Ταῦτα, *haec*, non plura. Timidius ita loquuntur, nec quicquam adiiciunt in laudem Iesu. Cf. comm. 23. συνετέθειντο) *in eo convenerant; conspirarant* quasi. Quo tempore hoc Synedrii consultum sit editum, non definitur. Alii putant editurum esse post ea, quae narrantur c. VII, 49. alii post VIII, 59. ἀποσυνάγωγος γένηται) *Synagoga moveretur*, i. e. excluderetur a synagogis et familiari convictu, nempe per *Niddui;* nam *Cherem*, ἀνάθεμα, qui secundus est excommunicationis gradus, in Iesu sectatores decerni demum coepit post resurrectionem. Plura de generibus excommunicationis vid. apud *Kuinölium*, et Cf. *das alte und neue Morgenl.* T. V. p. 246. sqq.

24. Ἐκ δευτέρου) Pressiori interrogatione aliquid sperabant se posse elicere, quod claritatem miraculi obscuraret. δὸς δόξαν τῷ θεῷ) *Deum reverere*, ut tibi potius culpam et maculam inferas, et fatearis mendacium. Ede confessionem veri in Dei honorem, ut manifestum fiat, utrum hic homo sit verus an falsus propheta? Fuit quasi sacra formula. Ios. VII, 19. 1 Sam. VI, 5. Similis formula extat quoque Matth. XXVI, 65. ἡμεῖς — ἁμαρτωλός ἐστιν) *Nos scimus, eum virum esse impostorem.* Quo magis eliciant aliquod testimonium in Iesum, aiunt, sibi iam aliunde constare, esse ipsum falsum iactatorem prophetici muneris. Iesum nominantes ἁμαρτωλόν, *peccatorem*, *religionis contemtorem*, respiciebant inter alia eo, quod sabbatum violare in consuetudine haberet.

25. Εἰ

25. Εἰ ἁμαρτωλός ἐστιν — ἄρτι βλέπω) *Num peccator sit, equidem nescio; unum scio*, etc. Vix iis adstipulari possumus, qui in hac responsione *ironiam* reperisse sibi visi sunt. Verba potius sunt hominis modesti atque prudentis. Q. d.: Non mearum est partium, ut excutiam, utrum sceleratus ille sit necne; hoc unum certo mihi constat, me illius ope visu esse donatum.

26. Τί ἐποίησέ σοι;) Ex ipso sanationis modo, si denuo eum examinarent, sperabant aliquid deprehensuros se, quo constaret, non fuisse veram ac nativam coecitatem. Fieri enim poterat (ut scite monuit *Kuinöliusi*), ut homo ille nonnulla, quae a priori responso discreparent, proferret, ut adeo eum mendacem declarare possent.

27. Καὶ οὐκ ἠκούσατε) Vulgata omittit negationem; sed codd. quos novimus omnes, versiones etiam, habent. Retinenda igitur videtur, sed cum interrogandi nota, ut melius cohaereat quod sequitur: *Annon satis audistis?* Possunt etiam verba: καὶ οὐκ ἠκοῦσατε, verti: *sed non attendistis.* Quasi dicat: quid prodesset, si vobis repeterem, quae iam bene nostis, neque tamen creditis? Verbum enim ἀκούειν interdum non simpliciter *audire*, sed *recte percipere*, et in animum admittere significat. μὴ καὶ ὑμεῖς — γενέσθαι) Sunt verba indignantis et subirati. Probe enim intelligebat homo, quo tenderet iterata quaestio, nempe ut ipsum perturbarent, ex eoque aliquid elicerent, quo rem suspectam redderent.

28. Ἐλοιδόρησαν οὖν αὐτὸν) *Probris eum insectati sunt.* Λοιδορεῖν, *conviciari*, *probris insectari*, ut 1 Cor. IV, 12. Voc. οὖν in plurimis codd. deest. ἡμεῖς — μαθηταί) *Nos Mosis discipuli sumus;* illo ma-

magistro contenti alium non quaerimus. Hoc loco, ut saepe, Pharisaei Mosen Christo opponunt.

29. Πόθεν ἐστὶν) Oppositio membri praecedentis ostendit, πόθεν hic significare missionem, non autem ortum. Nescimus suopte impulsu, an daemonis instigatu doceat; verum de Mose nobis constat, eum fuisse voluntatis divinae interpretem, a Deo ipso missum.

30. Ἐν γὰρ τούτῳ θαυμαστόν ἐστιν) *Mirum sane est hactenus.* Ἐν τούτῳ, sc. τῷ μέρει, *hac ex parte, hactenus.* 2 Cor. III, 10. et 1 Petr. IV, 16. Quasi dicat: *Nolite hoc dicere!* Sic Particulam ellipticam γὰρ explicat *Wahlius* in Lex. ὅτι ὑμεῖς — ὀφθαλμούς) *Vos nescire, unde sit ille,* (hominem esse divinum, a Deo missum) *quum tamen* (καί) *mihi visum reddiderit.*

31. Οἴδαμεν — ἁμαρτωλῶν ὁ θεὸς οὐκ ἀκούει) i. e. Scimus (vel inter nos omnes constat, vel nos inferioris ordinis homines a vobis edocti scimus), Deum minime id efficere, quod homines improbi effectum vellent. Est quidem hoc satis proverbiale, ut videre est Ps. LXVI, 18. Ies. I, 15. et alibi: sed et quae praecedunt, et quae sequuntur, exigunt, ut intelligatur hoc de eo, qui falso se a Deo missum asseverat; quem Deus non exaudit, ut divina edat signa ad fidem faciendam suae missioni. Habuit nempe homo sanatus Iesum pro legato divino, qui ad patranda miracula auxilium divinum sibi expetere soleret. Et revera Christus saepe Patrem rogavit, quum miraculum vellet patrare, ut Evangelica historia nos docet. Cf. XI, 41. Ἀκούειν hoc loco est: *precibus annuere.* ἀλλ' ἐάν τις θεο-

θεοσεβὴς ἦ) Est et hoc proverbiale, ut videre est Ps. XXXIV, 16. sed et hoc aptandum ad praesentem materiam, ut intelligatur Deus libenter concedere potestatem signorum his, qui pio animo Dei mandata exsequuntur, et ad hoc signis opus habent. Voc. θεοσεβὴς est in N. T. ἅπαξ λεγόμενον. Alexandrini posuerunt pro יִרְא אֱלֹהִים Exod. XVIII, 21. Iob. I, 1. 8. II, 3.; legitur quoque Iudith XI, 16. *Münterus* (in libro supra ad c. VIII, 7. laudato) inscriptionem attulit quae in Samis Regis Armeniae numis legitur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΜΟΥ ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΟΥ.

32. Ἐκ τοῦ αἰῶνος — γεγεννημένου) *Nunquam auditum est, quemquam nato coeco visum reddidisse.* Vere hoc dixit homo, qui visum receperat. Nostra aetate Chirurgus quidam Anglus, *Cheseldon*, primus fuit, qui chirurgicis operationibus coeco nato visum reddidit. Ergo id, quod Iesus fecit, eo tempore iam in se fuit miraculum. Accedit, quod Salvator hominem aegrotum nullis adhibitis remediis naturalibus sanavit. Vid. *Michaelis* ad h. l. Ἐκ τοῦ αἰῶνος, *ab omni tempore, a mundo condito, ab hominum inde memoria*, est formula bene graeca. Hanc quoque phrasin pluribus inscriptionibus, quae in lapidibus quibusdam occurrunt, illustravit *Münterus* l. l. p. 15. sqq.

33. Εἰ μὴ — οὐδὲν) *Nisi igitur ille a Deo esset missus, non posset tale quid patrare.* De constructione Part. εἰ vid. *Wineri Grammatik des neutestam. Sprachidioms*, §. 35, 5. Οὐδὲν, sc. horum quae facit.

34. Ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος,) ὅλος, i. e, totus.

totus, quantus es, scates peccatis, homo es pessimus, *ein geborner Bösewicht.* Sic et Profani loquuntur. Tu, aiunt, vitiosus totus *natus es*, quum corporis nativum vitium arguat vitiositatem, qua ante te natum animus tuus iam infectus fuerit. Cf. v. 2. et ibi notata. Καὶ σὺ διδάσκεις ἡμᾶς, *tu audes nos docere* de precibus, quem Deus audire aut non audire soleat? ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω) Non dimiserunt, sed per apparitores e curia Synedrii ignominiose eiici iusserunt, simulque excommunicaverunt, coll. v. 22. Ἐκβάλλειν de iis adhibetur, qui domo, urbe, patria expelluntur. Cf. Actor. VII, 58. XIII, 50.

35. Σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ;) *Credisne in Dei filium?* Alii sine interrogatione: Is, cui tu credis, est filius Dei, Messias. Sed haec explicatio ob ea quae sequuntur vix locum habet. Num homo ille Iesum quaesiverit, an fortuito eum offenderit, nescitur. Iesus autem sanatum, qui tam constanter professus esset, Prophetam esse eum, cui visum deberet, ut poenas sibi contraheret, dignum habuit, quem inter sectatores suos reciperet. Quare Christus hominis fidem confirmaturus ex eo quaerit: Visne ei, qui Messias est, fidem habere?

36. Ἀπεκρίθη — εἰς αὐτόν;) *Respondet: ecquis est ille, Domine, ut in eum credam?* Animum promtum habebat ad probanda ea, quae Iesus ei hac de re dicturus esset. Laeto igitur animo exclamat: τίς ἐστι, seu potius, ut legendum est: καὶ τίς ἐστι, *ecquis est ille?* (Cf. Luc. X, 29.) Vehementer, inquit, Messiam novisse eique fidem habere cupio. Iesum Prophetam esse persuaserat sibi; an Messias esset,

set, a quo beneficium accepisset, nondum cogitaverat.

37. Καὶ ἑώρακας — ἐκεῖνός ἐστιν) *Atqui is, quem vides, et qui tecum iam loquitur, is est.* Verisimile non est, sanatum oculis suis adspexisse Iesum, priusquam cum eo colloqueretur. Cf. v. 11. Verba igitur καὶ ἑώρακας αὐτὸν, *iam vidisti eum*, accipienda sunt de eo tempore, ex quo hoc colloquium haberi inceptum est. Sensus: *Nunc vidisti* (vides) filium Dei, Messiam, qui te nuper iam viderat, tunc vero nondum abs te adspici poterat, quia adhuc eras coecus. Possunt vero etiam verba καὶ ἑώρακας αὐτὸν explicari: *Iam vidisti eum*, i. e. *iam virtutem eius expertus es:* nam est is, per quem visum recuperasti.

39. Εἰς κρίμα ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον τοῦτον ἦλθον) *In iudicium veni in hunc mundum.* Κρίμα h. l. *iudicium*, *sententia*, *discrimen.* Falluntur, quibus κρίμα est *sententia condemnatoria*, s. *poena.* Nam, ut iam alii monuerunt, haec significatio propterea locum habere non potest, quia etiam de iis, qui *oculorum visum accipiunt*, sermo est; nec favent huic interpretationi loca Ioann. III, 17. V, 45. XII, 47. Voc. κρίμα h. l. eodem significatu usurpatur, quo legitur c. III, 18., ubi v. 19. 20. explicatur, et XII, 31. — Praeposs. εἰς et ἵνα h. l. non tantum *eventum* indicant, aut *occasionem aliquam*, quam Christi adventus praebuerit ad conspiciendam hominum proborum et improborum diversitatem; sed ipsum indigitatur Domini *officium* atque *finis* laborum. Etenim ad opus Messianum (scil. generis humani σωτηρίαν, III, 17.) hoc quoque pertinebat, ut Christus discrimen,

quod simulatam inter et veram sapientiam pietatemque intercedat, cognoscendum daret. Quare sensus verborum sic erit constituendus: Veni in hunc mundum εἰς κρίμα, i. e. *ad pronunciandam sententiam, ad decernendum*, qui sint boni, qui mali; qui sapientiae pietatisque specie fallant, qui rerum divinarum ignorantiam animique corruptionem sentientes dociles sint atque parati ad veritatem, quam ego exhibeo, divinam discendam et amplectendam: veni hunc in finem, ut pellem detraherem iis qui simulata sapientia gaudeant; quoscunque autem invenerim inscitiam suam animique perversitatem dolentes, ut eos emendarem et divina sapientia imbuerem. — Οἱ μὴ βλέποντες sunt eiusmodi homines, *qui animi coecitate laborabant.* Cf Matth. XXIII, 17—24. More suo alludit ad rem gestam *Qui non vident*, subaudi: et qui tales se esse sentiunt; qualis ille coecus fuerat, qui nullam sibi rerum divinarum peritiam arrogabat, sed edoceri cupiebat. ἵνα βλέπωσι) *Ut videndo cognoscant.* οἱ βλέποντες) Qui se videre putant solos, qui magna se religionis peritia praeditos esse putabant, quales erant Pharisaei, qui propterea arroganti titulo se Sapientes vocabant, atque adeo doctrinam Christi repudiabant; οἱ μὴ ἀκούοντες comm. 27. τυφλοὶ γένωνται) i. e. appareant coeci, ignari rerum divinarum, ut Pharisaei, qui omni modo hoc agebant, ne viderent, quod videbant, coeco lucem datam. Itaque verba ἵνα οἱ μὴ βλέποντες — γένωνται vertenda sunt: *ut inscii sapiant, eruditi autem, vel, qui sapientes sibi videntur, coecitatis arguantur, coeci appareant.* Nostro similis locus est 1 Cor. I, 18—29.

40. Μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν) Satis intelligebant, Chri-

Christum de animi coecitate loqui; sed indignum et incredibile putant, se in numero eorum poni, qui animi coecitate laborarent.

41. Εἰ τυφλοὶ ἦτε) Si vos pro coecis haberetis; si agnosceretis ignorantiam, qua tenemini, vel etiam: si essetis in numero vere insciorum; si propter ingenii tarditatem non possetis perspicere id quod verum est. οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν) *Nulla esset vestra culpa.* Ἔχειν ἁμαρτίαν, *reum esse culpae*, ut infra c. XV, 24. XIX, 11. Sensus igitur est: *Si ignorantia vestra esset invincibilis, nulla esset vestra culpa.* νῦν δὲ λέγετε, ὅτι βλέπομεν) ὅτι abundat more hebraeo, et λέγειν hic est *cogitare. Nunc autem existimatis vos sapere;* etiam postquam error vester vobis aperte monstratus est. ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει) *Culpa vestra manet*, i. e. οὐκ αἴρεται, οὐκ ἀφίεται, *non aufertur, non condonatur;* illa culpa vestra porro vos premet. Sic enim explicandum ob membrum superius huic oppositum.

CAP. X.

1. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν) Pergit Christus in reprehensione Iudaicorum doctorum. Hi enim eum pro falso doctore declaraverant, et excommunicaverant eos, qui eum pro vero Propheta et Messia agnoscebant. Iesus autem, imagine a pastore desumta, se verum Messiam, illos falsos doctores esse ostendit. Tantum se a seductore abesse declarat, ut per se unum et solum doceat patere ad salutem accessum. Igitur parum commode hoc caput est divisum ab eo quod praecedit.

Quod etiam intelligitur e phrasi ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, quae statim initio orationis nunquam occurrit. Accedit, quod, qui comm. 21. loquuntur, ostendunt, se testes et auditores fuisse eorum, quae c. IX, 35 — 41. narrantur. Ὁ μὴ εἰσερχόμενος — λῃστής) *Quisquis non per ianuam intrat in caulas ovium, sed aliunde irrumpit, is fur est et latro.* Αὐλὴ h. l. est *ovile*, et ovile improprie dicitur Dei populus, grex Dei, vera ecclesia, coetus eorum, qui Deum recte colunt, et religione ita utuntur, ut per eam ad veram pertingant felicitatem, veris Dei cultoribus promissam. Haud raro in V. T. Reges, Prophetae atque Doctores comparantur cum *pastoribus*, subditi cum *ovibus*, totus populus Deo peculiaris cum *grege*. Exech. XXXIV, 11. sqq. Ierem. XXIII, 4. 5. Εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων dicuntur ii, qui ullo modo intrant in hoc ovile, Dei ecclesiam, sive ut rectores populi atque doctores, (v 2. sqq.) sive ut membra coetus divini (v. 9.). Ἡ θύρα, *aedium fores*, aditus quicunque (Luc. XI, 7.), h. l. tropice est legitimus ordo perveniendi ad reipublicae sacrae administrationem, modus legitimus, quo quis doctor existit. Infra v. 7. Christus se ipsum vocat τὴν θύραν eam ob causam, quod pastoribus et ovibus per eum pateat aditus in ovile, in veram Dei ecclesiam. Hic, ubi de *pastoribus* sermo est, (v. 2.) *per ianuam intrare in ovile* significat, *legitimo ordine et modo adire munus docendi et regendi Dei populum.* Qui vero praeter ius et fas sibi arrogant imperium in gregem Dei, et malis artibus auctoritatem sibi conciliare conantur, ii comparantur cum *furibus* et *latronibus*, quia, salute populi neglecta, tantum suis commodis, honoribus et divitiis

student,

student, summo cum detrimento populi. Tales inprimis erant Pharisaei, sed etiam reliqui primores populi, qui modo hominem innocentem e Synagoga et ecclesia exturbarant, c. IX, 34. Cf. Matth. XXIII. Κλέπτης igitur s. λῃστής h. l. est qui suum lucrum in religionis doctrina quaerit; contra *pastor*, qui verae religioni prospicit. Docet autem Iesus, non admodum esse dolendum, si quis a Pharisaeis, falsis doctoribus, furum et latronum instar grassantibus, ex coetu Iudaico eiiciatur; *se* enim esse verum rectorem et doctorem populi divini, per quem unice pateat aditus in veram ecclesiam v. 7—9. quique omnes ad se accedentes libenter recipiat. Sic hominem paullo ante coecum, eiectum e Synagoga Iudaeorum, ad se et agnitionem sui perduxerat Iesus; i. e. in suum receperat ovile.

2. Ὁ δὲ —προβάτων) *Qui vero per ostium intrat, is pastor est ovium*, veri nominis doctor coetus divini. *Per ostium*, i. e. legitimo ordine intrat in ovile is, cui aditus ad gregem datur per Iesum, qui propterea infra v. 7. seipsum appellat τὴν θύραν. Sine dubio hoc vult Iesus, *suae* disciplinae alumnos (τὰ πρόβατα), et veri nominis sectatores, ab ipso edoctos, quales erant tum temporis duodecim discipuli, legitimos esse doctores, et legitime praeesse populo Dei, non autem discipulos Pharisaeorum; se, ut Dominum gregis, legitima potestate constituendi doctores praeditum esse.

3. Τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει) *Ei ianitor aperit fores.* Veteribus ianitores servi fuerunt, vel ancillae quae ad intrantes et exeuntes attenderent et quos vellent, admitterent, quos nollent, repellerent, saltem intromitti

tromitti cupientes domino denunciarent. Nam ianuae domorum interdiu noctuque fuerunt clausae. Vid. *Pignorius de servis* p. 443. 444. et *Popma* de operis servor. p. 133. sqq. De his vero servis hic non est sermo, sed θυρωρὸς h. l. est unus e servis, qui in stabulo versatur, et compastori, data occasione pulsanti, ianuam aperit. Erant enim ovilia quoque maiora, in quae non unus et alter, sed multi pastores ingredi, ibi habitare atque dormire solebant. Sed in applicatione ὁ θυρωρὸς non attenditur; nam pertinet hoc ad ornatum huius imaginis, et nihil opus est in parabolis particulas singulas habere, cui respondeant. Ergo frustra sunt, qui per ianitorem vel *Angelum* Ecclesiarum praesidum, vel *Spiritum S.* vel *Mosen* vel *Christum* ipsum intelligunt. Toti tamen phrasi hoc inesse potest: talem pastorem, in schola Christi eruditum, doctrina salutari imbutum, pro vero doctore agnosci a veri amantibus; Deum eius conatibus favere, et facere ut eius auctoritas agnoscatur ab iis, qui veritati studeant, et salutem suam appetant. καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει) Ἀκούειν h. l. non tam significat *audire*, quam *agnoscere* et *sequi*, obedire. Habent pastores voces quasdam proprias, quibus assuescunt pecudes. Voc. φωνή, ut Hebr. קוֹל, de quovis sono adhibetur. Hoc loco significat *vocem quae vocat*, quae vel est iubentis, vel docentis, vel minantis. De pastore gregem ducente significare potest fremitum oris quemcunque, sibilum labiorum, clangorem fistulae etc. *Oves* autem in affabulatione intellige homines eos, qui pio sunt animo, ac proinde dociles. Infra v. 16. Hi ex doctrinarum praestantia et salubritate verum doctorem agnoscunt eique obediunt. καὶ τὰ

τὰ ἴδια — ὄνομα) *Et oves suas vocat nominatim.* Morem antiquissimum, nomina propria ovibus, canibus, felibus, equis, hircis imponendi, idoneis veterum locis diligenter probat *Fabricius* in Notis ad Sextum Empiricum pag 19. Sic e. c. apud *Theocritum* (Id. V, 102. 103.) pastor quidam tres ovium suorum nominibus suis compellat. — Ex iis quae nostro loco leguntur manifestum esse putant nonnulli, Christum hic de se tantum, tanquam vero Pastore, loqui, quippe in cuius potestate tantum positum sit, oves suas singulas nosse et appellare, quod fieri non possit ab homine Ministro ullo, inprimis si de interiori cognitione cogites. Sed de interiori cognitione hic cogitandum non est; phrasis enim significat diligentem pastoris curam, qua singulis suis ovibus prospicit, quantum fieri ab homine potest. Nec obstat vocabulum ἴδια, notum enim est, ἴδιον non semper usurpari de *peculio*, cuius tu sis *dominus*, sed simpliciter poni pro αὐτοῦ, ἐμοῦ etc. Exempla sunt Act. XXIV, 23. Matth IX, 1. Ergo pastoribus oves *propriae* esse dicuntur, quatenus curae eorum sunt traditae. ἐξάγει αὐτά) *Educit in pascua.* Ne hoc quidem requirit specialem ἀνταπόδοσιν, pertinet enim ad descriptionem curae pastoralis. Prospicit suorum saluti. Cf. *Bocharti Hierozoicon* ed. *Rosenmülleri.* T. I. Lib. II. cap 44. *de gregum pastoribus.*

4. Καὶ ὅταν — ἐκβάλῃ) *Qui ubi oves eduxit.* Quod iam dixerat ἐξάγειν, nunc dicit ἐκβάλλειν, quod ut hebr. שָׁלַח et גָּרַשׁ non tantum *expellere*, sed saepe etiam *emittere* significat. Cf. Matth. IX, 38. Ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται) *Anteit eas.* Ex more illarum regio-

regionum, qui et hodie viget. Cf. *das alte und neue Morgenl.* T. V. p. 248. sqq. et *Lückium* T. II. p. 274. In aliis quibusdam terris pastores non ducunt oves, sed eas sequuntur. Hoc vult Christus: Talis pastor et doctor non tantum tradit veras ac salutares doctrinas, sed etiam exemplo suo praeit iis, qui eius auctoritatem agnoscunt; hi autem exemplum eius imitantur, quia sciunt eum nonnisi vera ac salutaria docere, et exemplum eius dignum esse imitatione.

5. Ἀλλοτρίῳ — φωνήν) *Alienum vero ducem non facile sequentur, sed fugient, quod alienorum vox iis ignota est.* Sensus est: *Falso doctori non praebent aures, sed adversantur eum.* Ἀλλότριος, qui non est vere pastor, rerum alienarum appetens, v. 1. 8. 10. Sic coecus natus minas adversariorum Iesu contemserat, nec monitis eorum paruerat, cap. IX, 24. sqq. multique alii eo ipso tempore obtemperaverunt Ioanni, Luc. VII, 29. 30. XX, 5. 6. et post Christi resurrectionem obtemperaverunt Apostolis, veris doctoribus quotiquique erant veri amantes et salutis cupidi, neglectis Pharisaeis et falsis doctoribus.

6. Παροιμία saepius est *proverbium;* ita profanis usurpatur et semel in N. T. 2 Petr. II, 22.; tum in genere omnem sermonem figuratum, imaginem, allegoriam significat. Ita aqud LXX. usurpatur de concise et sententiose dictis pro מָשָׁל Prov. I, 1. XXV, 1. XXVI, 7. In Evang. Ioann. (ubi παραβολή non legitur,) est i. q. παραβολή, *oratio comparativa;* vid. c. XVI, 25. 29. ἐκεῖνοι — αὐτοῖς) *Illi autem non intellexerunt huius sermonis sensum.* De universo hoc et sequenti loco monendum est, eum totum esse allegoricum. Quum autem omnis allegoria sit similitudo; similitudo autem multis

multis partibus spectari possit; fit, ut in una eademque allegoria homo multis modis spectari possit. Unde Christus modo se appellat ianuam, modo pastorem gregis, modo ianitorem. Proinde non opus est, singulas partes ad aliud quid applicare velle; nam omnia applicantur ad unam eandemque rem, diverso modo, sicut allegoria de cibo coelesti cap. VI. multis modis spectatur. Quare neque Pharisaeorum *ignorantiae*, neque *malevolentiae* tribuendum est, quod οὐκ ἔγνωσαν, τίνα ἦν, ἃ ἐλάλει αὐτοῖς. Vix etiam Christus, si intelligeret, Pharisaeos *nolle* parabolae sensum capere, explicationem adiecisset.

7. Εἶπεν — Ἰησοῦς) *Porro igitur Iesus ad eos dixit.* Repetit allegoriam ante propositam, ita ut ipsam imaginem retineat, in quibusdam tamen partibus ab ea recedat, et praeterea quoque verba propria et perspicua addat. ὅτι — προβάτων) *Ego sum ianua per quam oves intrant*, sc. in ovile. *Ovile* est coetus Messiae, ecclesia. *Oves* membra singula huius coetus. Ianuam dum se vocat Christus, significat, se esse eum, per quem et pastores et oves fiant membra verae ecclesiae, et potiri possint ea felicitate, quae Dei subditis et cultoribus promissa sit. Cf. v. 9. cap. XIV, 6. Θύρα enim *primo* quidem est aditus ad rem aliquam; *deinde* vero is, qui aditum et facultatem ad aliquam rem dat. Ceterum comparatio Christi cum ianua paulo audacior videri possit, sed ea e genio orientalium metienda est, et similes comparationes leguntur c. VI, 33. XIV, 6. XV, 1.

8. Πάντες — λῃσταί) *Quotquot* (paullo) *ante me munus regendi populum aggressi sunt, furibus et latronibus sunt similes.* Hic mihi verus huius loci difficilis

difficilis sensus esse videtur. Recte *Bengelius* in *Gnomone* ad h. l. monet, verbum εἰσί, *sunt*, in praesenti, indicare, illud ἦλθον, *venerunt*, accipiendum esse de tempore praeterito proximo, et de cursu aliorum proprio, cui opponitur δι' ἐμοῦ, v. 9. Deinde etiam πάντες populariter dictum esse videtur. *Omnes* fere, inquit, *qui* his temporibus, *ante me doctores populi fuerunt, erant homines pessimi.* Ἔρχεσθαι de iis dicitur, qui ad munus aliquod gerendum prodeunt, et quidem h. l. de iis, qui tum temporis populo praeerant. Pharisaei et primores Iudaeorum, quotquot inter initium muneris Christi, et inter tempus huius paroemiae, paullo ante passionem dictae, docendi munus erant aggressi, antecessorum similes. Voces πρὸ ἐμοῦ non extant in Codd. variis. Videntur autem a nonnullis ideo omissae, ne iniuria fieret Prophetis V. T. quos hic a Manichaeis intelligi, *Theophylactus* auctor est. Sed de Prophetis h. l. non est sermo. Nec cogitandum est de hominibus, nomen ac dignitatem Messiae *ante* Christum sibi arrogantibus, vel similibus impostoribus, quales fuerunt *Iudas Gaulonites* et *Theudas*, Act. V, 36. 37. Nam eiusmodi homines, qui sibi Messiae dignitatem arrogarent, *ante* Christum extitisse, idoneis argumentis demonstrari nequit; vid. *Moschius* in *Erklärung der Sonntags-Evangelien* ad h. l. *Müllerus* (in Animadverss. in Ioann. X, 1. sqq. Leucopetrae, 1788.) pro πρὸ ἐμοῦ legendum esse coniecit χωρὶς ἐμοῦ, *sine me;* quae tamen coniectura omni auctoritate est destituta. Alii voc. πρὸ verti volunt *praeter*. Neque tamen idonea est causa, cur significatio Praepos. πρὸ mutetur, quum negari non possit, exstitisse ante Iesum, qui falso docuerant.

cuerant. Alii aliter hunc locum illustrare studuerunt. Sed totus contextus docet, sermonem esse de Pharisaeis et Iudaeorum proceribus qui auctoritate sua in regendo populo abutebantur. Comparantur cum *furibus* et *latronibus*, quia consilia eorum ad perniciem et detrimentum plebis imperitae atque ad aucupandum commodum, honorem, lucrum etc. spectabant. Nam *fures* aliena clam ad se rapiunt, *latrones* aperta vi alios spoliant. Talibus similes fuisse Pharisaeos et legisperitos, discimus ex Matth. XXIII. Ἀλλ' οὐκ — προβατα) *Sed oves non sectantur eos*, respuunt eorum doctrinam et consilia. Quamquam Pharisaei et Sacerdotes Iudaeorum intensis viribus id agerent, ut Iesum suspectum redderent ab eoque animos hominum abstraherent; multi tamen fuerunt, qui animo promto paratoque Christi doctrinam amplecterentur eique ut Messiae nomen darent.

9. Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα, i. e. ego sum is, qui aditum et facultatem dat ingrediendi in regnum divinum. Per meam tantum doctrinam fieri aliquis potest civis coetus divini, et legitimus doctor. Hoc statim explicatur verbis sequentibus: δι' ἐμοῦ — εὑρήσει, *per me qui intraverit, salutem consequetur, atque per omnem vitam habebit pascua.* Per Christum *intrat* (in ovile) qui per eius doctrinam fit civis divini coetus. Hoc et de ovibus, et de legitimis pastoribus intelligendum esse videtur. Σωθήσεται, *salute fruetur*, felix erit. Uterque, et doctor et discipulus, auxilio divino carere non possunt, ut ab erroribus incolumes existant; ad utrumque igitur pertinet τὸ σωθήσεσθαι. *Kuinölius* et *Lückius* contendunt, sermonem esse h. l. tantum de pastoribus seu populi doctoribus. Sed

comma

comma 10., ad quod provocant, minime huic opinioni favet. Verbum σωθήσεται *Kuinölius* interpretatur: *felix erit*, amoris, obedientiae, reverentiae officium ei praestabit populus, grex. Quae interpretatio vix probari possit. Altior quaedam legitimi doctoris felicitas esse debet, quam discipulorum amor et obedientia. Haec autem salus, haec felicitas ita describitur: καὶ εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται, καὶ νομὴν εὑρήσει, *per omnem vitam habebit pascua.* Phrasis εἰσέρχεσθαι καὶ ἐξέρχεσθαι (quae bis in N. T. occurrit, h. l. et Actor. I, 21. de Iesu, negotia sua in his terris peragente), respondet Hebraicae בּוֹא וְיָצֹא, *ingredi et egredi.* Non tantum de administratione muneris adhibetur, ut Num. XXVII, 17. Deut. XXXI, 2. sed etiam de quibusvis vitae negotiis, ut de universa vivendi ratione cogitetur, Deut. XXVIII, 6. Ps. CXXI, 8. et verti potest: *per omnem vitam, quocunque commeaverit.* Quicunque aut doctor aut discipulus officio suo ex Dei voluntate fungitur, is in regno Dei versabitur et felicitate gaudebit. Νομὴν εὑρήσει, *pabulum inveniet;* erit pastu et cultu opimus, ut de ovibus loquens A. Gellius dixit. Apte autem personam pastoris induens, ista Christus promittit. *Pabulum invenire* in applicatione similitudinis est *bonis frui.* Qualia autem et quanta sint bona illa, quae Christus suis promisit, id satis notum est. Si ad pastores applicatur, sensus erit: *In fungendo munere omnia ei prospere succedent*, ita ut ovibus suis nunquam desit pastus. Semper ei in promtu erunt, quae dicat ad instruendum, hortandum, consolandum populum.

10. Ἵνα ζωὴν ἔχωσι καὶ περισσὸν ἔχωσιν) *Ut vitam*

tam habeant, et abundent, i. e. ut felicitatem consequantur, et melior sit eorum conditio. Oves, quae bene habentur, non tantum habent quae necessaria sunt ad vitam sustentandam, sed et delicias, herbarum varietate. Sic Christus suis vitam dabit aeternam, et cum ea omne genus felicitatis.

11. Occasione antedictorum novam incipit comparationem, *pastoris* vocem iam sumens non pro solo Messia, sed pro quovis populum docente aut regnante. Neque hic pastorem opponit, ut ante, furi et latroni, sed pastorem qui idem dominus sit ovium mercenario, quem *alienum* Virgilius vocat et sic describit: *Hic alienus oves custos bis mulget in hora: Et succus pecori et lac subducitur agnis.* — Christus h. l. se opponit quibusvis pravis doctoribus populoque male imperantibus, legisperitis suorum temporum et Pharisaeis. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς) *Ego sum pastor ille bonus*, dominus ovium, non mercenarius. Nulla emphasis in duplicato articulo esse videtur; nam desumta sunt haec e vita communi. Verba igitur ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς non vertenda sunt: *pastor verus in N. T. promissus* i. e. Messias; sed eodem sensu accipienda, quem habet phrasis ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ c. XV, 1. Quare recte Interpretes ad h. l. monuerunt, voc. ποιμὴν non *per se* significare Messiam, quamvis Messiae notio in eo lateat. Nam pastoris imagine designatur non tantum doctor sed etiam rex et dominus, quandoquidem regum et pastorum finitimum munus; unde Homerus reges ποιμένας λαῶν (e. c. Ili. I, 263.) appellat, et apud Xenophontem illorum passim fit comparatio, ut demonstravit Raphelius in Annotatt. Xenoph. quibus tamen addas Mem. III, 2. Hebraei quo-

quoque Messiam sub imagine boni pastoris, oppositis pravis populi pastoribus, repraesentare solebant. Vid. Ezech. c. XXXIV. et Iesai. c. XL. Iesus ipse describit se tanquam eum, cuius, tanquam filii Dei (v. 15. 17.) *grex*, seu populus Dei, *proprius* sit, v. 12. 14. 16. Καλός, *bonus*, i. e. bonae indolis; hoc loco *probus*, *nomine suo dignus*. Vid. 1 Tim. IV, 6. 2 Tim. II, 3. 1 Petr. IV, 10. Etiam profani hoc voc. saepius usurpant de praestantissimo quoque in genere suo atque excellentissimo. Sic Plutarchus Romulum dicit esse καλὸν κἀγαθόν. Et καλὸν appellant Philosophi, quod quovis modo pulchrum sit. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν) ψυχὴν τιθέναι significat hoc loco *periculis*, *quae mortem minitantur*, *se exponere; mortem non defugere*, sive reipsa mors sequatur, sive non, quod plenius Hebraei dicunt: vitam ponere in manu sua, ut Iud. XII, 3. 1 Sam. X, 5. XXVIII, 21. et alibi. Sic *Plautus* Captivis dixit: *Caput periculo ponere.*

12. Ὁ μισθωτὸς) *Mercenarius*, est quivis mercede conductus, non dominus gregis, sed servus eius, qui dominus est gregis. Huiusmodi mercenarius potest et malus et bonus esse, nec in nomine ipso est vituperium; quoniam vero rari sunt mercenarii boni, propterea hoc vocabulum plerumque in malam partem sumitur. Θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον, καὶ ἀφίησι τὰ πρόβατα, καὶ φεύγει) Constructio ex Hebraismo. Sensus est: *Si lupum viderit irruentem*, *deserit oves*, *et fuga sibi consulit.* Ad Pharisaeos et primores populi Iudaici haec quoque verba spectant. Neque obstat, quod illos antea dixerit esse fures et latrones, ut *Michaelis* ad h. l. opinatur, qui igitur haec a Domino universe, ut in vita communi, dicta esse censet. Sed scite

scite *Kuinölius* observavit haec: „Iesus ipse h. l. munus officiumque suum sub variis imaginibus descripsit, sic ergo etiam variare poterat in describenda Pharisaeorum reliquorumque curatorum populi perversa cogitandi et agendi consuetudine, et commode eos comparare poterat cum mercenariis, quoniam honoribus unice et turpi lucro inhiantes, oves perire sinebant, salutis populi nullam curam habebant, et contumeliis, minis, poenis, sectatores Iesu ab eo abstrahere et ad suas partes perducere studebant“ Mercenarius, quatenus est mercenarius, οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα, si comparetur cum pastore, non magnopere curat oves. Huic non tanta est cura gregis, ut pro eius salute periculo mortis se exponat. Καὶ ὁ λύκος — πρόβατα, *ita ut lupus oves vel arripiat, vel dissipet.*

13. Ὁ δὲ μισθωτὸς — προβάτων) *Mercenarius scilicet fugit, ut mercenarius, qui gregis curam non habet.* Non simpliciter, sed comparate negatur, mercenariis de ovibus curae esse, uti Paulus 1 Cor IX, 9. non infitiatur, boves Deo curae fuisse, sed (v. 10.) *praecipuam* eorum in lege prolata rationem habitam fuisse negat. Mercenarius sibi gregem non habet *summae* et *simili* curae, *atque dominus.* Hoc facile accommodari potest ad Christum, dominum sui gregis, et ad reliquos doctores. Hi enim, quamvis boni, nec possunt, nec etiam debent hoc consilio mortem oppetere, ut communem perniciem ab universo Dei populo depellant, eique perfectam salutem afferant. Tantam curam nemo suscipere ac sustinere potuit, nisi filius, Deo unice carus atque coniunctus, cui consilia patris de salute humani generis perfectissime essent nota atque perspecta.

14. Καὶ γινώσκω — τῶν ἐμῶν) *Et agnosco oves meas, et ab illis agnoscor*, i. e. mutuus inter nos est amor, mutua amicitia. Nam hoc in vita communi exprimi solet verbis: Ille novit me, et ego novi eum. Formula γινώσκω τὰ ἐμὰ opponitur verbis v. 13. οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων, *non curam gerit ovium*, non sunt oves ei cordi, quia res ipsius non agitur. Γινώσκειν, h. l. ut saepius in N. T. sicuti יָדַע, habet significationem *amandi*, ut Rom. X, 19. 1 Cor. VIII, 3. Gal. IV, 9. 2 Tim. II, 19. Eodem sensu hoc verbum in inscriptione usurpatum esse videtur. Fratres nempe, qui Petrocoraci monumentum posuerunt, nomen eius dicunt γνωστὸν πολλοῖσι βρωτοῖσι. Cf. *Münterum* l. l. p. 17.

15. Καθὼς — τὸν πατέρα) *Sicut inter me et patrem est mutuus amor.* Pater novit promtissimam meam voluntatem, et indefessum studium perficiendi opus, quod mihi demandavit, proptereaque me amat. Ego autem novi consilia patris; quid a me sit praestandum et sustinendum reparandae humanae salutis causa, quanta gloria mihi sit parata etc. proptereaque eum vicissim amo. καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι) καὶ, *atque adeo, so dass ich sogar* vel vitae periculum libenter subeam; scio enim, probari ei omnia quae ago, et promptam meam voluntatem hominum causa vitam profundendi et esse gratam et acceptam, v. 17. Saepius Christus amorem inter se suosque sectatores comparat ei amori, quae sit inter se et Patrem. Vid. supra VI, 56. 57. infra XVII, 23. Verba καθὼς — τὸν πατέρα in parenthesi sunt legenda.

16. Ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης) *Alias insuper oves habeo, non ex hac cau-*

la,

la, gente. Samaritanos et Ethnicos intelligit, quos per Apostolos et alios fideles doctores ad beneficiorum regni sui communionem erat perducturus. Hactenus nempe septum diviserat Iudaeos a gentibus ceteris; Christus vero perrupit istud septum, ut sic in unum gregem homines omnes coire possent. ἀγαγεῖν) i. q. προσαγαγεῖν, ut temnere, pro contemnere. τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι) i. e. doctrinam meam amplectentur; praeceptisque meis obsequentur. μία ποίμνη, εἷς ποιμήν) *Grex unus, pastor unus.* Quod est indicium unius ecclesiae in toto orbe terrarum, e Iudaeis et Paganis mixtae, quae caput habet unum et solum Christum custodem pastoremque unicum. Indicat igitur Iesus, se non unius gentis, sed universi generis humani salutem esse procuraturum, et quidem non tantum doctrina, sed etiam *morte* sua. Tantum ac tale consilium nemo unquam hominum cepit, vel capere potuit; nec Iesus tale quid promittere ausus fuisset, nisi de coniunctione cum Patre intima deque eius voluntate et auxilio certus fuisset. Illustratur hic locus multis aliis locis. Vid. Matth. XXVIII, 19. coll. Marc. XVI, 15. Matth. XXI, 43. XXIV, 14. coll. Marc. XIII, 10. coll. Ioann. IV, 21. XVI, 14. 15. Contra *Pauli* (in Commentar. pag. 512. sqq) sententiam, qui V. D. contendit, per *oves alias* intelligendos esse *Iudaeos extra Palaestinam viventes* (a qua opinione nec *Wolfius* in Curis ad h. l. alienus fuit,) docte disputavit *Ravius* in Diss. *de Iesu gentilium pastore* ad Ioann. X, 16. Erlang. 1807. 4. Refutarunt etiam illam coniecturam *Kuinölius* ad h. l. et *Lückius* T. II. p. 280. sqq. Lege et *Reinhardi* praeclarum librum *über den Plan, den*

der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf.

17. Διὰ τοῦτο — λάβω αὐτήν) *Hanc ob causam amat me Pater, quoniam vitam meam impendo* pro salute gregis sui, *ita tamen ut eam sim recepturus.* Ἵνα h. l. non indicat consilium, sed eventum, *ita tamen ut.* Rom. XI, 31. Luc. IX, 45. Ergo Christus, quum moreretur, patrem non habuit *iratum.* Recte Bengelius: Amor patris non modo erga nos, sed etiam erga Christum, in passione Christi spectandus est, non solum severitas ultrix. ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν) *Ita tamen, ut eam rursus accepturus sim.* Sequuntur verba ἐξουσίαν ἔχω λαβεῖν. Praepos. ἵνα referenda est ad verbum ἀγαπᾷ, hoc sensu: Quod *ex amore erga Patrem* vitam meam impendo pro hominum salute, causa est, cur *tantus* quoque *Patris amor est erga me, ut* recuperandae vitae potestatem mihi concesserit. Nisi Christus vitam suam, quam pro salute gregis profuderat, mox recuperasset, totum eius consilium irritum fuisset. Eo enim tempore, quo ultimum supplicium passus est, vix prima fundamenta religionis tradendae et propagandae iacta erant. Ipsi adeo discipuli eo tempore erant tirones, nec satis apti docendo Evangelio, post eius resurrectionem demum plenius edocendi, a variis praeiudiciis liberandi, et in veritate confirmandi.

18. Οὐδεὶς αἴρει αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ) Nemo posset auferre a me invito; scio et consentio ipse. ἀπ' ἐμαυτοῦ) *Mea sponte.* Nam sua sponte Iesus hostibus capiendum se permisit. ἐξουσίαν — λαβεῖν αὐτήν) *Ut vitam sponte depono, ita eam sponte recupero.* Nemo,

ne

ne pater quidem me cogit, ut moriar pro grege. Sponte in me suscepi ut vitam deponam. Sed idem ego etiam sponte mea in vitam redibo. At vero ne hoc effatum ita intelligeretur, quasi dixisset Christus, se ex sua potentia et sine Patris interventu vitam esse recuperaturum, addita sunt verba quae sequuntur: ταύτην — πατρός μου) *Hoc a patre meo in mandatis accepi*, ut nempe morerer et resurgerem; demandavit mihi Pater hanc provinciam, hoc negotium exsequendum. Ἐντολὴ hic latiori significatu accipiendum est de mandato, *Auftrag*, sive *Vollmacht*, quod multum differt a strictiori iussu. Notandus est hic locus adversus blasphemas eorum calumnias, qui Deum iniuste egisse clamant, quod filium innocentem morti tradiderit. Quicquid Christus passus est et fecit, id omne sponte in se suscepit, ex amore erga Patrem et genus humanum. Pater, inquit Iesus, amat me, quia sponte haec facio et patior; et ego haec ita facio et patior, ut doceam me esse plenum amore erga patrem.

19. Σχίσμα) *Dissidium*, dissensio inter *Iudaeos*, i. e. Iudaeorum proceres, orta est iterum de sensu horum dictorum, et quid de Iesu sit statuendum.

21. Ῥήματα) Sermones et opera, דְּבָרִים. Quanquam non satis intelligebant sermonem Christi, perspiciebant tamen, non esse verba insanientis. δαιμόνιον, i. e. δαιμονιζόμενος. Recte dici poterat ex opinione gentis, daemonium agere, quae homo furens agebat; ut alibi etiam describitur daemonium *mutum, surdum*, pro homine ipso.

22. Ἐγένετο — χειμὼν ἦν) *Celebrabantur vero Hierosolymis encaenia, quae in hyemem incidunt.*

Ἐγκαίνια, a verbo ἐγκαινίζειν, *innovare*, sunt solemnia inaugurationis. Quum hoc festum tempore hyemali celebraretur, neque cogitari potest de festo annuo in memoriam templi a Salomone aedificati celebrando (quod incidebat in mensem *Ethanim*, s. Septembris et Octobris partem, vid. 1. Reg. VIII, 2), neque de secundi templi inauguratione per Nehemiam (quae tempore vernali facta est, vid. Esra VI, 15.); sed festum, quod h. l. attingitur, celebrabatur in memoriam templi ab *Antiochi Epiphanis* sordibus purgati, a Iuda Maccabaeo primo institutum. Per octo dies celebrabatur inde a die XXV. mensis *Cisleu* (1 Macc. IV, 56. 59. 2 Macc. X, 5. 8.), qui magnam partem Decembris occupat. Dies vero XXV. mensis Cisleu non quovis anno respondet certo Decembris diei, quia Hebraei annos numerant lunares. Hebraice hoc festum חֲנֻכָּה dicitur, et accensio lucernarum. *Schabb. Tradunt Rabbini: A die XXV. mensis Cisleu sunt VIII. dies encaeniorum, in quibus nec lugendum est, nec ieiunandum. Nam quum Graeci invasissent templum, polluerunt universum, quod in templo erat, oleum. At quum praevaluisset rex Asmonaeorum, atque eos devicisset, quaesiverunt, sed non invenerunt nisi unam olei phialam. — Factum est miraculum. Nam accenderunt de ea in dies octo. Anno ergo sequente instituerunt dies festos.* Iosephus etiam φῶτα, *lumina* vocat (Antiquitt. L. XII, 7.), quia noctu per totos hos octo dies lucernae in domibus in signum laetitiae accendebantur. Eadem sacra dicebantur etiam αἱ ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου, 1 Macc. IV, 59. et καθαρισμὸς τοῦ ἱεροῦ, 2 Macc. I, 18. χειμὼν ἦν) Alii hyemale tempus, ut distinguatur a vere

vere et autumno, intelligunt; alii vero putant designari tempestatem inclementem, coll. Matth. XVI, 3. Actor. XXVII, 20. Videtur nempe reddi ratio, cur in porticu Iesus ista locutus fuerit. Utrumque verum est; nam tempore hyemali in Oriente frequentes imbres de coelo decidunt. Ceterum festum Encaeniorum non tantum Hierosolymis celebrabatur, sed ubivis per totam terram Iudaicam.

23. Ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Σολομῶντος) Porticus Salomonis erat circa extremitatem atrii paganorum orientem versus; quare a Iosepho dicitur στοὰ ἀνατολική. Aedificata erat in valli profunda, et inserviebat, ut adversus aëris inclementiam possent subintrare. *Iosephus* de B. I. Lib. V, 5, 1. hoc habet de ista porticu: Templum supra arduum collis iugum conditum erat: cumque aedificari coeptum esset, vix templo et arae sufficiebat planities in illius vertice; nam undique praeceps erat atque declivis. Quum vero rex Salomon, qui ipse etiam templum exstruxit, partem ad ortum vergentem muro cinxisset, supra aggerem eum porticus collocata fuit, et ex aliis partibus nudum manebat templum. Progressu autem temporis, quum semper aliquid aggeris populus accumularet, coaequatus collis latior effectus est. Quin et muro ad septentrionem perrupto, tantum assumpsere spatii, quantum postea totius templi ambitus includebat. — Illud ἔργον Σολομῶνος in devastatione templi Babylonica illaesum mansit. Agrippa rex, quamvis rogatus a populo, induci non potuit, ut hoc opus pervetustum demoliretur, et de novo instauraret. Cf. *Ioseph. Antiqq.* XX, 9, 7. „Rex enim cum secum reputasset, facile esse

vel

vel quodcunque opus demoliri, instaurationem vero rem arduam fore, illorum quidem petitioni minime concessit: urbem vero candido lapide sterni non prohibuit." Nam „erat porticus exterioris templi, profundae valli imminens (κειμένη δὲ ἐν φάραγγι βαθείᾳ), proinde subnixa muris quadringentorum cubitorum, et saxis quadratis constructa valde candidis. Longitudo quidem cuiusque saxi erat cubitorum viginti, altitudo vero sex." Plura loca de porticibus templi Wetstenius laudat, e. g Antiqq. VIII, 3, 9. IX, 11, 2. XX, 9, 7. De B. I. VI, 5, 2.

24. Hyeme densior erat multitudo in porticu: quam occasionem captant Iesu *inimici* Tales enim fuisse qui h. l. Iesum circumdedisse dicuntur, eosque simulasse tantum, se cupiditate flagrare, ipsum Messiam agnoscendi, ex ipsa Christi responsione comm. 25. cognoscitur. Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις;) *Quamdiu animos nostros suspensos tenes*, sive, quod eodem recidit, quamdiu spem de Messia, saluteque per eum nobis paranda obscuris sermonibus dubiam reddis; sive quousque nos *exspectatione suspendis* (ut loquitur Plinius Epist. II, 20), et relinquis nos in desiderio sciendi, utrum sis Christus, an non? Αἴρειν nempe hic est μετέωρον ποιεῖν, μετεωρίζειν (Luc. XII, 29.), *dubium suspensumque tenere aliquem. Philostrat.* II, 4. καὶ μὲ πάνυ αἴρει ὁ λόγος ὃν εἴρηκεν. Vid. et *Sophocl. Oedip. Tyrann.* v. 914. Alii explicant per *ludificare*, *decipere*, *verbis et oratione spem alicuius alere*, ut hebr. נָשָׂא, quod saepius in LXX. ἀπατᾶν et ἐπαίρειν vertitur. Ies. XXXVI, 14. Pro hac sententia stat Nonni paraphrasis: Ἡμείων τεο μέχρις ὑποκλέπτεις φρένα μύθοις *Elsnerus* interpretatur: *quamdiu nos enecas?* sensu tropico, ut sit *excru-*

cruciare, scil. diu morando; quia αἴρειν τὴν ψυχήν v. 18. est *eripere animum*. Quae tamen contorta videtur esse interpretatio. Παῤῥησίᾳ, *aperte*, verbis non obscuris.

25. Εἶπον ὑμῖν) Diserte quidem et totidem verbis non dixerat Servator, se esse Messiam, sed aliquo modo idem dixerat, quum verum illum Pastorem, quem Prophetae exspectare iusserint, se esse profiteretur, ut facile ista Iudaei intelligere potuissent; et cf. loca V, 19. VIII, 36. 56. Καὶ οὐ πιστεύετε, sed fidem mihi habere nolitis. Noverat Iesus quaestionem istam ex subdolo profectum fuisse animo. Τὰ ἔργα — περὶ ἐμοῦ) *Opera, quae ego auctoritate Patris facio, hoc ipsum satis confirmant*, nempe me esse Messiam. Cf. V, 36. VII, 31. Τὰ ἔργα, de quibus Christus hic loquitur, vide per species suas enumerata Matth. XI, 5. Pompeius apud Sallustium Hist. II. ad Romanum Senatum: *Quid praelia enumerem — quando res plus valent quam verba?*

26. Οὐ πιστεύετε) Sc. me esse Messiam. οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν) *Quia non estis e numero eorum, qui me, sicut oves pastorem, audiunt.* Quare codices nonnulli habent ὅτι οὐκ, pro οὐ γάρ, consentientibus Versionibus et Patribus non paucis. Significat certe γάρ h. l. *quia*. Etenim Christus ostendere vult, cur ipsi non credant. Videntur haec verba cum emphasi dicta, ut sensus sit: non creditis mihi, et eo ipso ostenditis, vos non esse pios ac dociles, quales apti sunt, ut sint sectatores mei. Cuius rei non sum ego causa, sed vester animus insincerus, minimeque simplex. Verba καθὼς εἶπον ὑμῖν ex inter-

pre-

pretamento addita esse videntur. Nam in iis, quae praecedunt, Iesus nondum dixerat, Iudaeos non esse in ovium suarum numero.

27. Τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούει) Qui ad gregem meum pertinent, meam quasi vocem agnoscunt, verbisque meis obsequuntur. κἀγὼ γινώσκω αὐτά) *et ego cognosco eas.* Possunt haec verba eodem sensu accipi, ut comm. 14. Possunt vero etiam referri ad eos, qui quaestionem illam protulerunt, comm. 24. Quasi dicat: Nisi, quod nunc ostenditis, Messiam cognoscendi desiderium simulatum esset, iam antea mihi fidem habuissetis. *Bene novi eos, qui animo sincero ad me audiendum parati sunt*, sed in eorum numero vos non invenio; equidem scio indolem vestram, qualis sit. ἀκολουθοῦσί μοι) Qui animo integro et sincero me meamque dignitatem divinam cognoscere cupiant, eiusmodi homines me, pastorem suum praeeuntem, sequuntur; et quidem semper; non interrumpunt istud obsequium, quod mihi semel addixerunt.

28. Καὶ οὐ μὴ ἀπώλονται) *Non peribunt.* Medium. Vitabunt exitium, quod imminet omnibus rebellantibus adversus Dei filium, licet vos soleatis gentes ceteras addicere aeternis suppliciis. καὶ οὐχ ἁρπάσει τις αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου. Futuro includitur Verbum auxiliare δύναται, *potest.* χείρ, ut hebr. יָד, *potestas, tutela. Nemo eas curae meae potest subducere.* Possum procurare salutem eorum, qui in me credunt, mihique obediunt; nec poterit quisquam impedire, quo minus iis praestem eam quam ipsis promisi felicitatem. Cf. Rom. VIII, 38. 39. Eadem vis subest

subest huic sententiae ac illis: *Mihi data est omnis potestas in coelo et in terra.*

29. Ὃς δέδωκέ μοι) Sc. αὐτά. *Qui mihi eas oves tradidit*, i. e. dare decrevit, *tradet*, vel: demandavit mihi hanc provinciam, et misit me tanquam Salvatorem omnium hominum μείζων πάντων ἐστί) *Potentior, superior* est omnibus illis, qui saluti ovium mearum obsunt. Validior est pater ad servandum, quam alii omnes ad eripiendum. Qui mihi fidem habent, iidem sunt Patris sectatores, quare potentia sua eos tuetur. Itaque nec vos poteritis impedire id, quod ille hominum causa decrevit. Pro ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί in nonnullis libris legitur: ὃ δέδωκέ μοι, μεῖζον πάντων ἐστί, *ei, quem mihi tradidit pater, nulla vis nocere potest.* Sed vulgaris lectio et sensu et auctoritate praepollet. καὶ οὐδεὶς — μου) *Itaque* nulla potestas impediet Dei consilium, quod per me exsequitur.

30. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν) *Ego et Pater arctissime sumus coniuncti.* Ἕν εἶναι apud nostrum significat: arctissime cum aliquo coniunctum esse. Hoc ἕν εἶναι non intelligendum est de *essentia* Iesu divina, aut de *substantia* in divino numine inclusa. At vero ii quoque Interpretes sensum non attigisse videntur, qui sermonem esse arbitrantur de solo consensu *voluntatis, consiliorum* et *studiorum* Dei et Christi. Cogitandum potius est de *communi* Patris et Filii *potentia*, ut sensus sit: *una eademque mea et patris est potentia; quod ille potest, et ego facere possum.* Saepius iam Christus affirmaverat, *a Patre sibi datum esse*, ut *opera eius* posset efficere. Cf.

c.

c. V, 19—23. 26. 27. VI, 38—40. Veram hanc esse comm. 30. interpretationem e contextu apparet: Primum enim Iesus affirmaverat, sibi non eripi posse, quoscunque Pater ei tradiderit; idem deinde praedicaverat de Patre, et causam adiecerat, quod Pater esset omnibus potentior: quodsi ergo nunc statuit, se cum Patre esse coniunctissimum, sequitur, sermonem instituide communi potentia. Sensus: Si Patris potestati eripi non poterunt, nec meae poterunt: nam mea potestas a Patre emanat, et quidem ita ut tantundem valeat *a me*, aut *a Patre custodiri*. Consentit cum hac interpretatione *Lückius* ad h. l. T. II. p. 289. sq. Iudaei haec verba eo sensu acceperunt, quasi Iesus se ipsum profiteretur Deum, eiusdem cum Patre naturae v. 33. Utrum autem vere hoc sensu ista intellexerint verba Iesu, an vero maligno animo, cavillandi causa ita sint interpretati, dubitatur. Cf. supra V, 18. Quo sensu Iesus se Deum et Dei filium professus fuerit, patet etiam ex ipsius verbis v. 34—36.

31. Ἐβάστασαν) *Sustulerunt* lapides; pro ἦραν, quod genus loquendi a linguae purioris usu non abhorret. Antigonus (apud Stobaeum) ad nescio quam mulierculam, de Diademate suo: *Si scires quot periculis, imo aerumnis expositum sit,* οὐκ ἂν ἐπὶ κοπρίας κείμενον αὐτὸ ἐβάστασας.

32. Πολλὰ καλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν ἐκ τοῦ πατρός μου) *Multa beneficia in vos contuli ex benignitate patris mei.* Καλὰ ἔργα sunt *beneficia* sensu latiori, ut non tantum de miraculis cogitetur. Quaecunque facta sunt *eximia, honesta, salutaria, utilia*, ea dicuntur καλά. Vid. Lexx. *Wahlii* et *Bretschneideri*

deri sub h. voc. Καλὰ ἔργα δεικνύειν, *edere*, aut *facere pulcra facinora*, ut Latini dicunt. *Herodian.* II, 4. 10. ἐπιδειξαμένου τε ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πολλὰ σώφρονα καὶ χρηστὰ ἔργα Ἐκ τοῦ πατρός μου) *patre meo auctore*, eius iussu, nomine. διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον) *Ob quodnam illorum?* Quodnam est illud beneficium, quod vos dignum arbitramini lapidatione? Si lapidatur beneficus, quid fiet sceleratis et maleficis? Λιθάζετέ με, *me lapidibus obruere vultis*, lapidare in proposito habetis. Nondum enim lapides in Iesum coniecerant. Sunt, qui putent, haec ipsa verba Christi tantam vim habuisse in Iudaeorum animos, ut a proposito desisterent.

33. Περὶ — βλασφημίας) *Non propter beneficium, sed propter voces in Deum contumeliosas te lapidabimus.* Q. d.: An bonum aliquod opus feceris, iam non quaerimus: sed haec non est causa cur tibi male velimus. Περὶ, i. e. διὰ, *propter.* Βλασφημίαν) Non tantum maledicta in Deum hoc nomine veniunt, sed etiam quicquid Dei honorem minuere videtur, si quis sibi tribuit, quod Dei est. Vid. Matth. IX, 3. XXVI, 64. 65. Καὶ ὅτι — θεὸν) *Scilicet quod tu, quum homo sis, Deum te facias.* Καὶ ὅτι, *scilicet quod.* Deum se facere dicitur is, qui magnam, et paene divinam potentiam sibi tribuit. Eodem sensu legitur ἴσος τῷ θεῷ, c. V, 18. Ποιεῖν σεαυτὸν, *se ipsum iactare, venditare.*

34. Ἐν τῷ νόμῳ) Latius, ut saepe, nomen νόμος, pro libris sacris Iudaeorum hebraicis hic sumitur (ut XII, 34. XV, 25. 1 Cor. XIV, 21.); extat enim locus Ps. LXXXII, 6. (coll. Exod. VII, 1.), ubi iudices et ma-

magistratus vocantur אלהים, et *filii altissimi.* Vocantur autem magistratus *Dii*, quia imaginem divinae maiestatis in his terris gerunt, quod praecipue locum habebat in vetere republica theocratica, in qua initio Deus ipse fuit Rex; sed et sub Regibus ipse sibi servavit summum imperium. Cf. etiam Exod. IV, 16. Etiam apud alias gentes, e. c. apud Aegyptios, reges *deorum* nomine ornari solebant. Cf. *Diod. Sic.* I, 90. ἐγὼ) *Ego,* Deus, nam ex εἶπα primae personae infertur illud: *ad quos Dei sermo factus est* Cf. etiam ad h. l. *das alte und neue Morgenland*, T. V. p. 253. sq.

35. Εἰ ἐκείνους — ἐγένετο) *Si* (Deus) *illos appellavit Deos, quos ibi allocutus est,* ad quos ille sermo Dei pertinet, nempe magistratus. Angeli etiam dicuntur *Elohim,* quia partem divinae potestatis in res alias exserunt. Alii πρὸς interpretantur *contra*, ut sit sensus: *adversus quos dirigebatur Prophetae, nomine Dei loquentis, sermo.* Nam illo loco Ps. LXXXII, 6. *comminatio* adversus iniustos magistratus pronunciata est. Ea vero quae adversus aliquem dicuntur προς τινα dici, Graecosque ita loqui ignorare nemo potest, qui orationes πρὸς Ἁρμόδιον, πρὸς τὸν δεῖνα, ἢ τὸν δεῖνα dici sciunt, quae adversus aliquem habentur. Sed necesse non est, ut πρὸς vertamus: *contra.* Recte enim Interpretes monent, verba Psalmi non eatenus laudari, quatenus contra magistratus directa sint, quam potius quatenus Θεοὶ nuncupentur. καὶ οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή) *Et non potest irrita reddi scriptura*, s. necesse est, scripturae suam constare veritatem. Scriptura *solvi* ab hominibus potest, quum non faciunt, quae sunt praecepta: sed solvi potest etiam iudicando, verbis, quum dicta repudiant, et erro-

errorem in iis esse putant: γραφὴν λύειν igitur est: *scripturam auctoritate sua privare.*

36. Ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε — εἰμι) μετάθεσις ἀνακόλουθος, ut sit sensus: *Me ne dicetis blasphemare, qui filium Dei me esse perhibui? me, quem Deus ipse ad obeundum munus consecratum in hunc mundum ablegavit?* Est autem ὃν pro ἐκεῖνον ὅν. Pater Christum ἡγίασε, i. e. consecravit, destinavit muneri suo. Nam in genere ἁγιάζειν, sicut hebr. קִדֵּשׁ, denotat: *Aliquid in eximium usum deligere, a communi et profano usu secernere* (sic legitur Ies. XIII, 3. de Medis a Deo ad excidium Babylonis destinatis); deinde vero etiam *muneri alicui consecrare*, ut Exod. XXIX, 1. XXXIX, 44. XL, 3. Num. III, 13. Ierem. I, 5. Paulus illud verbum vertit: ἀφορίζειν, Gal. I, 15. Christus igitur propterea appellat se eum, ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε, quod esset *legatus Dei.* Messias autem κατ' ἐξοχὴν dicebatur ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, *Deo consecratus,* Marc. I, 24. Luc. IV, 34. (Christianos universe in N. T. ἁγίους vocari constat.) In marmoribus latinis eodem sensu verbum *sacrare* legitur de sacerdotibus Diis consecratis ad officium suum obeundum. Cf. *Münterum* l. l. p. 18. Argumentatur Christus a minori ad maius: Si magistratus, quibus Deus demandavit aliquam provinciam, suo nomine gerendam, *Dii* vocati sunt, non ferendum videtur, si ego, Messias, omnium Regum maximus, omnibus magistratibus superior, cui omnis potestas in coelis et in terris tradita est, me dixero filium Dei et Deum? Se esse Deum, eiusdem cum Patre naturae et essentiae, Christus in hac sua apologia adversus cavillatores suos nec affirmat nec negat; hoc tantum dicit, nomen Dei et filii

Dei

Dei sibi maiori iure competere quam illis magistratibus, de quibus in Psalmo et alibi est sermo. Ex hoc igitur loco decretum Synodi Nicaenae nec confirmari, nec refutari potest.

37. Εἰ οὐ ποιῶ τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου) Si non facio ea ipsa divina opera, quae pater meus facit; si quae facio, non habent divinae virtutis specimen. μὴ πιστεύετέ μοι) *Nolite credere mihi*, dicenti, me esse filium Dei, mihique cum illo per omnia convenire.

38. Εἰ δὲ ποιῶ) Sc. τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου. κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε) Etiam verbis meis credere non vultis. Τοῖς ἔργοις — ἐν αὐτῷ) *Certe his factis credite, ut intelligatis* (vobisque persuadeatis) *Patrem et me esse coniunctissimos*, a Patre demandatam esse mihi hanc meam provinciam, et me ipsius auctoritate haec talia agere atque perficere. Apologiae huius summa adversus invidiosam criminationem Iudaeorum haec est: Se minime dixisse, se esse summum illum Deum, sed tantum *Dei filium*, v. 36. Deinde non esse cur succenserent, etsi Deitatem aliquam sibi videretur arrogare; nam magistratus etiam et legatos Dei in ipsis Iudaeorum sacris libris nominari Deos, v. 34. Denique explicat v. 37. 38. quo sensu dixisset se unum esse cum Patre; nimirum quod vere divina opera patraret, per omnia cum Patre consentiret, et verba eius traderet.

39. Quia blasphemiae calumniam ita solverat, ut ne species quidem restaret, lapidationem tanquam in blasphemum omittunt et dant operam ut eum comprehendant. Ἐζήτουν — πιάσαι) *Prehendere eum studebant;* ut nempe captum Synedrio traderent, aliud aliquod crimen reperturo. Καὶ — αὐτῶν) Ille vero evasit *manibus eorum*. Cum forte plures sectatorum

Iesu

Iesu accederent, eum comprehendere non audebant. Abibat Dominus, sed manebat in vicinia Hierosolymorum.

40. Καὶ ἀπῆλθε — ἔμεινεν ἐκεῖ) *Abiitque rursus trans Iordanem, in locum, ubi Ioannes baptizaverat prius, ibique aliquamdiu commoratus est.* Duo loci supra commemorati sunt, ubi Ioannes baptizavit; unus c. I, 28. (ubi vid. not) Bethania, alter cap. III, 23. Aenon. Hic igitur ad Bethaniam respicitur. Fortassis concessit in illum locum, ut populo revocaret in memoriam testimonium Ioannis ibidem perhibitum; fortassis etiam, quod ista regio subesset imperio Herodis tetrarchae, ubi tutus erat ab insidiis Synedrii.

41. Πάντα — ἀληθῆ ἦν) Res ipsa declarat, verum fuisse testimonium illius, quum plura praestet Iesus, quam ille de eo sit pollicitus.

42. Ἐπίστευσαν πολλοὶ ἐκεῖ εἰς αὐτὸν) Multi ibi crediderunt eum esse Messiam; partim ob testimonium Ioannis; partim ob sermones sapientiae plenos; partim ob facta divinam virtutem testantia.

CAP. XI.

Sequitur hoc Cap. narratio de Lazaro a Iesu in vitam revocato. Simplicissime omnia et singula narrantur, et sine cupiditate quadam referuntur. Sic comparata est haec narratio, ut, sive eius formam sive argumentum spectes, dubitari vix possit a quoquam, quin Ioannes persuasum sibi habuerit, et lectoribus etiam persuadere voluerit de miraculo evidentissimo, quod Iesus eum in finem patraverit, ut se Messiam esse appareret.

pareret. Mirandum igitur, Interpretes quosdam verba in aliam detorsisse sententiam. Fuere tamen et sunt, quibus Ioannes non recte iudicasse visus sit. Lazarum non vere mortuum, sed sopore alto, seu animi deliquio obrutum fuisse opinantur, eumque rebus quibusdam naturalibus intercedentibus revixisse statuunt. Sic inprimis iudicarunt in nostratibus *Paulus* in Commentario ad h. l. et *Gablerus* in *Journal für auserlesene theol. Litt.* T. III. p. 235. sqq. Qui VV. DD. negant etiam, Dominum Lazari in vitae reditum praevidisse et praedixisse. At vero narrationis Ioanneae veritatem ingeniose defenderunt *Heubnerus miraculorum ab Evangelistis narratorum interpretat. grammat. histor.* Viteb. 1807. p. 31. sqq. *Schulthessius die Gewifsheit der Schrifterklärung erprobt an der Erzählung von der Wiederbeleb d. Laz.* Zürich 1808. p. 127. sqq. *Schottus* in Commentat. *de consilio quo Iesus miracula ediderit.* P. II. 1810. p. 24. sqq. alii. Interpretum et veterum et recentiorum, qui aut impugnarunt aut defenderunt illam narrationem, sententias accuratissime collegit et examinavit *Kuinölius*, qui et ipse rei narratae veritatem tueri studuit. Adde, qui etiam pro miraculi veritate scripsit, *Lückium* T. II. p. 312. sqq. Nos deinceps in ipsa interpretatione breviter, uti fert nostri instituti ratio, quaedam attingamus. Offendit etiam nonnullos, quod solus Ioannes narrationem illam retulerit, tacentibus reliquis Evangelistis, qui nihil de Lazaro redivivo commemorant. Quod qui factum sit, vario modo Interpretes explicare voluerunt. Et quidem alii Matthaeum, Marcum et Lucam res potissimum in Galilaea a Iesu gestas persecutos esse, plura autem Domino, auctore Ioanne,

Ioanne, in Iudaea et Hierosolymis peracta praetermisisse arbitrantur; monuerunt alii, eo tempore quo Matth., Marc. et Luc. scriberent, adhuc vixisse Lazarum: praeteriisse ergo Evangelistas hoc insigne Christi factum, ne Lazaro eiusque familiae negotium facesserent. Sed haec valde sunt incerta. Minime vero iis adstipulari possumus, qui rem sibi explicuisse visi sunt, si statuerent, trium priorum Evangeliorum scriptores omnino illud miraculum Christi ignorasse. Quod ne tum quidem largiri possumus, si priora Evangelia non a capite ad calcem ab iis viris, quorum nomina referunt, conscripta, sed sensim sensimque e variis traditionibus exorta esse concedamus. Mihi persuadere malim, Evangelistas illos Lazari resuscitationem eam ob causam non commemorasse, quod lectorum suorum nulli non innotuisse putarent facinus illud praeclarum, quo maius in Codice sacro non legitur. Ioannes in Evangelio suo non attigit Iairi filiae et adolescentis Nainitici resuscitationem; quisnam autem probare poterit, illa Christi miracula Ioanni non fuisse nota? Ex nostra sententia vera illius silentii causa vix et ne vix quidem definiri potest. Neque etiam id necesse ducimus. Hoc vero pro certo habetur, Evangelistas varium habuisse eorum miraculorum delectum, quae laudarent, quo certius de divina Christi potestate constaret. Iam vero qua causa urgente Ioannes narrationem de Lazaro redivivo historiae suae intexuerit, neque omnino eam potuerit praetermittere, facile intelligitur. Etenim Ioanni in proposito fuit, ultima Iesu fata copiosius et accuratius exponere; quare eum oportebat afferre historiam Lazari redivivi cum historia calamitatum mortisque Christi arcte cohaerentem. Vid. c. XI, 46—57.

XII, 1. 9—19. Nam tum demum, quum Lazarus in vitam revocatus esset, Synedrii assessores firmissime inter se constituebant, Iesum e medio esse tollendum.

1. Ἦν δέ τις ἀσθενῶν — ἀδελφῆς αὐτῆς.) *Aegrotabat autem quidam Lazarus, oriundus Bethania, ex vico, in quo Maria cum Martha, sorore sua, habitabat.* Ἀσθενεῖν etiam de graviter aegrotantibus dicitur, ut Matth. X, 8. Luc. IV, 40. Lazarus, hebraice Elieser, Eleazar dictus. Vid. Luc. XVI, 20. Fabulosa sunt, quae a Veteribus de eo narrantur; e. c. factum esse postea episcopum in insula Cypro, aut, quod alii volunt, Massiliensium. ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας) Aliqui suspicati sunt, fuisse istum vicum possessionem Marthae et Mariae. Sed uniuscuiusque is locus dici solet, qui ipsius patria est, vel ubi aliquis habet domicilium, ut recte accipi possit, fuisse familiam istam incolam Bethaniae. Erat autem Bethania vicus ad montem olivarum situs, XV. stadiis ab Hierosolymis remotus v. 18.

2. Ἦν δὲ — θριξὶν αὐτῆς) *Erat autem ea Maria, quae* (postea) *dominum unguento unxit, eiusque pedes capillis suis abstersit.* Ἡ ἀλείψασα) Non quod hoc ante Lazari morbum esset gestum, sed quod gestum hoc esset et notum omnibus, cum haec scriberentur. Per Prolepsin igitur h. l. commemorat illam unctionem, vid. c XII, 3. sqq. Non videtur fuisse peccatrix, de qua historia extat Luc. VII. Vid. *Deylingii* observatt. Part. III, 31. Ioannes post factum scripsit. Huius Mariae facta est mentio etiam Luc. X, 38. sq.

3. Ἀπέστειλαν οὖν αἱ ἀδελφαὶ πρὸς αὐτὸν, λέγουσαι) scil. per nuntium i. e. miserunt nuntium, qui diceret,

ceret, sive, qui nuntiaret verbis ipsarum. Ut apud Herodotum *κλείοι*: *πέμπουσα κήρυκα παρὰ Κῦρον ἔλεγε τάδε*: *Mittit praeconem* (Tomyris) *ad Cyrum, qui suis verbis ista nuntiet.* *ἀσθενεῖ*) Consequens: *ergo subveni*, eleganter reticent.

4. *Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν*) scil. nuntio, ut hoc responsi loco referret. *αὕτη — πρὸς θάνατον*) *Is morbus non erit letalis.* Non, ut illae metuunt, frater letaliter decumbens ipsis morte eripietur in perpetuum. Quomodo autem Lazarus morti eripiendus sit, reticet adhuc Dominus, ut adeo in dubio manerent istae sorores, emicante tamen spe et fiducia. Solet Iesus saepe eiusmodi responsa dare, in quibus ambiguitas quaedam sit, quo vim et efficaciam fiduciae in ipso collocandae tentaret et exploraret. — Qui miraculum h. l. tradi negant, ii verba *αὕτη — θάνατον* sensu proprio vertunt: *morbus non est letalis*, i. e. Lazarus diem non obiturus est. Contendunt igitur, Iesum neque Lazari mortem, neque eius resuscitationem praevidisse; porro statuunt, Dominum postea, per alium nuntium de Lazari morte certiorem factum, suspicionem *syncopes*, in quam aegrotus inciderit, cepisse, et spem aliquam medelae adhuc afferendae habuisse: atque adeo Ioannem verba *ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης κ. τ. λ.* de suo adiecisse suspicantur. Quae tamen omnia aliaque multo minus probabilia ex mera coniectura dicta sunt. Quare *Kuinöl ius* (in Commentar. p. 510. sqq) recte ea refutavit. Voc. *θάνατος* sumi h. l. de *permansione* in morte, totus contextus, si eum diligenter perlegeris, non admittit tantum sed potius flagitat. *ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ θεοῦ*) *Sed spectat ad Dei honorem.* Post *ἀλλὰ* subaudi: *commode*

evenit, ut inde illustretur Dei gloria. Et Dei quidem maiestas et potentia manifestabatur, quod morbum istum in salutem Lazari aliorumque plurium verteret Deus. Δόξα, *maiestas*, de omnibus Dei virtutibus dicitur, imprimis de potentia. Cf. etiam dicta ad c. IX, 3. ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ δι' αὐτῆς. *Ut filii Dei auctoritas hoc modo celebretur.* Δοξάζεται ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, i. e. celebratur eius potentia et auctoritas. Per hunc morbum gloria Filii illustrata est, quod divina vi instructus Lazarum in vitam restitueret; quo facto statim multi eum agnovere filium Dei, comm. 45. ceterique Iudaei statuerunt eum occidere, comm. 46. sqq. sic intraturum in gloriam.

5. Ἠγάπα δὲ — Λάζαρον) Consulto haec addidit Ioannes, ut intelligeretur, sorores non temere ad amorem Iesu erga Lazarum provocasse, et sua sponte Iesum paratum fuisse ad opem ipsi ferendum; simulque Ioannes innuere voluisse videtur, Dominum non nisi gravissimis de causis eo loco, quo tum versaretur, commoratum esse: eum nimirum iam certo cognitum habuisse, Lazarum ipsius beneficio vitae restitutum iri.

6. Ὡς οὖν ἤκουσεν) Etsi illa familiaritas videbatur postulare, ut statim accepto nuntio iter susciperet ad Lazarum iuvandum; mansit tamen ibidem adhuc biduum, exspectans copiosius argumentum edendi miraculi. Quare Christus substitit per duos dies, ut de morte Lazari minus dubitari posset. Quod cur Iesus voluerit, causam afferre possumus satis commodam. Iam enim eo fere ventum erat, ut ad exitum duceretur Domini vita, et instabat ὥρα, tempus (vid. not. ad. VII, 30. VIII, 20.) passionis a Patre electum. Maximum igitur, quod novimus, Christi miraculum opportunissimo

mo hoc tempore erat edendum, quo magis amicorum aeque ac inimicorum animi in eum converterentur.

7. Ἄγωμεν εἰς τὴν Ἰουδαίαν πάλιν) Ἄγειν, et ὑπάγειν, et προάγειν significant elliptice, *ire*, *reverti*, *procedere*, i. e. movere, reducere, promovere sese.

8. Νῦν ἐζήτουν) *Modo*, *paulo ante quaerebant*, et nunc quaerunt. Cap. X, 39. Partic. νῦν saepius usurpatur de tempore vix praeterlapso, e. c. XXI, 10. Monuerunt autem haec discipuli et audaciam Domini mirantes, et vitae periculum ipsis cum illo commune metuentes, v. 16.

9. Οὐχὶ — ἡμέρας;) Iudaei inde a temporibus exsilii Babylonici diem, i. e. tempus ortum inter et occasum solis, in quatuor distribuebant partes, quarum quaeque tribus horis erat absoluta. Quae tamen horae pro variis anni temporibus erant inaequales. Quamquam igitur in illis regionibus, quae non longe absunt ab aequatore, dies et noctes fere sunt aequales; horae tamen aestate paullulum longiores erant quam hyeme. Cf. *das alte und neue Morgenl.* T. V. p. 255. ἐάν τις — οὐ προσκόπτει) *Si quis interdiu ambulat*, *non offendit.* Uti debet quivis tempore diurno ad ambulandum et ad peragenda sua negotia. ὅτι — βλέπει) *Nam solem videt.* τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου hic non est Christus, sed de naturali solis luce sermo est. Dicit Iesus, superesse adhuc tempus, quo ἐργάζοιτο, neque venisse adhuc ὥραν mortis, quae νύξ dicitur.

10. Ἐὰν — αὐτῷ) *Quodsi quis noctu incedat, offendere facile potest, quia non fruitur illo lumine* (solis).

(solis). Sensus allegoriae est: Sicut ineptum est, quod faciendum est non facere tum, quum id fieri potest, sed differre in tempus ubi non potest fieri: ita et ego essem ineptus, si nunc (quamvis pericula mihi imminent) agere nollem, quum adhuc tempus sit agendi, et differrem negotia a me peragenda ad id tempus, ubi agere non potero. Iam sum in vivis; ergo debeo agere; paullo post mihi erit moriendum. Cf. supra cap. IX, 4. 5. Est autem tota haec sententia parabolica, et relinquitur collationis applicatio audienti aut legenti. Tale est: *Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.* Et: *In pertusum ingerimus dicta dolium.*

11. Κεκοίμηται) Obdormivit, i. e. *mortuus est.* Nam Hebraeis usitatum fuit, mortem κατ' εὐφημισμὸν *somni* molliore vocabulo indicare 1 Reg. II, 10. 1 Paral. XVII, 11. et saepius. Est autem soporis quies quasi imago mortis. Et *Horatius* somnum mortis appellat, *perpetuum soporem:* alii Poetae etiam noctem vocant, ex quo illud: *Nox est omnibus una dormienda. Virg. Aen.* X, 745. 46. *Olli dura quies oculos et ferreus urget Somnus; in aeternum clauduntur lumina noctem.* Graeci quoque ab Homerica inde aetate mortis et somni comparationem amplexi sunt. Vid. Iliad. XVI, 672. ubi somnus mortis dicitur frater; quam imaginem pulcherrimum illud Callimachi Epigramma exprimit: Τῇδε Σάων ὁ Διώνυος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον Κοιμᾶται· θνῆσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς. Cf. *Münterum* (l. l. p. 18. sqq.), qui multis locis ex veterum scriptis collectis multisque et latinis et graecis inscriptionibus laudatis hunc locum illustravit. Hinc etiam cippi libitinarii et sepulcreta κοιμητήρια vocantur, seu

συνα-

εὐναστήρια (Lycophr. v. 583.), Latinis *quietoria;* quasi mors nostra dormitio quaedam sit, e qua simus novissimo die excitandi. Κοιμᾶσθαι autem, sive *dormire* vel *quiescere* Lazarum ait Christus, non quod non mortuum sciret, sed ut notum faceret, se eum tam facile a somno mortis propediem suscitaturum, ac si tacto latere eius e somno eum ad vigilandum excitaret. Ἐξυπνίζειν non tantum *e somno excitare*, sed etiam *e morte resuscitare* significat. Sic LXX. in loco Iob. XIV, 12. Non audiendi sunt, qui verba: πορεύομαι ἵνα ἐξυπνίσω αὐτὸν explicant: proficiscar Bethaniam *operam daturus*, *ut Laz., si fieri possit, in vitam redeat*, aut statuunt, Ioannem Christo ex eventu disertiora et clariora verba tribuisse, quam quibus ipse usus fuisset. Qui sic interpretantur, verba v. 14. Λάζαρος ἀπέθανε explicant: *renuntiatum est mihi de obitu Lazari.* At vero nemo non videt, quam contorta eiusmodi sit interpretatio, qua admissa verba non explicantur, sed prorsus mutantur, iisque ex arbitrio substruitur sensus, quem non referunt.

12. Σωθήσεται) *Servabitur*, sc. ex morbo isto, *convalescet.* Utuntur experientia communi, ex qua somnus aegrotantium haberi solet rediturae sanitatis indicium. *Menander:* ὕπνος δὲ πάσις ἐστιν ὑγίεια νόσου. Discipuli verba Christi non intellexerunt, quamquam Hebraeis satis usitata esset phrasis *dormire*, pro *mortem obire.* Nempe verba v. 4. αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον sensu proprio acceperant; neque ea Iesus pluribus verbis hucusque explicare voluerat. Vid. not. ad v. 4.

13. Περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου) De obdormitione

tione somni, de naturali somno. Est etiam alia obdormitio, dormitio mortis, τοῦ θανάτου, quae est ipsa mors.

15. Χαίρω δι' ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ) *Gaudeo vestra causa, quod illic non affuerim, ut confirmetur fides vestra.* Per traiectionem posita sunt verba quorum ordo fuisset: χαίρω δι' ὑμᾶς, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, ἵνα πιστεύσητε ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέστειλε. Huic affinis est Theophylacti sententia, qui ad illud: ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, addit αἰτιολογίαν: τότε γὰρ ἂν ἐθεράπευσα. Si affuissem, amicitiae et misericordiae sensu tactus liberassem illum morbo, restituendo sanitati, ne mortem obiret, atque ita non fuisset occasio data tanto miraculo. Laetor ergo fidei vestrae ita augendae causa. πιστεύειν non simpliciter est *fidem habere*, sed *certius* Iesum pro Messia habere. *Euthymius* etiam verbis ἵνα πιστεύσετε subaudit πλέον. Alias de hoc loco sententias, parum tamen probabiles, vid. recensitas in *Kuinölii* Commentar. p. 515.

16. Δίδυμος) *Geminus, gemellus.* Sic nomen hebraicum תְּאוֹם graece exprimitur. Iudaei enim, aut in alias regiones profecturi, aut cum Graecis Romanisve versaturi cum iisque negotiaturi, nomina sua Hebraea in alia aut aequalia aut consimilia mutare solebant. Sic voc. *Thomas* in dialecto Syriaca et voc. *Didymus* in Graeco sermone *geminum* sonat. Thomas sine dubio erat Iudaeus, et verisimile est, eum cum ceteris Apostolis e Galilaea fuisse oriundum. Piscatorem eum fuisse nonnulli e loco Ioann XXI, 2. 3. colligere voluerunt; quod tamen incertum est. ἄγομεν — μετ' αὐτοῦ) In passione Cypriani: *Quum duceretur,*

tur, populus fratrem plangens et eiulans, dicebat: Et nos cum eo decollemur. Apud Virgilium est: *Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum.* Voluit forsan Thomas dicere: Quum suscipere periculosum iter velit Iesus, (sciebant enim insidias ipsi fieri, ut patet ex comm. 8.) non est aequum a nobis eum deseri. Itaque proficiscamur et nos una cum ipso, atque adeo mortis periculum nos ne subterfugiamus. Quae est exclamatio viri fortis et sinceri amici. Alii quasi desperantis sententiam interpretantur, hoc sensu: Comitemur et nos eum, tanquam ad mortem haud dubiam proficiscentes. Αὐτοῦ non ad Lazarum, sed ad Christum referri nexus verborum flagitat. Alia συναποθνηκόντων exempla, quae in aliarum gentium historia occurrunt, laudata sunt in *dem alten und neuen Morgenl.* T V. p. 256. sq.

17. Εὗρεν — μνημείῳ) *Reperit eum iam quatriduum versantem in sepulcro.* Ἐλθὼν scil in agrum Bethaniensem; nondum enim ipsum vicum ingressus erat, coll v. 30. Verbum ἔχειν, de tempore usurpatum, significat *agere, transigere, versari*, vel simpliciter ponitur pro εἶναι. Constat, Iudaeos mortuos paucis horis post mortem elapsis reposuisse in monumentis. Lazarus igitur, quia τεταρταῖος iam erat (coll. v. 39.), prius mortuus esse videtur, quam Iesus, etiamsi accepto nuntio statim profectus esset, Bethaniam venire potuisset.

18. Ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε) *Intervallo quindecim stadiorum*, quod est quarta pars milliarii; namque sexaginta stadia conficiunt milliare germanicum. Bethania igitur iuxta Hierosolyma sita erat. Cf. *E. F. C. Rosenmülleri Bibl. Alterthumskunde,* T. II.

T. II, P. II. p. 274. Praepos. ἀπὸ praecedit intervallorum nomina etiam c. XXI, 8. et in scriptoribus Graecis. Cf. *Kypkium* ad h l.

19. Πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν) *Martham et Mariam* ex Graecismo exquisitiori, quo Praeposs. περὶ et ἀμφὶ inserviunt periphrasi, ita, ut formula οἱ περὶ τινα non personae alicuius comitatum, sed personam ipsam indicet. In quam rem *Münterus* inscriptiones quasdam laudat (p. 23.), et extant multa scriptorum loca, quae ad illustrandam illam loquendi rationem faciant Sic *Aristophanes* Vesp. 1293. οἱ περὶ Φρύνιχον. *Longinus* S. XII. οἱ περὶ ἀμμώνιον. *Aelian.* V. H. I, 16. ἔφη πρὸς τοὺς ἀμφὶ τὸν Κριτίαν καὶ Σίμμιαν. Alia permulta loca laudat *Wetstenius.* Et cf. *Wineri Grammat.* §. 12. No. 5. Sunt vero etiam, qui dubitent, an non hoc loco et ipsae sorores, et simul tota ipsarum familia significetur, ut Actor. XIII, 13. οἱ περὶ τὸν Παῦλον, *Paulus et qui cum eo erant.* Lectio ipsa nostro loco suspecta nonnullis videtur, quum Codex Cantabrig. D. verba τὰς περὶ plane omittat, aliique legant πρὸς τὴν Μάρθαν καὶ Μαρίαν. Vix tamen ideo lectio vulgo recepta incerta dici poterit, quum interpretationis causa illae lectiones ortae videantur. *Trillero* et *Wolfio* placebat haec verba ita accipere, ut intelligerentur *feminae quae ad Martham et Mariam consolandi causa venissent.* Sed sensus existeret frigidissimus vel plane nullus: *Iudaei in domum Marthae et Mariae venerunt, ut consolarentur feminas, quae convenerant Martham ac Mariam consolaturae.* ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς) *Ut eas consolarentur*, sorores nempe de fratre recens mortuo. Mos erat Iudaeis solari lugentes inter redeundum

dum a sepulcro, et domum reducere die sepulturae. Quod solandi officium per septem dies extendi solebat. Loca ex Rabbinorum scriptis affert *Lightfootus*.

20. Μαρία — ἐκαθέζετο) *Maria interea domi manente*, s. sedente. Lugentes enim solebant humi considere. Iob. II, 8. Ezech. VIII, 14. Manserat autem domi, sine dubio ideo, quod nollet Iudaeos relinquere solos, vel quoniam nondum audiverat Iesum venire. Martha contra more suo (Luc. X, 38 — 42.) rem familiae curans, huc illuc cursitabat. Itaque prius de adventu Iesu certior facta est.

22. Ἀλλὰ — ὁ Θεὸς) *Sed et nunc scio, te a Deo impetraturum, quaecunque ab eo petieris.* Simplicissimus horum verborum sensus est: *scio, te, si Deum rogaveris, vel mortuum fratrem vitae restituere posse.* Alii propter comm. 24. negant, Martham de resuscitatione fratris sui cogitasse, et verbis hunc substituunt sensum: Scio, Deum tibi esse daturum, quaecunque tu in commodum nostrum petieris; i. e. tu facile precibus ad Deum impetrare aliquid poteris, quod ad animos nostros tranquillandos pertineat. Sed hunc sensum a Marthae verbis esse alienum, sat evidenter docuerunt *Kuinölius* et *Lückius* ad h. l. Etenim Martha eiusmodi fuit indolis, ut non omni tempore satis sibi constaret, sed inter spem et metum fluctuaret. Quum Iesus Bethaniae advenisset et Martha eum vidisset, intima eius adventu laetitia perfusa, primo momento omnem dubitationem abiiciebat et a Domino fratrem suum in vitam revocari posse putabat. Cur autem mox v. 24. spes eius et fides sit imminuta, statim videbimus.

23.

23. Ἀναστήσεται) *Vitae restituetur.* Utitur verbo de futura mortuorum resurrectione apud Iudaeos solenni. Ambigue igitur loquitur Christus; non enim statim addit mentionem temporis, sed exercet fidem Marthae.

24. Οἶδα — ἡμέρᾳ) *Scio, eum in vitam redituram esse illo extremo tempore, quo mortui in vitam revocabuntur.* Ἀνάστασις sc. τῶν νεκρῶν, Matth. XXII, 31. vel ἡ ἐκ νεκρῶν, ut plene legitur Luc XX, 35. Act. IV, 2. Ἡ ἐσχάτη ἡμέρα, est finis rerum humanarum, illud tempus, quo finitum erit hoc aevum et novum inchoabitur. Similis est phrasis ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος τούτου, Matth. XXIV, 3. Vix sperare audet Martha; et tamen optat ut Christus fratrem excitet. Igitur Dominus, ut Marthae animus et fides reficiatur, eam in iis quae sequuntur de fratris morte consolari, eique persuadere studet, ut firmissime credat, eum, cui mortuos omnes in fine rerum humanarum resuscitandi potestas a Deo sit tributa, posse etiam nunc fratrem ipsius in vitam revocare.

25. Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ζωή) *Auctor sum ego et fons resurrectionis et vitae* (vid. c. I, 4.); iam nunc resuscitare e morte, atque vitam reddere possum. Similis phrasis est Deut. XXX, 20. 1 Cor. I, 30. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ) *Qui mihi fide et fiducia adhaeserit;* me pro vero Messia agnoverit, et praeceptis meis fideliter constanterque obsecutus fuerit. κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται) *Etiamsi* (corpore) *fuerit mortuus, tamen vivet.* Mors eius non erit mors, sed initium vere beatae et exoptatissimae vitae. Ζήσεται, nempe κατὰ θεὸν πνεύματι, ut 1 Petr. IV, 6. Est porro in verbis Christi ὀξύμωρον, quale in Arriani illis IV, 1. de Socrate,

crate, ἀποθνήσκων σώζεται, et Ciceronis de amicis in Laelio suo: *Absentes adsunt — et (quod dictu difficilius) mortui vivunt.*

26. Πᾶς — εἰς ἐμὲ) *Quicunque vivit et credit*, i. e πᾶς ὁ διὰ τῆς πίστεως εἰς ἐμὲ ζῶν, quicunque ita vivit, ut doctrinam meam amplectatur, praeceptis eius obediat, et promissionibus meis habeat fidem. οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα) *Nunquam morietur*, ut supra c. VIII, 51. Alii: *Non morietur in aeternum*, i. e. non in perpetuum in morte manebit. *Semlerus* interpretatur: Fieri posse, ut aliquis *nunquam* (μὴ εἰς τὸν αἰῶνα) mortem experiatur; quemadmodum in illo: Poteritis dicere monti huic, volo ut ex hac parte transeas in istam aliam. Sed de morte corporis hic non est sermo. Verbum ἀποθανεῖν v. 25. et 26. diverso sumitur significatu. Dixerat Iesus v. 25. credentem, etiamsi corpore fuerit mortuus, (κἂν ἀποθάνῃ) permansurum esse in vita, i. e. *sempiterna felicitate fruiturum.* Nunc porro addit, eum, qui nondum obierit, sed crediderit tamen, ne in morte quidem corporis fore miserum, sed sempiterna felicitate fruiturum, quia mors corporis ei non sit metuenda, sed potius ut initium verae et exoptatissimae vitae consideranda. Πιστεύεις τοῦτο;) Christus plerumque ante miraculum fidem exigit.

27. Ἐγὼ πεπίστευκα) *Credidi*, i. e. credo, sive, mihi est persuasum. Saepe autem utuntur Graeci verbis praeteritis, indicantes praesens, significando praesertim animi motus et affectus. ὁ ἐρχόμενος) *Qui venturus erat*, ut Matth. XI, 3.

28. Λάθρα) Vel quia metuebat a Iudaeis; vel, quia

quia ignorabat, utrum Iesus vellet in conspectu omnium versari; vel, quod mihi verisimillimum est, quia existimabat, exoptatum fore sorori, Dominum videre cum eoque colloqui, priusquam Iudaei intervenirent. ὁ διδάσκαλος πάρεστι, καὶ φωνεῖ σε) *Doctor adest, et te venire iubet.* Dicitur hoc κατὰ τὸ σιωπώμενον, ut intelligendum sit, verbis Iesu accersitam tunc fuisse Mariam requirentis illam. Ut illud: Audivi Archyllis, iamdudum Lesbiam adduci iubes; cum iussum illud non commemoretur.

31. Ἵνα κλαύσῃ ἐκεῖ) *Ut ibi ploraret.* Solebant enim apud monumenta deflere mortuos, et etiamnum hic mos obtinet in Oriente, ut refert *Lüdeke*, in expositione brevi locorum Scripturae S. ad Orientem sese referentium §. 83. Iudaei in nostris etiam regionibus adhuc more receptum habent, ut ad sepulcra parentum aut cognatorum preces fundant illas, quae in literas relatae publice extant. Cf. *das alte und neue Morgenland*, T. V. p. 258. sq.

33. Ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι) *Commotus est misericordia*, vel potius: *Tristitia affectus est.* Nam verbum ἐνβριμᾶσθαι, quod alias est *fremere*, graviter et vultu irato increpare, interminari, h. l. sensu molliori accipiendum est. Significat enim quemlibet animi motum graviorem, sive ille ex ira sit, sive ex metu, sive, ut hic, ex dolore. Sic etiam hebraica verba זָעַם et זָעַף interdum ad *tristitiam* referuntur. Gen. XL, 6. 1 Sam. XV, 11. Alii, inter quos *Kuinölius*, significationem illius verbi primitivam retinendam esse censent, et Domino arbitrantur indignationem

nem movisse et Mariae et reliquorum praesentium ἀπιστίαν. Quae tamen interpretatio nullo modo admitti potest, quum neque Maria neque Iudaei testes interfuerint colloquio illo, quod Iesus cum Martha habuerat, comm. 21—27. Quare Dominus solam Martham ob fidei infirmitatem (comm. 40.) corrigere videtur. In reliquis autem Christi sermonibus, qui hac tota narratione nobis traduntur, ne vestigium quidem irae indignationisque invenire possumus. Nemo etiam illorum hominum, Martha vix excepta, incredulitatis argui potest; quippe Christus, quid facturus esset, occultaverat animo, nec claris verbis, se nunc temporis Lazarum resuscitaturum esse, promiserat. Ἐν πνεύματι, i. e. ἐν ἑαυτῷ. ἐτάραξεν ἑαυτόν) Reciprocum pro Passivo, ut 2 Petr. II, 8. ἐβασάνισεν. Vertendum est igitur: *Perturbatus est.* Sic *Theocritus* ταράττεσθαι de *perturbatione animi* usurpat, ut ostendit *Porschberger* in Theocrito S. S. illustrante pag. 57. *Theophylactus* ad Hebr. XII, 11. ὁ λυπούμενος ταράττεται. Quum nimirum videret Iesus flentes Mariam et amicos, et ipse tristitia affectus, animoque perturbatus fuit.

34. Ποῦ τεθείκατε αὐτόν) Quo animo Christus hoc dixerit, varie solent interpretari. Quidam, eo consilio, ut ibi lacrymandi officio defungeretur; alii, et quidem rectius, sic iam aliquam spem adstantibus inditam fuisse, fore, ut aliquid inusitati Iesus efficiat.

35. Ἐδάκρυσεν) Lacrymae et ipsi oboriebantur. Rom. XII, 15. 16. Quum Ioannes non refutet Iudaeos, qui istas lacrymas interpretabantur signum amoris in Lazarum, (v. 36.) non audiendi sunt *Heumannus*, et alii, qui negant, Iesum hac de causa lacrymatum, sed tan-

tantum ex societate quadam eius doloris, quem sorores prae se ferebant. Occupatur illud, non excluditur. Qui veritatem huius narrationis impugnant, obvertunt, tanto dolore lesum afficere non potuisse Lazari obitum, si mortui in vitam reditus proxime instans ei certo fuisset cognitus. At vero (ut scite iam monuit *Lückius*, T. II. p. 307.) Christus hic non ut *Deus ipse* operatus est, sed ut Dei *filius*, et *υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, a cuius animo, quicquid sensuum naturae hominum nobiliori inesse solet, haud erat alienum. Quatenus Dei filius erat, certo sciebat, omnes preces suas a Patre exauditum iri; quatenus autem erat *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, tangebatur Dominus (ut *Schottus* l. l. p. 31. observavit), quum sorores Lazari eiusdemque cognatos et amicos mortem hominis, quem ipse haud parum amaverat (v. 5.), acerbe vidisset deplorantes, eo misericordiae et doloris sensu, qui facile subit animum hominis, alienum luctum suum existimantis, mitem et humanum, etsi probe noscat et praevideat, fore, ut causa luctus brevi evanescat.

37. Οὐκ ἠδύνατο — ἀποθάνῃ;) *Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci, facere, ut hic non moreretur?* Inesse videtur exprobratio. Difficilius enim esse putabant homini a natalibus caeco videndi facultatem dare, quam aegrotum sanare. Non autem exprobratio esse videtur ab hominibus *malevolis* exhibita, ut plurimi Interpretes voluerunt; sed, quum Ioannes nullam adiecerit explicationem, multo verisimilius est, hoc loco verba laudari eorum, quorum mentio fit v. 33. 36. et 45., quam eorum, qui comm. 46. commemorantur.

38. Πάλιν ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ) *Iterum vehementer*

menter commotus animo. Etiam hoc loco verbum ἐμβριμᾶσθαι non vertendum est *indignari*, sed *moerore percelli.* Dominus, si Iudaeis iratus esset, statim eos corripuisset. Σπήλαιον) Iudaea erat regio petrosa, inde etiam multae speluncae dabantur, et sepulcra ut plurimum in petris excidebantur, et valde spatiosa erant, ut nostra *Grabgewölbe.* Vide Salmasium et Solinum cap. 52. *Nicolai de luctu Graecorum* c. 12. §. 2.

39. Τεταρταῖος γάρ ἐστι) i. e. *quartus iam agitur dies ex quo mortuus est.* Ita Xenophon de mortuis quibusdam: ἤδη ἦσαν πεμπταῖοι, et δωδεκαταῖος *Theocrito* Id. II, 4. qui duodecim dies abesset; et προκεῖσθαι πεμπταῖον. *Aristophani* Avibus: iacuisse quinque dies insepultum. Plura habet Wetstenius. ἤδη ὄζει) *Iam foetet.* Aut inde, quod Lazarus quartum diem in sepulcro fuerat, *concludebat* Martha, cadaver iam in putredinem abire; aut *sciebat*, quum aeque ac Maria saepius ingressa esset sepulcrum. Solebant enim Iudaei compositos invisere. Cf. *Kuinölium* p. 519. Pro τεθνηκότος alii bonae notae libri habent τελευτηκότος, quae lectio vulgari lectioni aequiparanda est.

40. Οὐκ εἶπόν σοι) Comm. sc. 25. 26. *Nonne tibi significavi, fore, ut, si modo fidem habueris, divinae maiestatis documentum videas?* Quibus verbis Martham reprehendere videtur. Cf. dicta ad v. 33. τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ) Documentum illustre potentiae divinae; nam δόξα κυρίου ex Hebraismo notat omnia signa divinae potentiae. Vid. not. ad v. 4. Et Paulus Rom. VI, 4. noluit aliud significare, quum dixit *Christum excitatum a mortuis* διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς.

41. Ἦραν οὖν τὸν λίθον) *Sustulerunt lapidem;* nam aditus ad sepulcra lapide muniebatur. Matth. XXVII, 60. Verba: οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος absunt a Codd. nonnullis et Versionibus. Cf. *Griesbachium.* Si lectio genuina est, in his verbis est ellipsis pro τὸν λίθον τοῦ μνημείου οὗ etc. Εὐχαριστῶ — μου) *gratias ago tibi, quod precibus meis annueris.* Aor. ἤκουσας, non de tempore praeterito, sed de praesenti hic usurpatur. Iam adstipulandum arbitror *Semlero*, qui interpretatur: ὅτι ἠκουτάς μου, precatum scil., ut tua virtute hoc miraculum iam hic efficere liceat. Ceterum Ioannes tantum summam precum Iesu commemorasse videtur.

42. Ἀλλὰ — ἀπέστειλας) Ideo hoc facio, ne putent, me mihi originem huius potestatis adscribere, aliumve quam te Deum colere ac monstrare. Sic optime refutabatur eorum calumnia, qui eum ope mali daemonis miracula patrare dicebant.

43. Δεῦρο ἔξω) *Huc foras.* Ellipsis. Deest enim *adesto*, vel *prodito:* vel potius δεῦρο positum est pro ἐλθὲ. Verba δεῦρο ἔξω, quae Iesus μεγάλῃ φωνῇ protulisse dicitur, accipienda sunt pro declaratione solenni (qualis exstat Luc. VII, 14.), iam Lazarum vitae restitutum iri.

44. Ἐξῆλθεν) i. e. *exire conatus est;* nam actu nondum exire potuit, quia pedes manusque fasciis erat vinctus (quae interpretatio commendatur verbis: λύσατε αὐτὸν); nisi sumas, quod verisimile est, unumquemque pedem seorsim involutum fuisse. κειρίαις) *Fasciis.* Glossar. κειρίαι, *institae.* Etymol. κειρία σημαίνει τὰ σχοινία τὰ ἐντάφια, ἡ κειρία σημαίνει τὸ σχοινίον τὸ δεσμεῦον τὴν κλίνην. Usi sunt hoc nomine *Aristophanes* Avibus 817. et *Artemidorus* I, 14. Et hodie mos viget

viget in Oriente, ut mortui rarius vestibus suis induti, sed potius linteis involuti, aut in iis insuti, efferantur, teste *Lüdeke* in expositione brevi etc. §. 83. *Lightfootus*, *Lampius* aliique, *Basilium* secuti, nulla urgente necessitate, de duplici miraculo cogitarunt, quod nempe Lazarus redivivus, quamvis constrictus manibus pedibusque per fascias, et quamvis excaecatus oculos sudario, e sepulcro prodierit. *Basilius* (in Homil. de gratiar. actione): Ὁ νεκρὸς ἐξεποιεῖτο καὶ ὁ δεδέμενος περιπάτει. Θαῦμα ἐν θαύματι, χειρίαις δεδέσθαι τοὺς πόδας, καὶ μὴ κωλύεσθαι πρὸς νίνησιν. — De ratione, qua Aegyptii mortuos involvere solebant, cf. *Jahnii Archael.* T. I. P. II. p. 425. ὄψις, frons et oculi. σουδαρίῳ) Σουδάριον, vocabulum latinum a Iudaeis receptum, quod scribere solent סוּדָר, denotat linteolum, ad sudorem vultus abstergendum; deinde etiam linteolum quod mortuis circumvolvebatur. *Nicolai* de luctu graecorum c. 3. §. 6.

46. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν) Sc. Ἰουδαίων. Vel non crediderunt, Lazarum vere mortuum fuisse, vel erant ex eorum hominum genere, qui ne conspecta quidem mortuorum resurrectione resipiscere solebant (Luc. XVI, 31.). Iudaeos, qui hoc loco commemorantur, Christi inimicos fuisse, ex eo apparet, quod eos Ioannes fidem Domino habentibus (v. 45.) opposuit. Φαρισαῖοι h. l. sunt assessores Synedrii e familia Pharisaeorum.

47. Συνήγαγον — συνέδριον) οἱ ἀρχιερεῖς, nempe Pontifex Maximus *Caiaphas*, et qui ante eum pontificatu functus erat, *Annas*, socer eius; infra XVIII, 13. 24. Fortassis tamen intelligendi sunt assessores Synedrii e sacerdotali ordine. Συνάγειν συνέδριον est

congregare concilium, Synedrii assessores. Οὗτος — ποιεῖ) *Iste homo multa edit miracula.* Assessores Synedrii non videntur miracula Iesu habuisse pro veris miraculis, sed pro factis, quae tantum speciem haberent miraculorum. Σημεῖα igitur h. l. ex mente Iudaeorum sunt facta insignia, mira. Etiam impostoribus tribuuntur σημεῖα, Matth. XXIV, 24.

48. Ἐὰν — οὕτω) *Si eum ita facere patiamur.* Πάντες) Est oratio vehementer iratorum et indignantium; i. e. bene multi, plures tandem et plurimi. οἱ Ῥωμαῖοι) Putabant, Romanos id pro seditione habituros. ἀροῦσιν) αἴρειν h. l. est *perdere, penitus auferre*, κατὰ κράτος λαβεῖν, i. e. *eripere vi.* τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος) *Locum et populum.* Adagii instar; i. e. *omnia;* uti nos dicimus: *Land und Leute verderben.* Τόπος alii vertunt: *territorium*, *urbs*, et Hierosolyma intelligunt; alii interpretantur: *templum Hierosolymitanum*, quod dicitur τόπος ἅγιος, Matth. XXIV, 15. Sed quum coniuncta legantur verba τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος, et quum Caiaphas v. 50. dicat: καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται: multo magis convenit, ut voc τόπος de omni Iudaea intelligatur. Quasi dicat: Venient Romani totam terram nostram devastaturi populumque aut internecione aut dispersione perdituri. Romanos autem infensos aiunt ob Messiam; quasi non Iesus aperte docuisset obtemperandum esse qualibuscunque rectoribus (Matth. XVII, 24. sqq.), regnum autem sibi oblatum defugisset, Ioann. VI, 15. At ipsi Messiam et quidem Romani imperii hostem exspectabant. Fingebant igitur periculum, quia Iesus ipsorum desideriis non respondebat. Verum Messia contempto in id inciderunt, quod se metuere profitebantur.

49.

49. Ἀρχιερεὺς — ἐκείνου) Ex *Ioseph. Antiqq.* L. XVIII. Cap. 2, 2. et Cap. 4, 3. apparet, Caiapham per integros decem annos Pontificis munere esse functum. Itaque vocc. ἐνιαυτοῦ ἐκείνου non sic accipienda sunt, quasi Pontificis munus fuisset annuum; sed vertenda sunt: *illo tempore.* Ὑμεῖς — οὐδέν) *Nihil intelligitis*, parum recte censetis, nimirum quod attinet negotium id de quo agitur. Reprehendit Pontifex tardam assessorum deliberationem, et certus consilii affirmat, rem facillime expediri posse. Non aggrediendum esse populum, sed unum Iesum removendum. Οὐδὲν εἰδέναι dicuntur parum alicuius rei periti, i. e. parum recte statuentes. Haud dubie varia consilia proposita fuerant, quorum mentionem Ioannes omisit. Quae autem Ioannes h. l. refert de Synedrii consiliis, ea, verisimile est, ab iis assessoribus ipsi prodita esse, qui clam Christo faverent, nec tamen publice Domini sectatores existere vellent; e. c. a Nicodemo et Iosepho Arimath. Cf. infra c. XII, 42.

50. Οὐδὲ — ἀπόληται) *Neque perpenditis, utilius nobis esse, unum hominem in populi salutem interfici, quam omnem populum interire.* Διαλογίζεσθαι, *secum cogitare, perpendere.* Omnium interesse dicit Pontifex, ut unus Iesus moreretur pro populo, potius quam hoc incolumi tota gens periret. Nonnisi de utilitate politica cogitat. Eodem sensu *Xiphilinus* in Othone p. 193. πολλή γάρ που, καὶ κρεῖττον καὶ δικαιότερον ἔστιν, ἕνα ὑπὲρ πάντων, ἢ πολλοὺς ὑπὲρ ἑνὸς ἀπολέσθαι. *Cornel. Nep.* Miltiad. c. 8. *Haec populus respiciens, maluit eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore.* Similia loca plura laudat Wetstenius.

51.

51. 52. Τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν) Non casu, vel sine omine hoc dixit. Profani id fieri dicunt ἀφ' ἑαυτοῦ, quod aliquis *sponte* facit, aliis non impellentibus. Ioannes sine dubio hoc vult dicere, Caiapham inscium, quamvis alio dirigeret orationem suam, edidisse vaticinium. ἀλλὰ ἀρχιερεὺς — προεφήτευσεν) *Sed quum illius anni summus esset pontifex, futura cecinit.* Providentia divina ita dirigente sententiam contra Iesum in se nequissimam ita protulit Caiaphas, ut simul illa sensu paullisper diverso accepta, insigne esset vaticinium de vera mortis Christi utilitate. Vaticinandi vim Sacerdoti tribuit *Philo* de Creat. princ. p. 728. E. ὁ πρὸς ἀληθειαν ἱερεὺς εὐθύς ἐστι προφήτης, οὐ γένει μᾶλλον ἢ ἀρετῇ παρεληλυθὼς ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντως θεραπείαν. *Verus sacerdos simul etiam vates est, non tam generis quam virtutis beneficio consecutus sacerdotium veri numinis.* Sed huius rei neque in libris de Maccabaeis, neque in Iosepho, neque in Iudaeorum libris exempla sunt. Praeterea etiam hoc consilium naturali modo Caiaphae in mentem venire poterat, ut vix credibile sit, Deum hoc inscio et invito, immediate has ideas in animo eius excitasse. Προφητεύειν igitur hic erit dirigente Deo loqui aliquid, quod simul aliam rem exprimit, alioque modo explicari potest. Dedit nempe Caiaphas consilium politicum, sed dirigente Deo usus est verbis, quibus simul doctrina insignis de Christo exprimitur. — 52. Καὶ οὐχ — εἰς ἕν) *Neque pro hac solum gente* (moriturum esse,) *sed etiam, ut dispersos Dei cultores in unum coetum colligeret.* Haec ad Caiapham non possunt referri; non enim fuit verus vates; sed est interpretatio Ioannis, qualis etiam extat c. II, 21. 22. et VII, 39.

Et

Et nihil obstat, quo minus Ioannem ex sua cogitandi ratione Caiaphae effatum pro vero vaticinio habuisse putemus. Cf. *Lückium* T. II. p. 322. sqq. Paulo aliter *Kuinölio* de comm. 51. et 52. visum est, qui inter alia haec habet: „Ioannes suum iudicium addens, rem magni momenti lectoribus in memoriam revocare voluit, nempe Iesu mortem generi humano fuisse salutarem. Hinc quae Caiaphas suaserat, rei suae atque consilio Dei accommodavit. Iam verbis τοῦτο δὲ — προεφήτευσεν, quae non nimis premenda, sed populariter dicta sunt, omnino declarare voluit, admodum memorabile esse illud Caiaphae effatum. Hanc sententiam ita expressit: Caiaphas *quasi* oraculum edidit, ut Pontifex, veterum Pontificum more, qui interdum oracula edidisse, futura praedixisse perhibentur; Caiaphas haec non tam suopte ingenio, non tam sententiam suam dixisse, quam potius futura praedixisse *videtur*, divinitus quasi sententiam eum dixisse credideris.“ — Aliorum de hoc loco sententias collegerunt et refutarunt *Kuinölius* et *Lückius*. Τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ) Per prolepsin: Istos omnes, qui, ut dicitur c. I, 12. Christum, sive doctrinam eius accipiunt, atque sic meliorem naturam, Deo similem, induunt, cultores Dei, futuros Christianos. τὰ διεσπορπισμένα) Intelliguntur non tantum Iudaei extra Palaestinam dispersi, sed etiam qui ex gentibus aliis erant crediturі. συναγάγῃ εἰς ἕν) *In unam societaiem colligeret*, ut omnes fierent *unum*, ἕν, ratione animi emendati et divinioris, ut postea saepe Christus loquitur, *ut sic unus existeret grex, atque unus pastor.* Io. X, 16.

53. Συνεβουλεύσαντο ἵνα κ. τ. λ.) Iam plane ac firme, exemto omni scrupulo, constituerunt rem non ultra

ultra differendam, sed omni modo Iesu mortem maturandam. Ab illo igitur die de modo, quo Christus interficiendus sit, inter se consultabant Synedrii assessores.

54. Ἰησοῦς — Ἰουδαίοις) *Iesus autem non amplius palam inter Iudaeos versabatur.* Παῤῥησίᾳ, *aperte*, publice. Scivit nempe inimicos insidiari eius vitae, v. 53. ἀπῆλθεν ἐκεῖθεν) Nempe ex Bethania, et locis urbi vicinis. Mox tamen rediit, ut legimus c. XII, 2. εἰς — ἐρήμου) *In regionem deserto finitimam*, ad partem Iudaeae orientalem, non procul Hierichunte. Ἐφραΐμ) Sive Ἐφρέμ. *Relandus* urbem hanc inter Ierichuntem et Bethel quaerendam putat. *Iosephus* (de B. I. IV, 9, 9.) observavit, locos Ephraim et Bethel parva fuisse oppida. *Hieronymus:* „Est villa praegrandis *Ephraea* nomine contra septentrionem in vicesimo ab Aelia milliario (Romano)." Desertum, quod hic commemoratur, vix aliud esse potest quam *Beth-Aven* in finibus tribuum Ephraim et Beniamin situm. Cf. *E. F. C. Rosenmülleri Handbuch der bibl. Alterthumskunde*, T. II. P. II. p. 148. sq.

55. Ἐκ τῆς χώρας) Ex *regione* illa v. 54. perinde ut ex ceteris regionibus. ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτούς) *Ut se ad festum praepararent.* Ἁγνίζειν ἑαυτὸν h. l. est ἁγιὸν, *purum se reddere*, secundum Iudaica instituta, et legitimas observationes. Iudaeorum multi ante solemnia sacra Hierosolyma proficiscebantur, vel continentiae genere quodam adstricti, vel quum impuri facti essent, ante festum eius rite obeundi impedimentum sacrificiis ieiuniisve sublaturi. Abstinebant unum diem,

diem, aut plures dies vino, Venere, delicatioribus cibis, corpora sua lavabant, et hoc modo tum corpus tum animum praeparabant ad sacra paschalia. Exod. XIX, 10. 2 Chron. XXX, 17. 18.

56. Ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ) Usus duarum negationum sermonis graeci negando proprius est, pro: οὐκ ἔρχεται. Dubitabant autem isti, venturusne esset ad diem festum; aliis affirmantibus, ob morem ipsius perpetuum, aliis negantibus ob impendens periculum. Statim comm. 57. ratio affertur, cur nonnulli de adventu Christi dubitarint.

57. Δεδώκεισαν — πιάσωσιν αὐτόν) *Dederant vero etiam Pontifices et Pharisaei edictum, ut si quis sciret, ubi versaretur, id indicaret, quo eum comprehendere possent.* Διδόναι ἐντολήν, *mandatum, edictum promulgare* etiam apud Profanos occurrit. Μηνύειν, *indicare*, deferre, sensu forensi. Absolvitur hic historia integri triennii, quo Iesus munere suo functus est Quae enim nunc sequuntur, ea historiam sex dierum continent.

CAP. XII.

1. Πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα) *Sex ante diebus, quam Pascha foret;* vel: *sex diebus ante Pascha.* Verba inverso ordine posita sunt, pro ἓξ ἡμερῶν πρὸ τοῦ πάσχα. Sic LXX. πρὸ δύο ἐτῶν τοῦ σεισμοῦ, πρὸ τριῶν μηνῶν τοῦ θερισμοῦ, Amos I, 1. IV, 7. Adde 2 Macc. XV, (36.) 37. Profanos etiam auctores, graecos et latinos interdum sic loqui, ut ex una Praepos. πρὸ duo pen-

pendeant Genitivi, patet ex locis Wetstenio laudatis. Ἦλθεν εἰς Βηθανίαν) Ex illa solitudine sua in oppido Ephraem. Non statim Hierosolyma ingressus est, sed ob insidias Iudaeorum per dies aliquot latuit apud amicos. Ὁ τεθνηκώς, *qui mortuus fuerat.*

2. Ἐποίησαν οὖν αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ) *Ibi instruxerunt ei epulum.* Αὐτῷ, in eius honorem. Coenam istam datam esse Matthaeus c. XXVI, 6. et Marcus XIV, 3. scripsere, in domo Simonis leprosi, quem aliqui fuisse perhibuerunt patrem Lazari. Simon, inquiunt, forte fuit magister convivii in sua domo, qui Lazarum, Iesum, aliosque invitaverat. Sed Ioanni, quippe testi oculato, etiam in hac re maior fides est habenda, quam ceteris Evangelistis. Nec improbabilis est *Lückii* (T. II. p. 330.) coniectura, qui hancce historiam a Matth. et Marco commixtam existimat cum illa, quae Luc. VII, 36. sqq. commemoratur. Sive enim eorum recorderis, quae brevi ante de Domini familiaritate cum Lazaro eiusque sororibus Ioannes narravit, sive Martham *ministrantem* adspicias; multo verisimilius tibi erit, ea, quae hic narrantur, in Lazari domo facta esse. Lazarus in epulantium numero fuisse traditur, quo certius de eius resuscitatione constaret. Διακονεῖν usurpatur de omnibus, qui ad mensam ministrant, aut cibos suppeditant, aut qui cibos apponunt, et alia ministeria praestant. Mulieres non solebant epulari cum viris. Ioannes accuratius nonnulla exposuit, quam Matthaeus et Marcus.

3. Ἡ οὖν Μαρία — τοῦ Ἰησοῦ) *Tum Maria, sumta libra unguenti nardi sincerae, pretiosae, inunxit pedes Iesu.* Λίτρα, vocabulum origine graecum, ad Romanos,

nos, vel ad antiquos Italiae populos translatum, et pronunciatum *libra*, est pondus duodecim unciarum, et a nostris germanice *ein Pfund* vocatur. Est etiam genus nummi. *Julius Pollux* in Onom. L. IV, c. 24. Fuerunt, qui mirarentur, quod Maria tantam unguenti copiam effuderit. Quare sub voc. λίτρα intelligi maluerunt *vas libram capiens*, quum reliqui Evangelistae usi sint voc. ἀλάβαστρον. Vid. not. ad Marc XIV, 3. At vero de magna nardi copia cogitandum esse docent verba: ἡ δὲ οἰκία — μύρου, et verba comm. 5.: διατὶ τοῦτο — δηναρίων. — μύρου νάρδου) *Oleum nardicum*, unguentum apud veteres praestantissimum, paratur e foliis et radicibus nardi Indicae aliarumque plantarum, quo vel puro vel mixto cum aliis veteres utebantur. Cf. *Plinii Hist. Nat.* L. XII, 12. XIII, 1. *Tibull.* II, 2. 7. *Horat. Epod.* V, 59. De significatu voc. πιστικός ambiguunt Interpretes. Verisimillimum est, μύρον νάρδου πιστικῆς esse unguentum *ex nardo sincera*, i. e. non adulterata, admodum igitur pretiosa. Aliis πιστικὸν idem esse videtur ac πιστὸν, *potabile*, i. e. *liquidum*, ut νάρδος πιστικὴ esset nardus sic diluta et attenuata, ut facile posset fundi ut liquidum. ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ) Quod erat eximium pietatis ac reverentiae documentum, apud veteres minus usitatum Apud nostrum pedes, apud ceteros caput inunxisse dicitur. Ioannem, utpote testem oculatum, rem bene cognitam habuisse, credibile est. Diserte etiam observavit: καὶ ἐξέμαξε ταῖς θριξὶν αὐτῆς τοὺς πόδας αὐτοῦ. Accedit, quod Mariae melius congruit pedum unctio, tanquam gratiae observantiaeque actio minus usitata.

5. Τριακοσίων δηναρίων) Videtur pretium huius unguenti

unguenti satis notum fuisse. Secundum *Gronovium* 300. denarii essent tres librae argenti; ter centum item drachmae, atque ita tres minae. *Bengelius:* L. vel LX. florenis. *Heumannus:* Thaleris 37. et dimidio.

6. Κλέπτης ἦν) Iam ante, ut ex h. l. apparet, consueverat pecuniarum custodiae suae concreditarum partem auferre, sibique reservare; haec igitur videbatur eximia opportunitas. τὸ γλωσσόκομον εἶχε, *cistam habebat*, praeerat communi aerario. Τὸ γλωσσόκομον, *cistula*, proprie est *theca* condendis lingulis tibiarum idonea. *Hesychius:* Γλωττοκόμον, ἐν ᾧ οἱ αὐλεταὶ ἀπετίθεσαν τὰς γλωσσίδας. *Pollux* II. 108. VII. 153. Deinde per synecdochen speciei pro altera specie, *arcula* seu locus pecuniis et ceteris rebus necessariis custodiendis destinatus. 2 Paralip. XXIV, 8. 10. 11. *Galen.* I, 11. in Hippocr. de fracturis. De Antidot. I. *Tosevoth Schevioth* X. γλωσσόκομα plena litteris debitorum tradidi tibi. *Glossar.* cistellam γλωσσοκόμον. τὰ βαλλόμενα) i. e. τὰ ἐμβαλλόμενα s συμβαλλόμενα in arculam illam seu marsupium. ἐβάσταζεν) *Portare, secum ferre* solebat; sive ad *usus obvios*, sive ut ad manum esset, si qui vellent novis donis aerarium illud commune liberaliter augere. Satis probabile est, eos qui Iesum docentem audirent, aut qui ei iam faverent, de suo impendisse in commune quasi aliquod aerarium, ne deesset, si argento modico esset opus. Cui interpretationi adstipulatur *Lückius*, quem de h. l. cf. T. II p. 332. sq. Contra *Kuinölius* consentit cum *Kypkio*, *Elsnero* aliisque, qui vertunt: *auferebat*, sc. de illis, quae immittebantur, quam verbi βαστάζειν notionem multis Profanorum locis probare studuerunt.

Sane

Sane *auferre* illud verbum significat Ioann. XX, 15. Matth. VIII, 17. Nusquam autem in Codice sacro notionem obtinet *suffurandi.* Sed ea, quam antea probavimus, significatione: *circumferre, secum habere,* occurrit Luc. X, 4. Gal. VI, 17.

7. Ἄφες αὐτήν) Sc. ποιεῖν. *Fac illam missam.* Noli eam ista tua reprehensione iam impedire, aut pudefacere; noli ei molestus esse. εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ τετήρηκεν αὐτό) *Nam ad tempus pollincturae meae hoc reservavit.* Ἐνταφιασμός, *pollinctura,* i. e. omnis apparatus, quo mortuum corpus ornatur, vestimenta, fasciae, flores, unguenta etc. Iesus hoc, quod fecerat Maria, in hanc partem interpretatur, quasi inscia, quid mox eventurum esset, unxisset corpus ad sepulturam. Non *emtum* fuisse videtur hoc unguentum eo consilio, ut Iesus ungeretur, sed reliquum ex eo unguento, quod ad pollincturam Lazari emtum fuerat, *asservatum;* et occasione sic ferente impensum a Maria ad honorem Iesu exhibendum. Iesus enim dicit: τετήρηκεν αὐτό, et Iudas (v. 5. coll. Matth. XXVI, 9.) reprehendit Mariam, non quod *emisset,* sed quod non vendidisset unguentum. Apte igitur Iesus respondet: Hoc unguentum, semel destinatum sepulturae, (nempe Lazari,) in meam sepulturam impensum est; id quod dicitur plane apud Marcum: Antevertit meam sepulturam hac unctione. Sex post diebus (coll. v. 1.) secutura erat mors et sepultura ipsa.

9. Ἔγνω — ἦλθον) *Magna igitur multitudo Iudaeorum quae eum ibi versari cognoverat, contulit se eo.* Οἱ Ἰουδαῖοι h. l. sunt Iudaei Hierosolymitani. Ἔγνω) Didicit, rumore et fama sensim exeunte.

ὄχλος

ὄχλος — ἦλθον) Sicut mox v. 12.: ὁ ὄχλος ὁ ἐλθὼν ἀκούσαντες. ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν) Quem excitavit, quum iam inter mortuos iaceret, i. e. mortuus fuisset.

10. Ἵνα καὶ τὸν Λάζαρον ἀποκτείνωσιν) Non Iesum solum, sed et Lazarum, nullius culpae reum, interficere decreverunt. Pro bono publico quidvis sibi licere existimabant. Fuerunt veteres in ea opinione, ideo historiam Lazari resuscitati a tribus Evangelistis non scriptam fuisse, ne ipsi superstiti periculum crearetur, ut observavit Epiphanius.

11. Ὅτι — εἰς τὸν Ἰησοῦν) ὑπῆγον, *abibant*, sc. ex urbe Bethaniam. *Credebant* in Iesum, non tantum ut in Prophetam, sed et ut in Messiam, ut sequens historia ostendit.

12. Ὅτι ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς) Ex Bethania. Vide historiam explicatam Matth. XXI. Marc. XI, 1. sqq. Luc. XIX, 29. sqq. Cf. *Lückium* ad locum comm. 12 - 19. T. II. p. 336. sqq.

13. Τὰ βαΐα τῶν φοινίκων) *Ramos palmarum.* Βαΐον et βαΐδα proprie esse perhibent ramos et frontes palmae arboris, ut addi φοινίκων non fuerit necesse. *Glossar. Palma* βαΐς καὶ φοίνιξ *Etymol.* βαΐον — σημαίνει τὸν κλάδον τοῦ φοίνικος. *Hesychius:* βαΐς, ῥάβδος φοίνικος, καὶ βαΐον. Notum autem est, Iudaicas palmas celebrari inprimis, quum his maxime Iudaea nobilis atque inclyta fuisse perhibeatur. ἐξῆλθον) Pauci inter eos, qui Christo Hierosolyma eunti obviam procedebant, fuisse videntur, qui alia beneficia a Messia suo sperarent, quam novum regnum politicum, quod everso Romanorum imperio iam putabant instaurari.

rari. ὡσαννὰ) Vide annot. ad Matth. XXI, 9. ut et ad ea quae sequuntur.

14. Ὀνάριον) Deminutum ἀπὸ τοῦ ὄνου. Est autem synecdochica locutio, et expositio brevior, quasique concisa eorum, quae ab aliis Evangelistis commemorantur verbosius et explicatius. καθώς γεγραμμένον) Vid Zach. IX, 9. et *Rosenmülleri* Scholia ad h. l.

16. Ταῦτα — τὸ πρῶτον) *Haec vero discipuli eius primum* (ab initio) *non intellexerunt*, sc. haec dicta de Iesu valere, sed ex eventu hoc conclusere. Ἀλλ' ὅτε ἐδοξάσθη — ἐποίησαν αὐτῷ) *Sed postquam Iesus dignitate sua ornatus erat, recordati sunt, illa dicta de ipso valere, et haec ei evenisse.* ἐδοξάσθη, *ad gloriam et summum honorem evectus est*, nimirum per resurrectionem et ascensionem. ἐπ' αὐτῷ) i. e. περὶ αὐτοῦ, *de ipso.* Cf. Actor. IV, 17. 18. et similia loca Matth. XVIII, 13. Marc III, 5. Actor. XIV, 3. et *Wineri Gramm.* p. 123. Ut *Aen.* I, 750. Multa *super* Priamo rogitans, *super* Hectore multa. καὶ ταῦτα ἐποίησαν αὐτῷ) nempe Iudaeos illi obviam ivisse cum palmarum ramis, et acclamationibus, et hoc ei accidisse. Verbum ἐποίησαν h. l. explicandum est impersonaliter; et intelligendum hoc est non tantum de discipulis, sed etiam de populo, qui obviam prodierat, et acclamaverat.

17. Ἐμαρτύρει — ἐκ νεκρῶν) *Celebraverat autem eum multitudo, quae adfuerat ei, quum etc.* Μαρτυρεῖν h. l. ut saepius est *laudare, celebrare.* Antea descripta fuerunt publica studia eorum, qui ex urbe Iesu obviam iverant; nunc autem Evangelista commemorat

morat applausum eorum hominum, qui apud eum fuerant, quum Lazarum evocaret e sepulcro, atque excitaret e mortuis, atque nunc eum comitabantur. Pro ὅτε legendum est ὅτι.

18. Διὰ τοῦτο καὶ ὑπήντησεν αὐτῷ ὁ ὄχλος) *Propterea etiam ei multitudo* (Hierosolymitana) *obviam profecta est.* Haec (publica fama de resuscitatione Lazari) ratio fuit, cur tam multi isto tempore ex urbe egressi Iesum requirerent. Pro ἤκουσε cum plurimis optimae notae Codd. legendum ἤκουσαν.

19. Θεωρεῖτε) Vel interrogative: *Videtisne?* vel pro futuro: *Intelligetis tandem.* ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν) *Quod nihil proficitis quicquam; nihil adiuvatis rem.* Nam est hoc verbum τῶν ἀλλοπαθῶν. ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν) Universa populi multitudo eum tandem ducem et doctorem amplectetur. Ὁ κόσμος, הָעוֹלָם כֹּלוֹ. Locutio mere hyperbolica, qua Iudaei frequenter utuntur. Alii Pharisaeorum aliis hoc dicunt, *nihil promoveri*, imo multum corrumpi res suas cunctando: ita, ut iam maiora praesidia quaerenda sint ad exsequendum senatusconsultum.

20. Ἕλληνες) Intelligunt interpretes multi Iudaeos, qui habitabant in gentibus. Sed voc Ἕλληνες nunquam Iudaei appellabantur. Vid. not. ad c. VII, 35. Aliis ἕλληνες h. l. sunt *ethnici.* Nam omnes a religione Iudaeorum alieni interdum vocati sunt ἕλληνες, et ἔθνη. Atque hi, quorum hic fit mentio, vel patriae Philippi; vel vicinorum fortasse locorum fuerunt incolae. Nec obstat huic sententiae, quod isti Graeci religionis causa Hierosolyma venisse dicuntur. Nam Gen-

Gentiles non tantum dona, oblationes et sacrificia miserunt, sed et ipsi aliquando adierunt templum et adorarunt. Loca ex *Iosepho* et Rabbinorum Scriptis habes apud *Lightfootum* et *Wetstenium*. Inde atrium templi extimum vocatum est *atrium Gentium*, et חוֹל, *atrium commune*. At vero quum Graeci illi disertis verbis *festi celebrandi causa* Hierosolyma profecti dicantur, vix de paganis cogitari potest. Quare a recentiorum plurimis recte praefertur *Nösselti* sententia, qui totum hunc locum in Progr. Pasch. a. 1778. (*Opuscc.* Fasc. II. p. 1. sqq.) accurate interpretatus est, intelligendos esse homines ex Gentilibus graecis Proselytos factos; σεβομένους προσηλύτους vocat Lucas Act. XIII, 43. XVII, 4. XVIII, 4. nunc ἔθνη nunc Ἕλληνας c. XI. XV. Hos cum Iudaeis religionis causa Hierosolyma esse profectos, non est dubitandum. Nec offendi potest, quod Proselyti illi e Graecia oriundi simpliciter Ἕλληνες dicuntur.

21. Κύριε) Satis honorifice doctoris ei honorem tribuunt: רַבִּי, מָר. Pudor obstabat, quo minus ipsi adirent Iesum; adeunt igitur Philippum, ut is sibi aditum aperiret ad Iesum. θέλομεν τὸν Ἰησοῦν ἰδεῖν) *Nos Iesu videndi cum eoque colloquendi cupiditate tenemur.* Nam θέλειν ut hebr. חָפֵץ saepe est *optare*. Quo consilio illi Ἕλληνες Christum fuerint adituri, non definitur. Ex mera coniectura nonnulli contenderunt, eos ex eorum numero fuisse, qui felicitatis terrenae in regno Messiano participes reddi cupierint, atque adeo Christo, novo Regi, sese commendare voluerint. Ad quam opinionem probabilem reddendam idoneae rationes desiderantur. Potius ex ea, qua Graeci isti Domi-

num adituri erant, modestia atque verecundia, colligi licet, eos promptos paratosque fuisse ad veram in Messiam fidem animo excipiendam; nihil enim nisi Dominum videndi cum eoque colloquendi opportunitatem quaerunt. Vid. not. ad comm. sequ. Caeterum ea, quae hic narrantur, non in templo, sed extra urbem contigisse, *Michaelis* ad h. l. verisimile reddit. *Lückio* tamen (T. II. p. 344.) haec in templo acta esse probabile est. Certi quid definiri haud potest.

23. Ἀπεκρίνατο αὐτοῖς) αὐτοῖς quidam interpretes referunt ad *Graecos;* sed verisimilius est, et contextus ipse docet, *discipulis* Iesum haec dixisse; nisi forte, quod quam maxime credibile est, isti Graeci statim secuti sint Philippum et Andream eorum nomine Christum adituros, adeoque et ipsi praesentes fuerint. ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου) Sensus est: *Adest tempus illud, quo verus ille honor, qui filio hominis tribuendus est, a Deo luculentius manifestabitur.* Caput huius orationis Christi hoc et sequentibus versibus est in eo, ut doceat, nunc sibi instare tempus consequendi honoris sui, non alia via tamen, quam subeunda multorum malorum acerbitate, eandemque viam tenere debere eos, qui eiusdem honoris obtinendi sint cupidi. Elato autem animo Salvator pronunciat verba: ἐλήλυθεν ἡ ὥρα κ. τ. λ; quum eo iam ventum esset, ut operis sui fructus ad *Graecos* quoque pertineant, adeoque exoptatissima rei christianae incrementa fierent conspicua. Verbum δοξασθῆναι, refertur ad praemium a Christo reportandum, atque usuram bonorum omnium, quae Deus ei, tanquam generis humani sospitatori, destinasset. Hoc autem

praemium complectitur vel maxime imperii felicitatem, quae sit e civium multitudine. Illustratur igitur honor Christi propagatione doctrinae a se traditae; nam hoc maxime praemium pro susceptis mortis doloribus reportavit, quod sibi conciliata est magna discipulorum copia, quos regeret docendo felicitateque sempiterna mactaret. Ies. LIII, 10. seqq. Nam Deus ipse et Christus dicuntur δοξάζεσθαι, si *maiestas*, perfectio eorum *manifestatur* et nota fit hominibus. Vid. comm. 28. XIII, 32. XIV, 13. XV, 8. XVI, 14. XVII, 1. 4. 10. 2 Thess. III, 1. Deinde, quum δόξα dicatur de statu felicissimo in coelis, δοξάζεσθαι non solum Iesu, *ad divinum honorem et imperium evecto*, sed etiam Christianis *felicitate summa beandis*, tribuitur, Rom. VIII, 30. Cf. *Bretschneideri* Lex.

24. Ἀμὴν — καρπὸν φέρει) *Profecto, profecto confirmo vobis, nisi granum frumenti iniectum in terram moriatur, manet illud solum*, i. e. sine sperato fructu; *at si mortuum fuerit, plurimum fert fructum.* Docet his verbis Christus post mortem demum suam hunc honorem manifestatum iri; non posse se alios sibi tanquam discipulos atque imperii sui cives vindicare, nisi prius mortem ipse subierit; quam si fuerit expertus, tum demum magnam sibi subiectorum copiam habiturum, vereque regnaturum. Quare pulcherrima imagine se comparat cum tritici semine, quod moritur quasi in terra, sed efficacitate solis mutatum emergit e terra rursum cum copioso foenore, pro uno grano centum reddens. μόνος μένει) *sterilis, sine proventu manet;* sic 1 Tim. V, 5. usurpatur voc. μεμονωμένη de vidua prole destituta. Ὁ καρπὸς, *fructus,*

tus, de quo hic loquitur Iesus, est sectatorum et subditorum multitudo. Cf. Ioann. IV, 35.

25. Ὁ φιλῶν — ἀπολέσει αὐτήν) *Quicunque vitae conservandae unice studet;* i. e. ita amat vitam suam, ut carere malit iure civitatis meae, quam pericula doloresque suscipere, *is iacturam eius faciet*, atque spe beneficiorum a me promissorum et praemiorum excidet. Duplici sensu h. l. sumitur vox ψυχῆς, nempe de vita physica, et de vita tropice intellecta, i. e. felicitate. Φιλεῖν, *nimium amare.* ὁ μισῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ) *Parvi faciens vitam suam*, proque Evangelii proventu obiiciens eam periculis et mortibus. Cf. Matth. X, 39. Luc. IX, 25. Μισεῖν, *minus amare, non magnopere curare.* εἰς ζωὴν αἰώνιον φυλάξει αὐτήν) *Is eam felicitati aeternae servabit;* servabit eam, perennem ac felicem vitam recepturus in resurrectione. Docet igitur Iesus his verbis, eos, qui cupiant in gloriae sibi destinatae communionem venire; hos quoque in periculorum societatem venire debere.

26. Ἐὰν ἐμοὶ διακονῇ τις) *Si quis ministrum meum se profitetur*, nimirum in promulganda veritate Evangelii. ἐμοὶ ἀκολουθείτω) i. e. *Imitetur exemplum meum;* sic ut ego suscipiat labores et molestias, sc. religionis causa, si opus fuerit. Putant nonnulli Iesum his verbis Graecos istos (vid. not. ad. v. 22.) prae ceteris spectasse. Eos enim Christum ut regem terrenum adituros in eiusque regno munera sibi expetituros fuisse suspicantur. Verum quum Ioannes ne uno quidem verbo tale Graecorum consilium significaverit, vix licet, in coniecturae gratiam sic statuere. Contextui vel maxime congruit, ut Domini sermo ad *discipulos* referatur, quibus ob religionis propagandae ne-

go-

gotium maxima imminebant pericula; non exclusa tamen hominum qualiumcunque reprehensione, qui Christum eiusque discipulos in regno Messiano statim summa suavitate honorumque gloria potituros esse perverse putarent. καὶ ὅπου — ἔσται) *Ubi ego ero.* Praesens pro Futuro. Intelligit locum summae felicitatis. Nimirum, par est, ministrum a Domino non divelli, nec in laetis, nec in tristibus. Ita etiam, inquit Christus, quos habuero consortes ac socios afflictionum, eos non seiungam a consortio felicitatis. τιμήσει αὐτὸν ὁ πατὴρ) *Illum pater meus honore*, i. e. *praemiis afficiet.* Cf. c. XVII., 24. Honorat Deus hominem, vel quum ornat beneficiis, vel quum praemium tribuit, nam felicitas nostra futura saepe dicitur δόξα. Pro temporis malis, proque ignominia, qua apud homines affectus est, aeterna felicitate, veraque gloria eum decorabit. Scilicet aequum est, ut pater unici filii ministros simili praemio dignetur, quos similia passos noverit.

27. Νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται) *Nunc animo perturbatus sum;* nam ἡ ψυχή μου, נַפְשִׁי, *ego.* Dum mortem instantem et acerbissimos dolores sibi ob oculos ponit, magna afficitur tristitia. καὶ τί εἴπω — ὥρας ταύτης) *Et quid dicam?* (quid petam?) *Pater libera me imminentibus malis.* Varie explicatur hic locus. In eo conveniunt, ὥραν h. l. esse *tempus periculosum*, vel *ipsum periculum;* ut *tempora* saepe Latinis. Sed varie connectunt nostra verba. Antiquiores quidam, et recentiorum plurimi signum interrogandi repetunt post ταύτης, ut sensus sit: Et quid dicam? Num hoc, pater, rogabo, ut me eripias ex isto fatali tempore: ex isto momento cruciatuum et mortis instantis? Minime

me vero id a te petam. *Semlerus:* Quid multa? Cur verbosius de hac re agam? Tu potius, o pater, cui addixi meum obsequium, me adiuva, ut, licet vita privandus sim, tamen apud te istam aeternam vitam posthac agam. Sed facilior est *Nösselti* interpretatio, illud, *quod igitur dicam?* accipientis pro: quo me vertam, nescio; anxius animi haereo; vim doloris quo modo sustineam non video. Cf. Matth. XXVI, 39. ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην) Veruntamen *propterea in haec tempora incidi*; ideo duram istam conditionem subii; ut nimirum pro humano genere vitam meam profundam. Oratio abruptior paullo est, ut fieri solet, si quis animo valde commotus est.

28. Δόξασόν σου τὸ ὄνομα) *Fac ut honor tuus* (per me) *illustretur;* nam ὄνομα h. l. est honor, dignitas. Illustratur autem honor Dei, quando sapientia, benignitas, et potentia eius manifestatur, quod nulla re magis factum est, quam per doctrinam et opera Christi, atque propagatione religionis christianae inter omnes gentes. Profitetur igitur Christus, nihil se cupere aut rogare nisi quod velit Deus, ut verba δόξασόν σου τὸ ὄνομα habeant hanc vim: Lubens equidem suscipiam, quicquid, te providente, acciderit (cf. Matth. XVI, 37. sqq. Marc. XIV, 33. sqq. Luc. XXII, 41. 42.); tu modo cura quod tibi honori sit, voluntatique tuae consentaneum; proba, me esse Messiam. Ἦλθον οὖν φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ — δοξάσω) *Vox igitur e coelo audita est*, (hoc declarans:) *Ego vero illustravi illum*, (honorem meum,) *et porro illustrabo.* Vocem e coelo auditam, fuisse *tonitru*, e v. 29. patet. *Vitringa* refert hoc ad בַּת קוֹל s *filiam vocis*, tanquam oraculi divini genus, a Iudaeis memorari soli-

solitam, atque hinc colligit, per eam ab istis intelligi vocem *gravem* et *elatam*, sed *validam*, quia hic a turba audiente cum tonitru comparatur. Vid. eius observatt. Sacr. L. VI. pag. 369. seqq. Cf. etiam notata ad Matth. III, 17. Utrum haec vox fuerit simplex tonitru, an vero ex tonitru nata fuerit vox articulata, pronuncians verba a Ioanne commemorata, dubium est. Veteres preces suas ratas esse habitas credebant, ubi finitis illis intonuisset, ut *Elsnerus* ex *Odyss. υ*, v. 103. et *φ*, v. 413. aliisque locis docet. Adde *Aeneid.* II, 687. sqq. et cf. *Heynium* ad h. l. Iudaei quoque, praesertim elapsis Prophetarum temporibus, maioris nihil duxerunt, quam voces de coelo delatas. Cf. *Iosephi Antiqq.* VI, 5, 3. Videtur igitur et hic post finitas Christi preces tonitru auditum esse, quod nonnulli adstantium pro signo habebant, Patrem ratas habuisse Christi preces, his conceptas verbis: δόξασόν σου τὸ ὄνομα. Unde Ioannes, quum significare vellet, quid sibi voluerit illud tonitru, ipsis verbis usus est, quibus usurus fuisset Deus, si humanis verbis suam expressisset mentem: καὶ ἐδόξασα κ. τ. λ. Haud a verisimili abhorret haec sententia, confirmatur potius iis, quae statim v. 29. adduntur. Quicquid sit, res ipsa, verbis Ioannis expressa, est vera. Etenim iam tum Deus glorificaverat per Christum nomen suum, i. e. sapientiam, benignitatem et potentiam suam manifestaverat. Christus enim per tres annos (cum dimidio fortassis; vid. not. ad c. V, 1.) docuerat, unum esse verum Deum, qui sit fons omnis felicitatis, qui velit homines abstrahere a vitiis, iisque largiri aeternam salutem. Patraverat etiam miracula, e quibus Dei potentia patuit. Evenit etiam, quod porro additur, Deum

eo

eo quo indicavimus sensu, in posterum etiam glorificaturum esse nomen suum. Hoc enim factum est, quum post mortem et resurrectionem Christi omnibus innotuit doctrina Christi.

29. Ὁ οὖν ὄχλος — λελάληκεν) *Populus vero adstans, hoc audito, putavit, tonitru editum esse; alii autem angelum cum eo locutum dicebant.* Ex his manifestum esse videtur, non intellectam fuisse hanc vocem a populo adstante, quippe qui tantummodo sonum tonitru similem audiverat, non articulatas voces. Aliis sonus auditus non esse videbatur tonitru consueto more editum, sed sum voce articulata coniunctum; unde angelum cum eo locutum esse suspicati sunt. Sed nec isti intellexisse sensum verborum videntur; nam verba a Ioanne expressa non angeli cuiusdam, sed Dei verba sunt. Superest igitur, ut credamus, discipulos tantummodo et eiusmodi indolis homines, qui quaelibet signa a Deo exhibita devoto animo venerarentur, vocem e coelo auditam pro signo habuisse, quod Deus preces Christi ratas habuerit.

30. Οὐ δι' ἐμοῦ — ἀλλὰ δι' ὑμᾶς) *Non mea causa illa vox emissa est, sed vestra;* non eo consilio, ut ego confirmer in proposito meo, sed ut vos videatis, quanti me pater faciat, etiamsi pro impio et seductore condemner, et fidem habeatis doctrinae meae. Confirmat igitur Iesus, recte interpretatos esse discipulos illam Dei vocem, nec fortuito hoc tonitru esse editum. Hancce autem illius vocis coelestis explicationem Iesus addit κατ' ἄνθρωπον. Cf. *Lückium* ad h. l. T. II. p. 350.

31. Νῦν — κόσμου τούτου) *Nunc decernitur de hoc*

hoc mundo, i. e. iam instat tempus, quo mali et flagitiosi homines, qui repudiaverint meam doctrinam, contumaciae convincantur et malitiae. Τοῦ κόσμου nomine h. l. intelliguntur omnes, qui disciplinam Christi non admittunt (sive sint Iudaei, sive Pagani), οἱ ἄπιστοι (2 Cor. IV, 4.) et οἱ υἱοὶ τῆς ἀπειθείας (Eph. II, 2.). Hanc huius vocis significationem contextus postulat. Κρίσις ἐστὶ, i. e. κρίνεται ὁ κόσμος, *iudicatur mundus*, causa cadit, erroris et criminis reus deprehenditur, (quo sensu κατακρίνειν occurrit Matth. XII, 41. Hebr. XI, 7.). Convicti sunt autem adversarii Christi, aliique ἄπιστοι erroris propagatione doctrinae per Christum et Apostolos traditae, qua spes labefactandi honoris Christi destructa, consiliorumque contrariorum omnium atque insidiarum vanitas demonstrata est. Similis huic locus extat infra c. XVI, 8. sq. Dicit autem Iesus νῦν κρίσις ἐστι, nunc in eo est, proxime instat tempus, quo haec fient; brevi enim post mortem et resurrectionem Christi et post effusionem Spiritus propagata est eius doctrina. Fortassis tamen per τὸν κόσμον nominatim intelligendi sunt Iudaei, quorum perversa erat statuendi ratio; nam Iesus agit cum Iudaeis, et de rebus, quae ad eos pertinebant. Nec improbabile est, Dominum respexisse ad Iudaeorum opinionem, Messiam omnes populos a religione Iudaeorum alienos iisque inimicos debellaturum esse. Quam opinionem ita correxit, ut doceret, omnino *omnes*, qui doctrinam suam repudiare pergerent, iudicium esse subituros. νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω) *Nunc princeps huius mundi* (Satanas) *de regno deturbabitur.* Ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου, שַׂר הָעוֹלָם, *Princeps mundi;* Phrasiologia Scriptoribus

bus Iudaicis non ignota, ut patet ex locis a *Lightfooto* et *Wetstenio* allatis. Diabolus intelligitur (coll. XIV, 30. XVI, 11. Ephes. II, 2. VI, 12.), qui Deo quasi excluso regnavit, atque exercuit tyrannidem suam inter gentiles et Iudaeos, captivos eos ducens in omne peccatum et perditionem. Quemadmodum nempe *peccato*, Rom. VI, 12. et *morti* cap. V, 14., sic diabolo imperium in peccatores omnes, inprimisque in hostes doctrinae Christi tribuitur. Quam ob rem illius vis atque potestas labefactata et quasi fracta dicitur, quotiescunque per propagatam doctrinam aut susceptam disciplinam Christi homines e potestate eius, sive erroris aut impietatis servitute erepti sunt. Cf. Luc. X, 18. Col. I, 13. Act. XXVI, 18. Ἔξω ex voce ἄρχων interpretandum ἐκ τῆς ἀρχῆς. *Deturbabitur Satanas de tyrannide sua:* pulsis nimirum ignorantiae tenebris, et hominibus in meliorem statum restitutis. Quomodo id esset futurum, statim commate seq. ostendit.

32. Κἀγὼ — πρὸς ἐμαυτόν) *Nam ego ex terra sublatus, omnes in societatem meam pertraham.* Κἀγὼ) *Nam ego.* Καὶ, ut hebr. ו saepe valere *nam*, haud semel monuimus; et h. l. contextus hanc significationem postulat. Ὑψωθῆναι ambiguum est; nam potest significare simpliciter *tolli*, e *medio tolli*, *et in coelum evehi;* potest etiam significare mortis genus, crucem, ut comm. 33. Ioannes docet; nam in altum tollitur, qui cruci affigitur. *Silius* II, 344. *Vidi quum robore pendens Hispanium cruce sublimis spectaret ab alta.* De Iesu crucifigendo verbum ὑψωθῆναι usurpatum est supra c. III, 14. et VIII, 28. ubi vid. not. Sed hoc loco, quum scriptum sit ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, et sequatur: πάντας ἑλκύσω πρ. ἐμ.,

ἐμ., magis verisimile est, significari *mortem* omnino (respectu ad moriendi *genus* non habito), et vero etiam *reditum* Christi *in coelum;* ut τὸ ὑψωθῆναι respondeat verbo δοξασθῆναι, comm. 23. Vertendum igitur est: *Ego, si abiero.* πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν) Πάντες h. l. sunt omnis generis homines, Iudaei et Gentiles. Ἑλκύειν πρὸς ἑαυτόν est, efficere ut ad se veniant. *Curabo*, inquit, ut in societatem meam perveniant. Factum hoc est, dum per doctrinam suam fecit sectatores post mortem est exaltationem, et fiet, dum sectatores veri nominis ad felicitatis suae societatem perducet. Cohaerent haec cum iis, quae comm. 20 — 22. dicta sunt, sic: Imminet quidem mihi magna gloria, sed post multas demum calamitates, quas etiam ii, qui sectatores mei esse volunt, suscipere debent. Describit igitur Iesus comm. 31. 32. suum et Patris δοξατμὸν. Tanta enim totius orbis terrarum commutatione, quae effecta est per doctrinae propagationem, demonstratum est, eum esse dominum omnium; innotuit etiam Dei sapientia, benignitas, omnipotentia et iustitia.

33. Τοῦτο δὲ — ἀποθνήσκειν) *His verbis* (ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς) *obscure significavit, quo mortis genere esset moriturus.* Verbum σημαίνειν notat, *aliquid futurum vaticinando cum ambiguitate quadam atque obscuritate innuere*, et tribuitur proprie Deorum oraculis, eventus humanos subobscure significantibus, ut exemplis multis *Kypke* ad h. l. docet. Ioannes igitur illud effatum v. 32. ita interpretatus est, quasi Christus, etsi verbis non omnino planis (σημαίνων), praedixisset sibi idem illud fatum, cui postmodum succubuerit: atque hunc eius sermonem tunc iam intelligi ab audientibus potuisse non aliter, quam

quam si haud dissimulanter ac missis ambagibus dixisset: *quando sublimis pendebo.*

34. Ἡμεῖς — τοῦ ἀνθρώπου;) *Non ex sacris nostris libris cognovimus, Messiam nunquam esse moriturum, quomodo igitur tu affirmas, fore, ut filius hominis tollatur? Quis est iste filius hominis?* Ἀκούειν, *discere, cognoscere.* ἐκ τοῦ νόμου) Ex sacris litteris, vel scriptis Mosis et Prophetarum: νόμος enim metonymice haud raro significat universum corpus sacrorum librorum. ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα) *Messiam nunquam esse moriturum*, victurum semper, et perpetuo his in terris regnaturum. Hoc ex locis Scripturae colligebant, in quibus regnum Messiae aeternum promittitur. Ies. XI, 16. Dan. II, 44. VII, 14. Ps. CX, 4. Forsan etiam respicitur ad locum Ies. LIII, 8. Nec Iudaeorum talia decreta sunt rara aut obscura. *Eisenmengerus (Entdeckt. Judenth.* P. II. p. 652. sq.) laudavit Rabbinorum dicta, e quibus apparet, Iudaeos credidisse, Messiam ad finem usque rerum humanarum toti terrae dominaturum esse. Πῶς, *quo sensu?* ὑψωθῆναι) Scil. ἐκ τῆς γῆς, morte affectum, atque sic subtractum iri? τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου;) Patet ex his verbis, a Ioanne summam tantum orationis praecedentis relatam esse, non verba singula; nam haec plebis dicta ostendunt, Christum simul, quum de evectione diceret, nominasse *filium hominis.* Dubitant igitur, quis esset hic filius hominis. Dubitandi ratio erat haec: Tu videris Messiam et filium hominis pro eodem habere. Quodsi igitur exaltari a terra mori est: et si, quoties dicis filium hominis, te ipsum vis intelligi, aut non morieris, aut ille filius hominis non est Messias, si verum Prophetae vaticinati sunt.

35.

35. Ἔτι μικρὸν — ἔχετε) *Per breve tempus lumen inter vos est: incedite, quamdiu lumen habetis.* Non respondet Iesus ad illam plebis quaestionem, sed hortatur tantum, ut recte utantur sua doctrina. Utimini, inquit, me doctore et admonitore, quamdiu inter vos sum; non autem diu interero. Caetera usu discetis. Hoc exprimit per allegoriam. Τὸ φῶς, *doctor*, et monitor. Περιπατεῖν est *res suas agere, negotia sua tractare.* Vid. not. ad c. XI, 9. Hoc autem in allegoria est: Praestate officium, quod praestare debetis, ἕως τὸ φῶς ἔχετε, *quamdiu doctor adest.* Verba περιπατεῖτε, ἕως τὸ φῶς ἔχετε respondent phrasi: πιστεύετε εἰς τὸ φῶς, v. 36. coll. VIII, 12. Suscipite doctoris vestri doctrinam, eaque recte utimini, dum est occasio. ἵνα μὴ σκοτία ὑμᾶς καταλάβῃ) *Ne tenebrae in vos irruant;* ne forte, repudiata doctrina mea, destituamini occasione veritatis agnoscendae. Nam haec opportunitatis subtractio h. l. vocatur σκοτία. Καταλαμβάνειν de nocte s. vespera *ingruenti* Graeci usurpant inprimis, si illa homines opinione citius *occupat.* Exempla suppeditat *Kypkius.* καὶ ὁ περιπατῶν — ὑπάγει) *Qui enim in tenebris versatur, nescit quo vadat.* Miserrimus est, qui, luce salutari privatus, in ignorantia rerum divinarum versatur; ubique offendet, maior in dies eum occupabit mentis caligo, in perniciem ruet.

36. Ἕως τὸ φῶς — γένησθε) *Dum igitur doctorem habetis, fidem ei habete, ut veri sitis eius discipuli.* Τὸ φῶς est ipse Christus, et υἱοὶ φωτὸς *lucis participes*, vere edocti, Ephes. V, 8. Luc. XVI, 8. Vox υἱοὶ ex Hebraismo est explicanda. Scilicet Hebraeis filii dicuntur a re, qua sunt praediti, aut

cui

cui sunt dediti, et ad quam pertinent. Cf. *Vorstius* in Philolog. Sacr. P. II. cap. 24. καὶ ἀπελθὼν ἐκρύβη ἀπ' αὐτῶν) *Abiit et absondidit sese ab illis*, velut absentia silentioque suo mitigaturus illorum efferatam insaniam. Lucas addit c. XXI, 37. solitum fuisse Iesum inde ab illo tempore urbe exire, atque noctem agere Bethaniae, sc. ne ante opportunum tempus se ingereret periculis. Ceterum, quae hoc loco narrantur, biduum ante solemnia Paschalia evenisse videntur. Cf. Matth XXVI, 2. Marc. XIV, 1.

37. Ταῦτα — εἰς αὐτόν) Ioannes, iam ad finem properans, uno velut obtutu contemplatur hactenus narrata, et, quare disciplina Iesu non semper et ubique exoptatum successum habuerit, secum reputat, lectoresque reputare docet (com. 37 — 50.), ut facere solent interdum historiarum scriptores, longam seriem rerum, quas narrando persecuti fuerant, iudicio suo amplectentes, atque docentes, quae causae fuerint, propter quas virorum meritissimorum conatus irriti caderent, aliorum contra consilia, saepe temeraria et parum salubria, magno plausu probarentur. Recte haec observavit, totumque hunc locum v. 36 — 50. accurate illustravit *Morus* in Progr. 1788. scripto (repetit. in *Opuscc.* T. II p. 107.). Sic igitur exorditur Ioannes: *Quanquam Iesus tot documenta suae legationis divinae coram dederat, tamen ei fidem negarunt.* Σημεῖα sunt *documenta rei alicuius.* In Evangeliis intelliguntur documenta propter quae fides alicui haberi possit debeatque, nominatim vero miracula, quae habebant vim documenti, Iesum esse legatum divinum. *Credere* autem in Iesum hoc nostro et similibus locis, est eum agnoscere legatum Dei, nominatim Messiam,

eique

eique quum omnino docenti, tum declaranti, quis et qualis sit, fidem habere. Iudaei autem Iesu fidem negabant, non credebant εἰς τὸν πεποιημότα σημεῖα, i. e. non agnoscebant eum Deo dirigente docere, fidemque mereri, etsi huius rei documenta haberent. οὐκ ἐπίστευον, scil. maxima Iudaeorum pars.

38. Ἵνα ὁ λόγος — πληρωθῇ) *Ut adeo in hos etiam Iudaeos conveniret dictum Iesaiae Prophetae.* Notant enim Graeci, particulam ἵνα hoc etiam loco non αἰτιολογίας habere significationem, sed ἐκβάσεως, i. e. non causae, sed exitus, sive eventus; non enim isti ideo non crediderunt, quod dicta ea essent a Propheta, sed quoniam crediturі ipsi non erant, ita ut ratum fieret id, quod Propheta praedixerat. ὃν εἶπε) Iesaiae LIII, 1. τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;) *Quis fidem habet sermonibus nostris?* Ἀκοὴ, שְׁמוּעָה, est *res audita*, vel doctrina quae auribus percipitur. καὶ ὁ βραχίων κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη;) *Et quotocuique planum fit, Dominum esse potentissimum?* Βραχίων, *brachium* per Hebraismum est *potentia, robur. Cui revelatur?* Nemini fere planum fit et perspicuum divinam potentiam esse satis magnam ad efficienda ea, quae praedicuntur, vel accommodate ad rem praesentem: nemo fere agnoscit potentiam Dei in miraculis Iesu conspicuam. Conqueritur Propheta de hominibus sui temporis. Sed quoties idem fit, quod tum fiebat, toties eadem querela locum habet, et accidit illud, quod propheta dixit, praesertim si accidat in eadem illa re, de qua propheta dixerat. Ergo Ioannes proprie non interpretatur locum Prophetae, sed ad rem simillimam transfert. Indicat ergo hunc in modum: nationem Israeliticam sui semper similem esse,

nec

nec magis facilem se docilemque Iesu docenti praebuisse, quam olim se Prophetis docentibus praebuerat.

39. Διὰ — πιστεύειν) *Quippe non poterat eorum assensus exspectari.* Διὰ τοῦτο referendum est ad illud ipsum animi obstinati vitium, cuius comm. 38. facta erat mentio. *Quia* sermonibus Christi aures non praebebant, nec miracula ab ipso edita pro divinis agnoscebant, *ideo* non poterant credere. Theophylactus: τὸ οὐκ ἠδύνατο, ἀντὶ τοῦ οὐκ ἤθελον, eodem sensu. Illud *non poterant*, non est trahendum ad impedimentum divinitus iis immissum, sed ad indolem nationis Iudaicae contumacem. Ita saepe in communi vita dicimus, non posse aliquem aliquid facere, quia eius indoles, de qua satis constet, hoc non patiatur. ὅτι — Ἡσαΐας) Hoc non ita intelligendum est, Iudaeos Christo assentiri non potuisse, quia fuerit praedictum. Primo enim Iesaias ibi non loquitur de Messiae adspectabili commoratione olim exspectanda; deinde etiam, si de hac sermo esset, in illo Prophetae loco non dicitur Iudaeos fore immorigeros, quia praedictum sit, sed quia recalcitraturi essent, ideo praedici ita futurum.

40. Τετύφλωκεν — τὴν καρδίαν) *Excoecavit oculos eorum, et induravit cor eorum.* Quae Prophetae verba Ioannes memoriter allegasse, et nonnisi loci sensum exprimere voluisse videtur. Huiusmodi citationum etiam alibi in N. T. reperiuntur exempla. Locus autem, quem Ioannes respexit, extat Iesai. VI, 9. 10. Vates ibi v. 10. (explicante *E. F. C. Rosenmüllero* in Scholiis ad h. l.) *indurare* iubetur animum Iudaeorum, h. e. *praenunciare*, quod Deus illum *induraturus*, sive permissurus sit, ut induretur, istosque homines, quorum aures nullis monitis pateant,

pateant, surditati suae et poenis imminentibus sit relicturus. Saepe vero Prophetae *facere* dicuntur, *quae fore praenunciant*, ut *exstirpare*, *perdere*, *occidere*, pro *exitii denunciatione* (Ier. I, 10. coll. 9. et XXXI, 28. Hos. VI, 5. Ezech. XLIII, 3). Simili ratione *urbem capere* apud Plautum est, historiam captae urbis narrare. Ioannes, qui se ad Iesaiae locum respicere dicit, ita intelligendus est, ut, quae dicit, cum illo loco conveniant. Quare (*Lückio* T. II. p. 336. sq. recte observante) non licet, quod *Morus* aliique voluerunt, post verbum τετύφλωκεν subaudire: ὁ λαὸς οὗτος, et loco Pronominis αὐτῶν legatur Pronom. reciprocum: ἑαυτῶν, atque adeo vertatur: *Populus hic excoecavit suos oculos, et hebetavit suum sensum animi.* Sed ad Verba: τετύφλωκεν, πεπώρωκεν et ἰάσωμαι commune Subiectum subaudiendum est: ὁ θεός. Talia vero de Deo dicta sic mitigari solent, ut haec *faciens* intelligatur *permittere* ut haec fiant, quia cum natura et attributis Dei consistere non potest, eum excoecare aliquem; quae mitigatio non est in verbis, sed in re. Hanc vero sensus mitigationem *Lückius* admitti non vult; sed contendit, verba (v. 39.) οὐκ ἠδύναντο sensu strictissimo vertenda esse: *non poterant*; nec sic accipienda, quasi Iudaei Christo assentiri *noluissent*. Secundum popularis, inquit, theologiae Hebraicae placita *animi* quoque *indurationem* ad Deum tanquam auctorem esse relatam. Iudaeos omnino Christo fidem habere *non potuisse*, intelligi existimat e Domini dictis, Ioann. V, 39. 44. VI, 44. 65. VIII, 43. 44. At vero *Lückius* h. l. non satis sibi constat; et mirum sane, Virum Doctiss. ex aliqua parte fugisse huius loci sensum. Nam in sua illorum

locorum, ad quae provocavit, interpretatione, e. c T. II. p. 52. sq. 87 — 89. et 239. ipse affirmat, Iudaeos, si *voluissent* ad Christum trahi, ei fidem habere *potuisse*. Maxime autem Lückii sententiae adversatur locus c. V, 40. ubi disertis verbis Dominus dicit: *οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε* — Τυφλοῦν, proprie *occoecare*, metaphorice: *inscium, insipidum, stultum reddere;* et *τυφλὸς* dicitur, qui parum intelligit, c. IX, 39. Πωροῦν, proprie *callum obducere, durum reddere*, a *πῶρος, callum*, quo obducitur cutis; transfertur ad mentis stuporem et ingenii tarditatem; quod mentis vitium iis tribuitur, qui vim eorum, quae vident et audiunt, quamvis clara sint, tamen aut omnino non, aut certe aegre, vel non recte assequuntur et percipiunt. Καρδία h. l. est *mens, ingenium*. Cf. Matth. XIII, 14. sqq. *ἵνα μὴ — ἰάσωμαι αὐτούς*) *ut adeo nihil videant oculis, nihil sentiant animo, non in melius mutentur, neque ego iis mederi possim. ἵνα μὴ, usque eo, ut ne.* Τοῖς ὀφθαλμοῖς et *τῇ καρδίᾳ* redundat. Ἐπιστρέφεσθαι, *se convertere*, i. e. *se emendare*. Καὶ, pro *ἵνα*. Ἰᾶσθαι, metaphor. *iuvare, a malis liberare, consolari, tranquillum, felicem reddere*.

41. Ταῦτα — περὶ αὐτοῦ) *Haec Iesaias tum dixit, quum maiestatem eius conspiceret, et de eo loqueretur.* Respicitur ad Ies. VI, 1. seq. ubi describitur illud visum; quo Deus in throno sedens, cinctus magnatibus et ministris coelestibus, describitur. Interpretum antiquiorum et recentiorum haud pauci existimant, Ioannem respicere ad illa verba Iesaiae c. VI, 3. *Omnis terra plena gloriae eius*, sc. est, et magis magisque erit, nempe per eam rerum conversionem, cu-

ius

ius olim auctorem Deus exhibebit Messiam, et illam visionem a Iesaia descriptam pertinere ad declarandam gloriam Christi, quae inter alias gentes esset habitura locum, licet inter Iudaeos paene fuerit nulla. Aliis Ioannes dicere videtur, Iesaiam vidisse non tantum patris sed etiam filii gloriam, et illo ter dicto, *sanctus, sanctus, sanctus*, indicari patrem, filium et spiritum sanctum; quam sententiam vix persuadebunt Hebraismi gnaris. *Morus* l. c. de futura Messiani regni amplitudine in illo Iesaiae loco non esse sermonem, existimat. Offertur enim Prophetae ſpecies adspectabilis maiestatis divinae habentisque in omnia imperium Dei. Hanc ergo δόξαν adspectabilem vidit, non autem futurum quid mente animoque contuitus est. Igitur ex *Mori* sententia sensus est: *Haec Iesaias eo tempore, quo maiestas Dei per speciem ei oblata fuerat, declaravit, Iudaeosque de eo edocuit*, vel: *declaravit haec recens ab illo viso*, postquam solemniter muneri inauguratus fuerat. Verba περὶ αὐτοῦ ad Deum refert, et Ioannem putat hac temporis notatione haec fere voluisse monere: Iesaias exposuit, se missum esse docendi causa, Deum nosse asperos Iudaeorum animos et improbare, fore item, ut eorum patria vastaretur, et Deus homines adeo duros et obesos tandem aliquando sentire cogeret. Cf. etiam *Eckermann theol. Beyträge*, Tom. I. fasc. 2. p. 67. seq. Iam vero dubio caret, Iesaiam c. VI, 3. de Deo loquutum esse. Vid. *Rosenmülleri* Scholia ad h. l. Nihil tamen obstat, quo minus putemus, Ioannem ista Iesaiae verba pro vaticinio habuisse. Δόξα illa, quam Propheta adspexit, Ioanni erat visum symbolicum, quod ad Messiam pertinebat. Iesaiam igitur credidit spiritu Prophetico maiestatem Messiae vidisse de eoque vati-

cinatum esse. Nec Ioannes, nisi v. 41. utrumque Pronomen αὐτοῦ ad Christum referret (id quod et quae praecedunt, et quae sequuntur, postulant), Subiectum significare omisisset. Haec nostri loci interpretatio Interpretum antiquiorum plurimis fuit probata; ex recentioribus probatur *Semlero*, *Tittmanno* et *Lückio*.

42. Ὅμως — εἰς αὐτὸν) *Attamen etiam principum* (Assessorum Synedrii) *multi eum pro Messia habuerunt.* Ὅμως μέντοι, *nihilominus tamen*; quanquam plerique Iudaeorum ita perversi erant. Ἄρχοντες, aut omnino principes, aut senatores Iudaeorum. Ἀλλὰ — γένωνται) *Sed propter Pharisaeos non palam professi sunt; ne prohiberentur sacris et communione popularium suorum.* Vid. supra not. ad IX, 22. *Propter Pharisaeos*, quorum magna erat auctoritas in Synedrio. Cf. cap. IX, 22.

43. Ἠγάπησαν — τοῦ θεοῦ) *Magis enim cupiebant hominibus probari, quam Deo.* Pluris faciebant favorem hominum, assessorum Synedrii, quam favorem Dei. Vid. c. V, 44. Δόξα, *opinio de aliquo*, sive bona sive mala, iudicium, *favor*. Alii: *Quaesiverunt suum, non autem Dei honorem*, ut δόξα cum genitivo, sit eius, cui exhibetur: et μᾶλλον ἤ sit oppositionis, non comparationis.

44. Ἰησοῦς δὲ — εἶπε) *Et tamen Iesus palam docuerat.* Sic enim, nempe plusquamperfecto tempore exprimi debent haec verba. Non recitatur a comm. 44. ad 50. sermo aliquis, quem Iesus illo demum tempore, in quo scriptor versatur, habuit. Nam diserte dicit Ioannes v. 36., Iesum, finito illo colloquio, de quo ibi expositum fuerat, non amplius prodiisse in publicum

cum docendi causa. Nunc autem dicitur: Ἰησοῦς δὲ ἔκραξε καὶ εἶπεν, *palam docuit.* Est potius hic sermo (v. 44—50.) pars totius iudicii, adiecti a scriptore, declarante, non potuisse Iudaeos latere, quid Iesus vellet de se statui, qui tam aperte declaraverit qui esset, et quam salubri consilio inter eos versaretur; nam per triennium illud variis locis et temporibus palam et libere dixisse. Brevi igitur repetitione Ioannes summam exhibet sermonum, quos Christus habuerat. οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με) *Non tam mihi, quam ei, a quo missus sum, fidem habet.* Hoc dixit contra eos, qui putabant auctoritatem legis Mosaicae, a Deo datae, obstare, quo minus doctrina eius possit admitti

45. Καὶ ὁ θεωρῶν ἐμὲ, θεωρεῖ τὸν πέμψαντά με) *Qui me cognovit, is eum cognovit, qui me misit.* In meis operibus et sermonibus resplendent Patris maiestas et sapientia. Dum igitur quis opera mea meamque doctrinam cognoscit, cognoscit Patris mei potentiam atque consilia Θεωρεῖν et ὁρᾶν τὸν Χριστὸν, significat, *nosse Christi opera eiusque doctrinam,* ut c. VI, 36. 40. XIV, 9. 10. Hinc nostro loco v. 44. et 45. ita nectuntur, ut hic posterior rationem reddat prioris: Assentiens mihi, non tam mihi, quam patri assentitur. Inde fluit hoc, assensum Christo praebitum, praebitum item esse eius Patri.

46. Ἐγὼ φῶς — μὴ μείνῃ) *Ego lux in mundum veni, ut quisquis in me crediderit, in tenebris non maneat.* φῶς, *lumen,* fons et origo verae salutis. Σκοτία, *tenebrae ignorantiae et vitiositatis,*

et

et inde orta miseria. Cf. quae supra notavimus ad c. I, 4 5. VIII, 12. XII, 35.

47. 48. Καὶ ἐάν — σώσω τὸν κόσμον) *Quod si quis meorum auditorum fidem mihi negaverit, ei non ego sum auctor damni: non enim veni damnum hominibus daturus, sed salutem allaturus.* Pro πιστεύσῃ in aliis Codicibus, quorum multum valet auctoritas, legitur Φυλάξῃ. Lectio πιστεύσῃ ex interpretamento orta esse videtur. In verbo κρίνειν h. l. spectanda est notio adiuncta: *impertire alicui damnum meritum*, malo malam mercedem tribuere, cui contrarium ponitur σώζειν, *impertire aliquem salutem.* ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον) Hoc unice ago, hoc desidero, ne quisquam pereat, sed omnes ad resipiscentiam veniant, ut perpetuo serventur. 2 Petr. III, 9. Non negat Christus, recusantes doctrinam laturos esse damnum, sed negat, eos hoc laturos auctore Christo, quasi ipse causa damni sit, eiusque culpam habeat, quum illi potius sua ipsorum culpa sint perituri. — — 48. Ὁ ἀθετῶν — ἡμέρᾳ) *Qui me repudiat, (adversus me peccat meam doctrinam non admittendo,) is habet, qui ei damnum det: doctrina, quam proposui, haec, haec ei extremo illo tempore damno erit.* Ἀθετεῖν quum in scriptoribus graecis, tum in libris N. T. est *irritum facere aliquid*, i. e. rei auctoritatem et pretium detrahere. Itaque doctorem irritum facere, est auctoritatem ei detrahere, repudiare eum, non habere eum suo assensu dignum. Cf. vers. Alex. Ies. I, 2. cum hebr. verbis. Quomodo vero doctrina Iesu repudianti eam damnum dabit? Sensus est: e natura ipsius doctrinae repudiatae fluere hoc, ut repudians eam damnum percipiat, quemadmodum qui verum

verum ridet reiicitque, tamen tandem detrimentum inde natum percipit. Qui enim repudiat doctrinam, manet in errore, non liberatur ab incommodo, sed se ipsum reddit miserum. Qui igitur criminis *contumaciae* seu *dedignationis parendi* reus habetur, is, Christo auctore, eo ipso *condemnatus iam est*, h. e. non meliore est conditione, quam qui damnationem iam subiit et supplicio affectus est; perinde est, ac si condemnatus iam esset: iam enim miser *est*, quamquam non negatur, eum etiam miseriorem *esse futurum*. Quis enim beatum dixerit hominem, qui tantam Dei clementiam et caritatem tam temere aspernatur, ut ipsi filio Dei obsequium neget, sibique viam salutis, quam ille monstratum venit, pertinaciter praecludat? Ceterum cf. ad comm. 47. 48. quae supra notavimus ad c. III, 17. sqq. V, 45. sqq. VIII, 50.

49. Ὅτι ἐγὼ — τί λαλήσω) *Non enim mea sponte doceo, sed pater qui me misit, is mihi mandavit, quae dicenda et docenda a me sint.* Cf. notata ad Io. VII, 16. 17. VIII, 28. 38.

50. Καὶ οἶδα — αἰώνιός ἐστιν) *Et scio, ipsius doctrinam mihi traditam, habere hanc vim, ut homines possint per eam salutem aeternam consequi.* Ζωὴ αἰώνιος, metonymice, *causa felicitatis.* In obtemperando mandatis Dei aeterni est et continetur vita et felicitas aeterna. Ἃ οὖν — λελάληκε) *Quae igitur trado, ea ita trado, ut pater iussit*, plane ex mandato patris. Cf. c. VI, 39. 40. 63. 68.

CAP. XIII.

CAP. XIII.

1. Πρὸ δὲ — ἠγάπησεν αὐτοὺς) *Ante festum paschale, quum Iesus nosset, iam adesse tempus, quo sibi ex hac vita ad patrem redeundum esset, uti suos in his terris amaverat, ita etiam ad extremum iis documentum amoris dedit.* Πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς. De die non consentiunt interpretes. Vid. notanda ad c. XVIII, 28. Sed omnino sermo esse videtur de illa coena, qua Iesus simul sacram coenam instituit; omnia enim, quae hoc capite narrantur, conveniunt cum ceteris Evangeliis, ubi haec describitur. Vid. inprimis v. 21. 24 — 26. et 38. Ipsam institutionem sacrae coenae omittit Ioannes, ut ex ceteris Evangeliis notam. „Non definitur dies, quo haec gesta sint, sed summatim narrantur, prout Evangelistae consilio convenirent, quod quidem non fuit supplementa modo addendi ad reliqua evangelia, capi tamen non potuisset, nisi alia adfuissent; alioquin enim uberior ultimae coenae descriptio non abesset.“ *Vater* in N. T. ad h. l. ἵνα μεταβῇ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου πρὸς τὸν πατέρα) Iudaei haud raro mortem descripserunt tanquam *abitum* vel transitum ex mundo. Sic *Targ. Jerus.* Gen. XV, 2. *Ego abeo ex mundo. Targum Jonathan: ego transeo ex mundo.* — Tunc multus erat sermo de transitu Israelitarum ex Aegypto; quare *Philo* pascha vocat διαβατήρια. ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ) *Complexus amore in terris seu in hac vita domesticos et suos.* Theophylactus: τοὺς ἐνθάδε οἰκείους, ἤγουν τοὺς ἁγίους. Discipulos intelligi, nemo non videt. Apostoli peculiari sensu dici poterant Iesu *proprii*,

prii, utpote ad munus peculiare ab ipso delecti. *εἰς τέλος*, *ad extremum*, pro *ἐν τέλει*. Hoc autem loco *ἀγαπᾶν* est documenta amoris sui constantissimi edere. Eiusmodi insigne documentum est in ipso pedilavio.

2. Καὶ δείπνου γινομένου) i. e. *coena parata*, quumque iam accumbere coepissent, non autem, ut plerique accipiunt, *absoluta*. Verba *δείπνου γενομένου* verti posse: *coena parata*, docet locus Tob. II, 2. *ἐγενήθη ἄριστόν μοι, καὶ ἀνέτεσα φαγεῖν*, *prandium mihi paratum fuit, et accubui ad edendum*. Et cf. *Kypkium* ad h. l. Lotio pedum ante coenam fieri solebat, vid. Luc. VII. Itaque, quum Christus una cum discipulis iam accubuisset, ipse quidem, tanquam convivator, iterum surrexit, et horum pedes lavit. Hinc v. 22. dicitur de Iesu: *ἀναπεσὼν πάλιν*. *Piscator*, quem alii sequuntur, legi mavult *γινομένου*, et vertit: *dum coena fieret*. *Kuinölius* verba *δείπνου γενομένου* ita capit, ac si scriptum esset: *δείπνου ὄντος*. Vertit igitur: *cum coena fieret*, seu *inter coenandum*. Ea enim pedum lotio, ait, de qua hoc loco sermo est, erat et esse debebat plane extraordinaria. Τοῦ διαβόλου — παραδῷ) *Quanquam diabolus iam subiecerat Iudae Iscariotae consilium, eum hostibus tradendi*. Βάλλειν sc. *εἰς νοῦν* apud Graecos inspirandi, suggerendi notionem obtinet, ut docent *Kypkius*, *Wetstenius* et *Elsnerus*. Phrasin similem habet *Parthenius Nicaëns*. Erotic. c. 15. Ἀπόλλων ἐπὶ νοῦν αὐτῇ βάλλει σὺν ταῖς λοιπαῖς παρθένοις ἐπὶ κρήνην ἐλθοῦσαις λοῦεσθαι. *Apollo in mentem ei iniicit cum reliquis virginibus ad fontem venientibus ut lavaretur*. Ioannes atrocitatem sceleris fortius describere

scribere non potuit. Tantam fuisse Iudae perfidiam, Ioannes innuit, ut non videretur a tali discipulo Christi, quanquam avaro, exspectari posse, sed ad instigantem vim altiorem esse referendam. Cf. v. 27. et Act. V, 3. Luc XXII, 3. Sic *tentare* Satanas dicitur, cum tentationi succumbitur, 1 Cor. VII, 5.

3. Εἰδὼς — τὰς χεῖρας) *Quanquam porro noverat, sibi a Patre suo omnia esse demandata,* se caput et dominum omnium, nominatim coetus sui esse factum. Subaudi: tamen se demisit huc etc. Fecit igitur Christus tam humile obsequium, muneris rationem et dignitatem animo versans; quod auget facti aestimationem. καὶ ὅτι — ὑπάγει) Et se tam certo ad Deum rediturum, quam certo a Deo, coelo quasi relicto, antea ad homines exiisset. Ἀπὸ θεοῦ ἐξῆλθε, sc. εἰς τὸν κόσμον, ut alibi additur. Describitur legatio Christi. Pertinet etiam hoc ad illustrandam Christi dignitatem.

4. Ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου) *Surgit de coena;* nam accubuerat iam cum discipulis. Cf. v. 2. καὶ τίθησι τὰ ἱμάτια) *Deponit pallium,* quod istud manuum expeditum usum non permitteret. Τὰ ἱμάτια plurali sono singularem habet significationem, et pro Hebraeorum שִׂמְלָה ponitur, Iob. I, 20. Ipsi etiam Hebraei *pallium* plurali numero nominum בְּגָד et שִׂמְלָה notarunt, quia haec vestis non modo amplior erat et prolixior, sed etiam magnificentior ac splendidior interiore veste, i. e. tunica et stola. Exempla habes Ps. XXII, 19. Ruth III, 3. καὶ λαβὼν — ἑαυτόν) *Praecingit se linteo.* Λέντιον est vox latina *linteum.*

teum. Sic *κατ' ἐξοχὴν* dicebatur genus vestis durioris, e lino factae, quo servi apud veteres cincti erant, opus manuarium perfecturi, aut *linteum*, quo servi se praecingebant. Usus eius inest comm. 5. Itaque Iesus servos in hac re est imitatus, qui, sine pallio, aut alia veste exteriori linteo succincti, dominis suis ministrabant. *λεντιον*) *Linteum.* Talmudistae etiam hac voce utuntur, quam scribunt לנטירת et לונטירת. Auctor Lexici, quod Aruch vocatur, exponit Graece לנתין, quod Drusius emendat לנטרין i. e. *λέντιον.*

5. *Βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα*) *Effundit aquam* in vas, ut lavarentur pedes; quasi in labrum dicamus: nam *νιπτὴρ* a lavando est, et pelvim quoque Grammatici abluendis pedibus idoneum vas esse perhibent, unde et nomen volunt esse factum. Vas significatur ad lavandum, vel manus: *malluvium*, vel pedes: *pelvis.* Alias dicitur: *ποδανιπτὴρ*, *λέβης*, *Pollux* X, 78. *Βάλλειν* autem, si de *fluidis* usurpatur, significat *infundere*, ut hebr. שׁוֹפֵךְ, quod Alexandrini interdum per *βάλλειν* transtulerunt, e. g. Ezech XXI, 22. XXIII, 24. Idem verbum ab iisdem etiam *ἐγχέω* redditur, Exod. XXIV, 6. Solet quidem officium lavandi pedes iuxta morem Hebraeorum praestari hospitibus et amicis, sed hoc quod Christus gessit, habebat exemplum absolutae modestiae, ut mox ipse ostendit.

6. *Ἔρχεται οὖν πρὸς Σίμωνα Πέτρον*) Forsan primum ad Petrum accessit; ideoque Petrus, qui nullo alio exemplo iuvabatur, eo fortius restitit. *σύ μου νίπτεις τοὺς πόδας;*) *Tun' laves pedes meos?* Interrogatio recusationis habet significationem, quum id videretur fieri, quod non deberet.

7.

7. Ὃ ἐγὼ ποιῶ, σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι) Quid hoc sibi velit, quod ago, quo tendat id, quod agere instituo, ignoras adhuc. Effectus igitur ponitur pro causa efficiente. Μετὰ ταῦτα, *paullo post.* Rem Iesus accuratius explicuit inde a v. 12.

8. Οὐ μὴ — εἰς τὴν αἰῶνα) *Nunquam.* Vulgata formula iudaica. οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ) *Non est tibi mecum consortium;* pro amico te amplius non agnoscam. Μέρος, *negotium commune, consortium, coniunctio.* Ita voc. μερὶς 2 Cor. VI, 15. et 2 Sam. XX, 1. leguntur haec: אֵין לָנוּ חֵלֶק בְּדָוִד, quae verba LXX. reddiderunt: οὐκ ἔστιν ἡμῖν μερὶς ἐν Δαυίδ. Quaeritur, quonam consilio Christus haec dixerit et fecerit? Respondere solent, voluisse eum per hoc Symbolum discipulos dehortari ab arrogantia, iisque summum submissionis exemplum praebere. Quamquam autem hoc verum est, tamen consilium Christi multo latius patuisse videtur. Voluit nempe simul declarare, quod saepe antea declaraverat, qualis esset natura regni sui, et quo animo affecti esse deberent illi, quos sibi delegerat in exsequendo proposito suo administros. Discipuli nondum abiecerant spem vanam regni splendidi; contenderant potius inter se, quisnam eorum in regno illo futurus esset primus dignitate? quis secundus? et sic porro, Luc. XXII, 24. Quod igitur saepius verbis et factis declaraverat, se non fore regem splendidum, se nolle administros externis honoribus et divitiis inhiantes (Luc. XXII, 25. Matth. XVIII, 1. seq. c. XX, 28.), id nunc morti propinquus iterum declarat, non tantum verbis, sed etiam pedilavii actione symbolica, ne unquam huius rei memoria ex animis eorum elaberetur. Unde patet etiam, cur tam serio rem egerit Iesus,

Iesus, ut Petro, nisi per hoc Symbolum se edoceri pateretur, amicitiam renunciare vellet.

9. Κύριε, μὴ τοὺς πόδας μου μόνον) Sc. lavato, aut abluito. Potius quam abs te divellar, non solum permitto tibi lavandos pedes, quando ita vis, sed et manus et caput. Quibus verbis Petrus declarat, se vel maxime velle Iesu esse discipulum.

10. Ὁ λελουμένος — νίψασθαι) *Qui lotus est, ei non opus est ut lavetur nisi pedibus.* Ὁ λελουμένος h. l. est *lotus in balneo.* Nam ad convivium vocati solebant prius in balneo lavari; in domo vero convivatoria nonnisi pedes, quibus in via pulvis aut sordes adhaeserant, a servis abluebantur, ne lecti, super quibus accumbebant, macularentur, ut ex *Platonis* Conviv. *Plutarchi* Sympos. aliisque Scriptoribus probat Wetstenius. Idem hoc etiam apud Iudaeos more receptum fuisse videtur; atque hoc ritu discipuli procul dubio ante defuncti erant. Quapropter Iesus dixit, lotis non alia lotione opus esse nisi pedum, ut totum corpus purum sit: ἀλλ' ἔστι καθαρὸς ὅλος. Aliter *Kuinölio* de hoc loco visum est. Iudaei, inquit, ante coenam faciem et manus lavabant, et cibos illotis manibus captos, immundos fieri putabant (Matth. XV, 2. 20. Marc. VII, 3. 4.). Moris autem fuisse, ut convivarum, priusquam accumberent, pedes a servis lavarentur, idque non tantum propterea factum esse, ut pedes a sordibus purgarentur, sed omnino hanc pedum lotionem relatam esse ad *humanitatis* officia, quum et mundorum pedes lavarentur. Sensum igitur verborum ita esse constituendum: Nolo te a sordibus purgare, vel more Iudaeorum mundum reddere, non ergo opus est, ut tibi caput et manus lavem, volo tibi *humanitatis* offi-

officium praestare, ita ut servi partes ipse agam. Quae *Kuinölii* interpretatio facit quidem ad sensum huius actionis symbolicae, quam Christus exhibuit, illustrandum. Sed quo tenderet id quod agere instituebat, Iesus ipse explicat inde a comm. 12. Hoc autem loco Dominum in re ipsa peragenda adhuc occupatum fuisse, apparet. Iesum nunc nihil nisi *corporis* munditiem spectasse, ex eo quoque colligi potest, quod statim in verbis, quae sequuntur, more suo transitum facit ad munditiem *animi*. καὶ ὑμεῖς — πάντες, tropico sensu accipienda sunt. Καθαροὶ nempe nunc sunt puri sceleris, alieni a pravis consiliis, qui puram habent conscientiam. Sensus igitur esse videtur: Scio vos nihil mali vobis conscios esse, vos expertes esse pravorum consiliorum. Sed tales non omnes estis. Est unus inter vos, qui prava agitat consilia, qui me non sincere amat, sed mihi offensus est.

11. Ἤδει — καθαροί ἐστε) Patet ex his, Christum obscuro illo sermone (v. 10.) tangere voluisse conscientiam Iudae, animumque eius commovere, ut ad se rediret.

12. Ὅτε οὖν — εἶπεν αὐτοῖς) *Postquam igitur pedes eorum lavit, recepto pallio, iterum accubuit mensae, atque ita ad illos locutus est.* Τὰ ἱμάτια iterum est *pallium*, ut v. 4. τί πεποίηκα ὑμῖν) *Quid quantumque* id sit, quod ego Dominus subii istud servitium? Inest vero etiam illud: *Quamobrem* sic egerim? quorsum spectet, quod vobis praestiterim? Cf. v. 14.

13. Ὑμεῖς — ὁ διδάσκαλος) Vel est Vocativi loco positus

positus Nominativus, vel est mutata forma orationis, ut hoc dicatur: Vos compellando me, utimini his vocibus: Magister et Dominus, רבי, מרא. Φωνεῖν h. l. est *nominare, compellare.* Recte me agnoscitis pro vestro doctore ac Domino; nihil mihi alienum per adulationem adscribitis.

14. Καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας) Synecdochice unam speciem ponit pro omni genere officiorum, quae alter alteri etiam servilia et sordida, modo opportuna praestare potest. *Multo magis vos*, inquit, *qui conservi estis, debetis similia officia deferre. Pedilavium* proprio sensu non commendatur; nam ex moribus illorum temporum loquitur et agit hic Iesus. Paulus quoque in Epist. I. ad Timoth. c. V, 10. respicit tantum ad ritum in vita communi tunc temporis usitatum, quo mulieres pedibus hospitum aquam praebebant. Commendantur potius discipulis amoris et subiectionis officia, et ne alter super alterum se extollat, ut hactenus haud raro fecerant. Non est sermo de amore, quem quivis Christianus alteri debet, sed de arctissimo illo *amicitiae* vinculo, quo coniuncti Apostoli unitis viribus operam dare debebant tradendae et propagandae doctrinae, a magistro sibi traditae, omni aemulatione et contentione de primatu remota et abiecta. Vide dicta supra ad v. 8.

15. Ὑπόδειγμα ἔδωκα ὑμῖν κ. τ. λ.) *Exemplum praebui vobis, ut quemadmodum* (καθὼς) *ego vobis feci, vos quoque faciatis.* Vult enim ad se suumque exemplum a suis omnia referri. Cf. Matth. XX, 25—28. Luc. XXII, 27. Ostendi vobis, quid fieri a vobis oporteat; ut memores huius mei exempli, ab omni fastu alie-

alieni, honore, et amicitia et obsequio vos invicem prosequamini, ut abiecta spe vana externorum honorum et commodorum desinatis contendere inter vos, quis futurus sit primus, et omnes aequales dignitate esse putetis. Christus autem, pedes discipulorum lavans, praeceptioni de mutua caritate, suo exemplo ab ipsis colenda (v. 34.) proludere voluit. In illa igitur lavatione mutui officii quaedam quasi pictura inerat, ita ut discipuli viam conspicerent (*τὴν καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν*, 1 Cor. XII, 31.), qua iis esset ingrediendum, qui satisfacere illi officio vellent. Ceterum quod attinet usum voc. *ὑπόδειγμα*, *Lobeckius* ad *Phryn.* p. 12. haec monuit: Praeter unum Demosthenis exemplum, quod nunc iam necessaria emendatione sublatum est, atque alterum Xenophontis (de re equestr. II, 2.), de quo et ipse addubito, nullum antiqui et Attici scriptoris testimonium proferri potest, Graecos melioris notae *ὑποδείγματος* vocabulo usos esse. Usurpant illi potius *παράδειγμα*.

16. *Ἀμὴν — πέμψαντος αὐτόν*) Tritum proverbium. Matth. X, 24. Luc. VI, 40. et infra XV, 20. *Ἀπόστολος* hic generale nomen est, missum cum mandatis significans, ut Hebr. III, 1. Phil. II, 25. Repetit Iesus tacite, quod dixerat, se ipsorum esse dominum ipsorum confessione; quare non debere eos se indignum ducere, quod ipse non detrectasset. *Minister non debet sibi maiorem dignitatem arrogare, quam qua Dominus est.* Sicuti ego nunquam spectavi externos honores et commoda huius vitae, sed ad servilia ministeria me demisi, ita etiam vos non decet ambire honores et externum splendorem, sed aliorum studiis inservire, et in eo quaerere honorem, ut meo exemplo

exemplo alter alteri officia humanitatis et amoris mutui praestetis. Quod autem se modo dixerat *magistrum*, nunc dicit *mittentem*, quia in hoc eos instituerat, ut eorum opera uteretur.

17. Εἰ ταῦτα οἴδατε – αὐτά) Si intelligitis haec, et novistis quo pertineant, et quid sibi velint, alterum nempe alteri se postponere debere, restat scilicet ad felicitatem necessitas exequendi.

18. Οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω) Sc. ταῦτα. Non de omnibus tam bene spero; non omnes vos ita μακάριοι eritis. Est enim inter vos aliquis, qui iam omne obsequium studiumque in me exuit. Possunt etiam sic explicari haec verba: *Non loquor de omnibus* vobis, sc. dum vos adhortor ad illam submissionem et mei imitationem. Scio unum inter vos esse, qui iam admonitiones meas ad se pertinere non putet; huic ea, quae ego modo dixi, dicta non sunt. ἐγὼ — ἐξελεξάμην) *Ego novi* (probatissimos) *quos delegerim*, sc. comites vitae meae per triennium et futuros doctores Cf. supra c. VI, 70. Horum indolem novi; scio qui mei sint mansuri, et qui sit discessurus. ἀλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ) *Sed, valet illud effatum.* Post ἀλλ' comma ponendum videtur, ut indicetur subintelligi aliquid. Sensus est: Sed, (hoc evenit scilicet) ut alio exemplo confirmetur, quod scriptum est Ps. XLI, 10. Nam Davides in Psalmo loquitur de proditione Mephibosethi, filii Ionathanis, nepotis Sauli. Iste enim Mephibosethus, alumnus Davidis, convictor fuit mensae eius (2 Sam IX, 7.), et tamen postea in seditione Absalonica non deduxit Davidem fugientem, sed insultavit ei. Cf. *E. F. C. Rosenmülleri* Scholia

ad Ps. XLI. — Quae igitur Davidi obtigerant, ea Christus ad suam historiam applicabat. ὁ τρώγων — πτέρναν αὐτοῦ) *Qui convictu meo utitur, calcibus me petit.* Sensus est: *Qui convictu meo utitur, adeoque amice a me tractatur, is se hostiliter contra me extollit, meque pedibus conculcare studet*, i. e. contumeliose me tractat. *Pane alterius vesci* dicuntur, qui ab eo aluntur, ut 2 Sam. XII, 3. inprimis autem ministri, qui a Dominis nutriuntur. Nehem. V, 14. 18.

19. Ἀπ' ἄρτι — ἐγώ εἰμι) Haec ideo nunc iam commemoro vobis, antequam existant, ut, postquam extiterint, credatis me esse, eum scilicet, quem saepius esse me dixi, filium Dei, Messiam. Cf. VIII, 24. Nisi dixissem, poterat ubi evenisset hoc vos offendere. Πιστεύσητε, i. q. firmissime credere pergatis. Ubique etiam in hoc Evangelio agitur de confirmanda hac persuasione, unde obsequium praeceptis pietatis virtutisque praestandum penderet.

20. Ὁ λαμβάνων — πέμψαντά με) Vide Matth. X, 40. De nexu horum verborum cum iis, quae comm. 19. leguntur, valde dissentiunt Interpretes. Et quidem alii nullum omnino, neque cum ante dictis, neque cum iis quae proxime sequuntur, nexum sibi reperisse visi sunt; alii Ioannem aut nonnulla praetermisisse, aut alio tempore dicta huic orationi inseruisse opinabantur; alii ab aliena manu haec adscripta fuisse suspicabantur. Sic *Kuinölius.* Sed quum in omnibus libris haec verba legantur, omnium Codicum consensum parvi ducere vix licet. Ex iis, qui hunc locum pro parte huius Christi orationis haberent, alii eum cum v. 16. cohae-

rere

rere putabant, alii vario modo cum v. 19. connectere studebant. Ex *Mori* sententia Iesus haec verba addidit, ut consolaretur discipulos. Q. d. Non omnes homines vos spernent, aut deprimient: erunt etiam qui vos excipiant; hos autem praemiis ornabo. Nolite igitur desperare, si alii vos deprimunt, et despiciunt. Sed calamitatum a discipulis perferendarum h. l. nulla mentio facta erat. Aliorum opiniones vid. apud *Kuinölium*. Ex nostra quidem sententia comm. 20. cum v. 19. bene cohaeret hoc modo: Iesus discipulos suos constituerat, ut futuri essent veritatis doctores. Iam vero tempus instabat, quo Domino tristissima fata erant perpetienda. Cavendum igitur erat, ne Apostoli, quum Iesum inimicorum suorum insidiis periturum viderint, de fide plane desciscerent. Quare dixit Iesus: *Praedico* vobis haec, ut vobis ostendam, me, ex quo omnia evenient, consilium Patris probe novisse, et ad ea quae Pater voluerit exsequenda esse paratissimum (coll. XIV, 29—31.). Nolite igitur, inquit, offendi, quum tristia me perpeti visuri eritis; nam *sicuti, qui, quem ego mando, probet, me ipsum probaverit: itidem, qui mihi fidem habuerit, ipsi ei, qui me misit, fidem habet.* Vis orationis in ultimis verbis est. Ne offendantur discipuli cavere voluit. Itaque hoc, ait, non aliorum tantum, ad quos edocendos vos ut legatos meos mittam, sed etiam *vestrum* est, ut credatis, me ex Patris mandato et res meas gerere, et tristia perpeti. Vos persuasos esse oportet, quae praedixerim, ea a Deo ipso vobis esse revelata, cuius equidem consilia novi Ne igitur animo desperetis.

21. Ἐταράχθη τῷ πνεύματι) *Perturbatus est*

animo, i. e. vehementior tristitia ex vultu atque voce facile patuit. Tristitiae causa fuisse videtur, quod videret, Iudae animum his sermonibus non commoveri; non redire hominem improbum ad se, sed firmiter perstare in pessimo proposito. Ut igitur conscientiam hominis tangeret, nunc disertis verbis dixit, quod modo obscurius significaverat. ἐμαρτύρησε) *Dixit*, sancte affirmavit, cum asseveratione iterum testatus est. Ὅτι — με) *Unus e numero vestrum me in hostium potestatem tradet.* — Quae in ceteris Evangeliis narrata Ioannes non commemorat, ea evenisse nocte illa certe non negat.

22. Ἔβλεπον — λέγει) *Discipuli igitur se mutuo adspiciebant, dubitantes, de quonam dixerit.* Βλέπειν, pro ἐμβλέπειν. Ἀποροῦμαι, metaphorice est: *haesito, inops consilii sum, nescio quid statuam, dicam aut agam.*

23. Ἦν δὲ — ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ) *Recumbebat autem unus discipulorum Iesu in eius gremio*, proximus ei accumbebat. Ἀνακεῖσθαι dicitur de convivis accumbentibus ad mensam. Nam tempore Christi non tantum Graeci et Romani, sed etiam Iudaei, cibum capientes, non sedere, sed accumbere solebant in lectis, corpore in latus sinistrum inclinato, et capite ad mensam porrecto. Singulis in lectis accumbebant tres, interdum quatuor, raro aut nunquam plures. Qui infra ad pectus aliorum accumbebant, *in gremio* eorum accumbere dicebantur. In gremio aliorum accumbebant, qui maxime ab iis amabantur. ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς) cum emphasi, quem prae ceteris Iesus diligebat. Hac modesta circumlocutione se designare solet Ioannes, ut infra c. XIX, 26.

24.

24. Νεύσι — περὶ οὗ λέγει) *Nutu igitur ei significavit Simon Petrus, ut sciscitaretur, quis esset, de quo diceret.* Νεύειν, *innuere*, nutu significare aut iubere. Πυνθάνεσθαι, *sciscitari.* Πυθέσθαι pro ὥστε πυθέσθαι.

25. Ἐπιπεσὼν — τίς ἐστιν) *Is igitur propius ad pectus Iesu admotus, interrogavit, quis esset.* Ἐπιπίπτειν est *allabi, admovere se, inclinare.* Pro ἐκεῖνος codd. vetusti nonnulli, consentientibus versione Gothica et Euthymio, habent ἐκεῖνος οὕτως, *ille, ut erat,* ut opportunitas ferebat, interrogavit eum. Ceterum submissiori voce Ioannem Dominum interrogasse, et Iesum itidem submissa voce respondisse, narrationis series docet. Cf. v. 28. 29.

26. Ἐκεῖνός — ἐπιδώσω) *Is est, cui* (scil. nunc temporis) *offam iusculo intinctam dabo.* Ψωμίον est *quaevis escae particula*, offula, sive panis, sive alius escae. Βάψας τὸ ψωμίον, pro τὸ ψωμίον βεβαμμένον, intinctum frustulum, scil. iusculo. Iesus patrisfamiliae personam agebat, qui, coena ad finem inclinante, particulas de carne agni Paschalis residua abscindere et singulis convictoribus offerre solebat. Dominus, quum Ioannes eum interrogaret, vel initium faciebat a Iuda, vel in porrigendis ψωμίοις ad eum ordine devenerat. Hodie adhuc mos in Oriente viget, ut acida quaedam, oxygara vel talia huius generis iura reliquas ad patinas adstent, in quas manibus, siquidem furcis et cultris non utuntur, singuli offas intingunt, sicque proprio aut hospitum ori porrigunt, teste *Lüdecke* in Expos. brevi etc. §. 27. Ostendit Christus summam suam lenitatem,

tem, qui nunc etiam perfidiosum amoris quodam testimonio ad resipiscentiam provocat.

27. Μετὰ τὸ ψωμίον) Post offulam, sc. *sumtam.* τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ σατανᾶς) *Tunc invasit eum Satanas.* Εἰσῆλθεν omnino vertendum esse videtur: *invasit.* Hoc, si intelligatur maxime proprie, erit: invasit vel corpus vel animum. De corpore nemo cogitabit; ergo invasit animum. Sed hoc non erit ita intelligendum, quasi Satanas se immiserit in animum Iudae. Ergo per laxiorem sensum, quem natura sermonis admittit, dicendum erit, exortam esse in mente Iudae hanc diabolicam cogitationem, vel firmatum esse eum in hoc diabolico proposito. Qui sic loquuntur, nolunt verba sua urgeri, sed volunt exprimere tali modo foeditatem et summam pravitatem. Ergo in illo *invadere* nihil aliud inest, quam in aliis formulis, sc. in potestate Satanae esse, laqueis Satanae captum esse, 2 Tim. II, 26. Iudas haud dubie, conscientia monente, intellexit de ipso agi; non autem Magistri vox, ut serio cogitaret de coeptis, efficere potuit, sed ira incensus, in detestando suo proposito se confirmavit. ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον) Usitata mutatione: *Quod facis, seu facinus conceptum, perfice celeriter.* Est autem haec non cohortatio Iesu ad opus sceleratum, sed quasi exprobratio, qua deterreri potius quam incitari illum, fuisset aequum. Ut: *I, sequere Italiam.* Et Adelphis: *effundite, emittite, facite quod vobis lubet.* Apparet itaque, irritatum Iudam properasse ad patrandum cogitatum scelus.

28. Τοῦτο — εἶπεν αὐτῷ) *Quo autem haec vox Iesu spectaret, convivarum nemo fere intellexit.* Οὐδεὶς)

Οὐδεὶς) Praeter Iesum, Ioannem et Iudam. Πρὸς τί, *quo consilio.*

29. Vid. supra c. XII, 6. Quum Iesus, qui sciret mortem sibi instare, de comparandis iis, quae ad sequentes dies festos necessaria essent, minus sollicitus fuisset, quidam discipulorum suspicabantur, Iesum Iudae mandasse, ut emtum iret; alii tamen recordati, quod sumta Paschatis coena festum iam incepisset, quo nulla emendi facultas esset relicta, Iudam iussum esse existimabant, ut egenis aliquid distribueret. Utraque opinio ex ea animi aegritudine orta esse videtur, quam Christi verba discipulis moverant. Neque ex hoc loco colligi potest, Iesum cum Sadducaeis coenam Paschalem uno die anticipasse.

30. Ἦν δὲ νύξ) Initium noctis; nam qui sequuntur sermones in multam noctem sunt protracti.

31. Ὅτε οὖν ἐξῆλθε, λέγει ὁ Ἰησοῦς) Versiones nonnullae verba, ὅτε ἐξῆλθε, antecedentibus iungunt, omisso οὖν. νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου) *Nunc in eo est, ut vera gloria filii hominis seu Messiae luculentius declaretur.* Nam ἐδοξάσθη est praeteritum *propheticum.* Significat Christus, mortem suam instare, quae licet iuxta mundum ignominiae plena videretur, tamen Patris simul et suam gloriam esset illustratura. καὶ ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ) *Et maiestas Dei per eum omnibus patefiet.* ἐν αὐτῷ, *per eum*, sc. filium hominis, seu Messiam. Per Christum Dei verum honorem clarissime cognosci, notum est. Cf. notata supra ad cap. XII, 23. 28.

32. Εἰ ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ) *Si haec Dei maiestas*

iestas hominibus per eum innotuit. Christus, sicuti per doctrinam, ita etiam per mortem suam illustravit honorem, bonitatem et sapientiam Dei. καὶ ὁ θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ) *Deus eum honore afficiet per se ipsum*, per resuscitationem e mortuis, evectionem in coelum, et donationem summae dignitatis. Ἐν ἑαυτῷ, vel *per se*, vel *secum.* εὐθύς, *brevi, mox.*

33. Τεκνία) *O mei, carissimi*, vocabulum blandientis et eius, qui loquitur paterno motus amore. Cf. Gal. IV, 19. 1 Io. II, 1. Ἔτι μικρὸν) Sc. χρόνον. ζητήσετέ με) *Flagrabitis desiderio mei*, et consuetudinis meae. καὶ καθὼς — λέγω ὑμῖν) *Sed quod dixi Iudaeis: quo ego vadam, me non poteritis* (iam) *insequi; idem et vobis iam dico.* Non *iam* poteritis mecum mori, v. 36. νῦν. Occurrunt haec verba etiam c. VII, 33. 34. VIII, 21. sed alio sensu. Quae enim tunc subiunxerat: *sed non invenietis me*, itemque: *et contumacia vestra* (ἡ ἁμαρτία) *exitium vobis afferet*, ea nunc consulto omittit, non modo propterea, quod hi auditores a contumacia, quam Iudaeis exprobraverat, alienissimi erant, sed etiam ideo, ut eos suum post discessum meliore loco futuros esse doceat. Quibus expositis iam in eo versatur, ut demonstret, fidis sectatoribus suis id non negari, quod contumacibus prorsus negatum sit, sed ad futurum tempus differri. — De morte sua et reditu ad Patrem loqui Dominum, dubitari non potest (vid. v. 36.). Sed hoc discipuli tum non intelligebant, quia Messiam non esse moriturum arbitrabantur.

34. Ἐντολὴν καινὴν — ἀλλήλους) *Heumannus* post *Gillium*, Anglum, ἐντολὴν illustrat allatis exemplis morituro rum, qui *mandant*, vel significant quid a suis agi

agi et curari velint. *Ultima voluntas* dici solet ab ICtis. Praeceptum *novum* Semlerus explicat *inexpectatum* his discipulis, de praecipuo honore in regno Christi inter se iam disceptantibus. *Wetstenius* putat, *novum* fuisse *praeceptum* de diligendis etiam gentibus, eosque fratrum loco habendis, etiamsi caeremonias Mosaicas non observarent. Secundum alios *novum* vocat Christus hoc praeceptum, quia illud a spuria explicatione antiquorum Rabbinorum vindicaverat, et quasi *innovaverat*. Aliis ἐντολὴ καινὴ est *praeceptum praestantissimum;* quem significatum καινὸς interdum habet ad imitationem hebraici חָדָשׁ, eo modo, quo שִׁיר חָדָשׁ ᾆσμα καινὸν, *carmen eximium*. Prophetae regio et aliis non semel dicitur. Quae tamen interpretationes omnes parum firmamenti habent, sive communem dicendi usum spectes, sive eum qui Christo proprius est. Quare nonnulli veterum doctorum, quos recentiorum plurimi recte sequuntur, ita acceperunt, ut vim totam esse in eo vellent: καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ita ut Iesus exponat, qualem requirat dilectionem, talem nimirum, quae pro aliorum aeterna salute nulla defugiat incommoda, ne mortem quidem. Haec enim est illa Christi dilectio, qua nos dilexit, infra XV, 13. Cf. 1 Io. III, 16. Singularis extat de nostro loco *Knappii* Commentatio (*Exercitatio in locum de novo praecepto Christi, Ioann.* XIII, 34. *atque huic geminum* XV, 12. 13. 17. *item* 1 *Io.* II, 7 — 11. *et* 2 *Io.* 5.; repetita in *Opuscc.* P. I. p. 329. sqq.), quam igitur in hac nostra interpretatione diligenter consuluimus, atque in nostrum usum convertimus. Causae vero, cur Christus illud praeceptum dixerit *novum*, quae-

quaerendae sunt in *serie orationis*, in *natura rei*, in *personis* de quibus sermo est, et in ipso *tempore*, quo Iesus haec dixit. Quae, ut paullo uberius explicamus, ipsa rei gravitas flagitat. Iam vero *orationis seriem* conspiciamus. Omnino in postremis his sermonibus id imprimis Christo erat propositum, ut non modo discipulis afflictis consolationem exhiberet, sed etiam ex sua interiore disciplina ea explicaret, quibus ferendis capiendisque illi iam tunc pares esse viderentur. Cf. c. XVI, 22. Eiusdemmodi sunt, quae eo tempore exposuit de patrocinio Spiritus sancti, de sua cum veris sectatoribus suis coniunctione, de tolerandis Evangelii causa calamitatibus, de precibus suo nomine fundendis, de illustratione maiestatis suae et Patris, denique de morte sua huiusque fructu. Quae autem antea Iesus iam attigerat, ea nunc remotis imaginum involucris tam dilucide explicuit, ut discipuli ipsi profiterentur, se nunc interprete non egere; vid. c. XVI, 29. coll. Luc. IX, 45. XVIII, 34. At insunt etiam in his sermonibus, quae Iesus tunc primum praecepit, promisit, instituit. Quare *mutuae caritatis* praeceptum recte *novum* dicitur, ratione habita tam Iesu ipsius, qui claris verbis id nondum dederat, quam Apostolorum, qui nondum illud audiverant. Sensu enim et quod attinet *rei naturam*, distant duo illa Christi praecepta, quorum altera *amare quemvis alium sicut nosmet ipsos* iubemur (Matth. XIX, 19. XXII, 37. 40. Luc. X, 27.), altera *mutuum caritatis studium* commendatur (τὸ ἀλλήλους ἀγαπᾶν, c. XII, 34. XV, 12. 17.). Genere quidem utrumque idem esse intelligitur; verum parte quadam et tanquam gradibus alterum ab altero differt. Ut enim prius, quod a Mose (Levit. XIX,

18.)

18.) sumtum est, Christo interprete, ad universitatem generis humani, atque adeo ad ipsos hostes spectat; ita posterius praeceptum ad pauciores, h. e. ad genuinos Christi sectatores, proprie pertinet, ut qui propter morum studiorumque similitudinem cum Christo et inter se coniunctissime vivere et possint et debeant. Novum igitur est praeceptum, cum Christus dicit: sic diligite, *ut ego vos dilexi*. Videlicet nemo doctorum ante illum tale discipulis praeceptum mutui officii dedit, aut dare potuit. Namque, ut est apud Paulum Rom. V, 6—8., pro *insonte* vix quispiam morietur, pro *benefico* autem vel bene merente, forsitan aliquis, beneficiis aut amicitia ei devinctus, mori sustineat: id vero plane *novum* fuit, atque antehac inauditum, quod ille insigni suo erga *sontes* amore permotus, sua sponte et voluntate (Io. X, 18.), imo libentissimo animo mortem pro eis occubuit. Amor mutuus describitur igitur ut signum societatis Christi, et nominatim amor exserens se talibus factis, qualibus Christi amor se exseruit, atque ideo se exserens, quoniam Christus hoc exemplum praebuit. Porro *novum* erat illud praeceptum propter *personas*, quibus commendabatur. Manifestum est, omnem orationem ad hos solos dirigi, quos Iesus dignos iudicasset honorifico nomine τῶν φιλῶν, τεκνίων, ἰδίων, ἰδίων ἑαυτοῦ προβάτων (c. XV, 14—16. XIII, 33. X, 3. 4. 12. XIII, 1.). Sic enim eos compellare dignatur, qui voluntati Patris coelestis per omnia obsequuntur, ac faciunt, quaecunque Christus praecepit (XV, 14.). Dixit igitur Iesus haec suis discipulis, qui profecto hucusque non putaverant, talem amorem esse notam sectatorum Christi, sed potius hoc esse signum, quo agnosci possit, eos esse

sectatores magistri sui, si in regno eius insigni et conspicuo fruerentur honore, quem toties expetierant. Ergo discipulis tali sensu imbutis novum erat hoc praeceptum relate ad ipsorum sensus et indolem; antea enim sibi longe aliud persuaserant, quod eo magis hic spectandum est, quoniam sub hoc ipsum tempus rixa de principatu in regno eius inter eos orta erat; quare errorem eorum corrigere voluit Iesus partim pedilavio, partim etiam hoc sermone. Quaestio autem existit, num Christus, novum suum praeceptum exhibens, solos Apostolos, an etiam alios sectatores spectaverit. Iam vero, etsi iis sermonibus, quos Iesus eo tempore inter coenandum et post coenam habuit, praeter Apostolos nemo interesset: ipsis tamen Apostolis persuasissimum fuit, et haec et multa alia, quae tum Christus praeceperit, omnibus esse dicta, quotquot in Iesu disciplinam sese tradiderint, et tradituri sint. Statim comm. 35. Christus ipse docet, quemadmodum suum quemvis schola quasi titulum habeat, ita suae disciplinae veros alumnos *mutuae caritatis* nota insigniri. Cf. c. XV, 12. et c. XVII. Ioannes, qui in I. Epist multus est in commendando amore fraterno, ipsis Christi verbis, ut solet, utitur, c. III, 16. coll. v. 13. 14. Nec alio sensu intellexit Paulus, Gal. VI, 12. Ephes. IV, 1. sqq. coll. Actor. IV, 32. Apostoli etiamsi alibi τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους simpliciter suis iniungant, talem tamen amorem intelligi voluerunt, qui ad similitudinem amoris Christi erga nos quam proxime accedat. Denique etiam spectandum est *tempus*, quo Christus docuit, et haec dixit. Floruit nempe adhuc religio Iudaica, in qua nota cultorum Dei posita fuit in circumcisione, in sacris faciundis in templo

plo Hierosolymitano, in caerimoniis et ritibus ex lege Mosaica observandis. Quare et quoad tempus *novum* erat Christi praeceptum. Nullum autem aliud tempus fuit, quod ad commendandum hoc praeceptum magis idoneum videri posset. Iam enim Apostoli diuturno familiaritatis usu cum Christo coniuncti, qualis et quantus eius amor esset, experti didicerant, poterantque etiam in hac re *testimonium de eo perhibere*, *ut qui ab initio cum illo versati essent*, vid. c. XV, 27. Satis hucusque praeparaverat Iesus suorum animos ad summum praeceptum accipiendum; maxime autem pedilavio providebat, ne tantum tamque salutare praeceptum e memoria Apostolorum umquam excideret. Vid. not. ad XIII, 16. Denique id quod caput est, Christus tum in eo erat, ut mortem oppetendo amicis tale amoris documentum daret, quo nullum dari maius potuit (XV, 33.). Ergo tunc demum discipuli, quale hoc praeceptum esset, quamque vim haberet, penitus perspicere poterant. — Verba igitur v. 34. sic iungenda sunt: Καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, *novum hoc a me accipitis praeceptum, ut vos mutuo diligatis; ut, inquam, quemadmodum ego vos dilexi* etc. Hunc in modum Praepos. ἵνα saepissime transponitur, e. c. supra v. 29. 2 Io. v. 6. Qui enim vel id agunt, ut dicendo audientibus exspectationem moveant, vel vim addere dictis volunt, hi saepe sic loquuntur, ut eandem sententiam continuo bis efferant, primum inchoatam aut paucis verbis expressam, deinde pleniorem, ut oratio tum demum confecta et absoluta dici possit.

35. Ἐν τούτῳ — ἐν ἀλλήλοις) *Si diligitis vos invicem,*

vicem, omnes inde cognoscent, vos discipulos meos esse. Ex hoc loco etiam apparet, non qualescunque intelligi, qui Christo nomen dederint, sed eos tantum, qui fraternam caritatem sanctissime colant, ut *veri* Iesu discipuli se gerant. *Fraterna* autem caritas in N. T. ea nominatur, quae inter Christianos, Christo probari cupientes, mutua intercedit. De quo apud Petrum luculentus exstat locus, Ep. II. c. 1, 7., ubi *fraternae caritati* opponitur ἡ ἀγάπη, communis sive popularis amor, h. e. talis, qui non solum *fratres*, (οἰκείους τῆς πίστεως, Gal. VI, 10.) sed *quemvis alium* (τὸν πλήσιον, τὸν ἕτερον) amplectitur, ac de omnibus cuiusvis loci et ordinis hominibus bene mereri studet. Cf. et 1 Thess. III, 12. V, 15. — Ἐν τούτῳ pro ἐκ τούτου, s. διὰ τούτου, *ex hoc, per hoc.* Discipuli Pharisaeorum noscebantur ex habitu et caeremoniis; Ioannis Baptistae ex vitae austeritate et ieiuniis; at discipuli Christi cognoscuntur imitatione magistri, i. e. mutua dilectione. Recte hic Grotius: „Quid dicerent veteres Christiani, (Apostoli) si nunc notas ecclesiae audirent magnis certantium clamoribus adferri omnes potius, quam illam, quam magister adsignavit?“

36. Interpellatur Dominus a Petro his verbis: Κύριε, ποῦ ὑπάγεις;) *Domine, quo abis*, ut sequi te nequeam? Existimavit Petrus, Dominum iter parare in regionem longinquam, plenum incommodis. ὅπου — ἀκολουθῆσαί) *Nunc me nondum comitari potes.* Recte significat Iesus Petro, nondum illi esse sat animi, ut mortem subeat, per quam iter fit in coelum. Opportunitate autem illius interrogationis Iesus statim

sic

sic utitur, ut locum, quo proficiscatur, suis non inaccessum fore ostendat. Quippe partem iterans sententiae ante (v. 33.) propositae, suo more eandem, additis aliquot verbis, explet planioremque facit in hunc modum: ὅτου ὑπάγω — ἀκολουθήσεις μοι) Quo ego vado, eo tu me *nunc* quidem sequi non potes; *sed postea sequeris me.* Vide infra c. XXI, 18.

37. Διὰ τί — ἄρτι;) Quid impedit? Putasne ulla itineris molestia me terreri? Impatiens erat Petrus omnis seiunctionis a Domino, etiam temporariae. τὴν ψυχήν — θήσω) Si opus sit, etiam mortis discrimini me pro tuo capite obiiciam. Phrasin habuimus supra c. X, 11.

38. Τὴν ψυχήν — θήσεις;) Interrogatione hac significat Iesus, se minime id credere. οὐ μὴ — τρίς) *Prius ter negabis me tibi cognitum, quam gallus cantet.* Ioannes accuratior est ceteris Evangelistis in designando tempore, quo Iesus hoc praedixerit. Cum Ioannis narratione maxime tamen congruunt, quae Luc. retulit c. XXII, 21—38.

CAP. XIV.

1 Christus, quum arrogantiam Petri, confidentius, quam par erat, de se praedicantis, tam graviter cohibuisset (XIII, 38.), ut ille nihil reponere auderet, rursus ad omnes convertit orationem, idque eo consilio, ut vocem illam solatii plenissimam, *me praeeuntem posthac sequeris* (XIII, 36.), pluribus verbis explanaret. Quae promissio ad universos pariter pertinebat.

nebat. Iesus ea hoc Cap. fusius edisserere instituit, quae initio sermonis, c. XIII, 33. sqq. de abitu suo dicere coeperat. Cf. *Knappium* (Opuscc. P. I. p. 273. sqq.), qui locum huius Cap. comm. 1—7. optime illustravit. — Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία) *Ne perturbetur animus vester;* non est, quod ob ea, quae dixi, despondeatis animum. Videntur discipuli isto sermone, de Christi discessu, de periculis, de abnegatione vehementer commoti fuisse. πιστεύετε εἰς τὸν θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε) Et Deo confidite, et mihi interpreti divino, h. e. Dei auctoritate loquenti, huiusque praecepta ac promissa ad vos perferenti. Connexio ipsa ostendere videtur, τὸ πιστεύετε non in Indicativo, sed potius Imperativo esse explicandum. Deus, inquit, omnipotens est, et unus plus potest, omnibus, qui vos impugnant. Itaque fiduciam vestram collocate in Deo, qui vobis prospiciet; nec ego vobis deero, etsi porro non vobiscum hic versabor; prospiciam vobis de aeterna felicitate, licet regnum nullum inter homines moliar. Tantae, qua capti erant discipuli, sollicitudinis causa erat in diffidentia, vel ὀλιγοπιστία. Quamobrem hic locus, de fide Deo et Christo habenda, reliquo sermone ita praemunitur, ut appareat, ei a Christo plurimum tribui (c VI, 40.); nec ille finem dicendi ante fecit, quam animos suorum in ista fiducia confirmatos esse intellexisset, c. XVI, 30. 31.

2. Ἐν τῇ οἰκίᾳ — εἰσιν) *In domo patris mei satis multae sunt habitationes.* Vobis etiam iam quasi assignata sunt vestra habitacula, in eodem quasi palatio coelesti. Similitudo a regali palatio. Τὸν οὐρανὸν εὐρὺν opponit latebris hominum eiectorum. Luc. II, 7.

XIV,

XIV, 22. Io. XVI, 2. Rom XV, 22. Μοναὶ πολλαί εἰσιν, sc. ἡτοιμασμέναι. Nihil enim frequentius Hebraeis, quam ut verbo substantivo participium subducant. Μονή, habitandi locus, ἀπὸ τοῦ μένειν, *manendo*. Et singulares ac solitarias habitationes μονάς, et illa loca μοναστήρια dixere. Facile intelligitur, imagines esse, quum Deo tribuitur domus vel palatium, in quo multa domicilia esse dicuntur. Ἡ οἰκία τοῦ πατρὸς est *coelum*, locus ille, ubi divinae maiestatis perpetuum et illustrissimum domicilium est, in quo beati aevo fruuntur sempiterno. *In illa domo multa sunt domicilia* vel conclavia, quae multis hominibus, vel potius, e divino consilio, omnibus capiendis sufficiant. Dixit igitur Christus, non sibi soli, sed et discipulis parata esse praemia. Εἰ δὲ — τόπον ὑμῖν) *Quod si secus esset, dixissem vobis. Proficiscor locum vobis paraturus.* Εἰ δὲ μὴ elliptice est positum: Si aliter se res haberet, si vobis non essent paratae sedes. Graecorum Latinorumque Interpretum plures verba sic interpunxerunt: Εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. *Quod si ita se non haberet, dicerem ideo me abire, ut sedes vobis parem.* Quae interpretatio multum auctoritatis apud veteres habuit, quia Codd. nonnulli ante πορεύομαι habent ὅτι, quod additamentum est valde antiquum. Sensum alii cum Erasmo sic constituunt: „Si secus esset, *dixissem* vobis, me iam abire ad parandas eas mansiones: nunc nihil opus est, cum paratae iam sint, et vos brevi secuturos exspectent.“ Alii post verba εἶπον ἂν ὑμῖν posito signo interrogationis, vertunt: *An me hoc dicturum fuisse putatis?* i. e. vobis illud non dixissem. Quas aliorumque opiniones re-

futavit *Knappius* l. l. p. 280. sq. Verum enimvero verba sic iungenda sunt, ut post ὑμῖν ponatur punctum vel colon: *dixissem vobis*, nempe vobis non paratum locum in coelestibus illis regionibus. Si beata haec vita paternis in aedibus mihi soli esset destinata, nec vobis aliisque illuc aditus pateret, aperte et ingenue id vobis professus essem. Nam falsa spe vos nunquam produxi; nec quidquam promitto, quod praestare nequeam. Cf. supra c. XII, 26. Haec interpretatio plurimis recentioribus Interprr. recte probatur. In verbis πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν est similitudo, sumta ab uno comitum, qui in itinere praegressus ad diversorium, ibi ceteris cubicula assignat, et efficit, ut venientibus parata sint. Hoc autem significatur, Christum redivivum atque in coelum reducem id esse perfecturum, ut veri eius sectatores etiam in coelum aliquando recipiantur.

3. Καὶ ἐὰν — ὑμεῖς ἦτε) *Et cum profectus fuero, ac paravero vobis locum, iterum veniam, vosque mecum assumam, ut mecum eodem loco versemini*, i. e. ut eam percipiatis felicitatem, qua ego fruor. Continuatur similitudo. Nam solent, qui primi in diversorium venerunt, ceteris iam adventantibus obviam procedere, et eos introducere. Sensus: De me sic habetote, idcirco me praeire, ut illic parata inveniatis omnia; meque vobis, sicuti solent amici amicis diu desideratis, obviam proditurum, ut in Patris domum vos introducam. Similis loquendi ratio Iesai. XXXVI, 17. — Verba: πάλιν ἔρχομαι non accipienda sunt de adspectabili Christi reditu in fine rerum humanarum, sed de illius adventu, qui in sensus non cadit. Nam Christum Apostolos ad tam remotum

tempus

tempus remisisse plane improbabile, et prorsus alienum est a consilio et tenore huius orationis, quae omnis quasi suspensa est ex verbis: ὕστερον δὲ ἀκολουθήσεις μοι, c XIII, 36. Constans autem est Christi Apostolorumque doctrina, omnes Christo confidentes statim post mortem cum Christo versaturos esse et beatos fore. Vid. Luc. XVI, 22. XXIII, 43. Io. XI, 25. 26. 2 Cor. V, 6. 8. Phil. I, 23., et prasertim Io. XII, 32.

4. Καὶ ὅπου — ὁδὸν οἴδατε) *Scitis quo vadam, nec viam ignoratis*, scil. quae vos quoque eodem deducat. Voc. ὁδὸς hic non de *morte* accipiendum est; quasi dicat: me per mortem ad Patrem proficisci oportet. Dominus respicit ad verba v. 3. πάλιν ἔρχομαι κ. τ. λ., quibus aperte erat declaratum, Christi beneficio beatitatem nobis contingere. Et v. 6. dicit: *Ego via sum*, h. e. is, quo duce itur ad Patrem. *Viam*, inquit, *scitis*, si modo animum ad ea attenderitis, quae et paulo ante, et saepius alias vobis exposui, viam scil. scire *potestis*, quam vos ingredi et sequi oportet, ut perveniatis ad Patrem. Hanc viam noverant ex totius triennii usu et consuetudine cum Iesu, et ex eius doctrina, quae est via ad aeternam felicitatem; sed moeror et oblivio faciebat, ut quod sciebant, nescirent.

5. Κύριε — εἰδέναι) *Domine, nescimus quo abeas; quomodo igitur possumus viam scire?* Ex qua Thomae interlocutione patet, discipulos ea, quae Dominus de Patris domo dixerat, parum intellexisse. Adhuc enim Apostoli cum Iudaeis persuasum habebant, Messiam mori non posse. Vid. not. ad c. XII, 34. Et Thomas quidem, quamquam Christi amantissimus

erat, tamen, quum natura ceteris difficilior esset ad credendum, et scrupulosissime omnia exploraret, nonnunquam ita erat animo affectus, ut in iis, quae ceteris satisfecissent, acquiescere nollet. De se autem coniecturam faciens, et suo et condiscipulorum nomine haec eloquitur Sic autem ratiocinatur: „Iter ingredienti ante omnia de fine ac termino viae constet necesse est. Nam si locum nescit, quo iter sit dirigendum, quomodo ingredi viam potest? Tu vero, quum nunquam satis perspicue explicaveris, ubinam terrarum locus ille inveniatur, quo proficiscaris, et quo nos te secuturi simus, haud sane exspectare poteris, ut non solum, quo tu vadas, sciamus; sed etiam viam, quae illuc nos deducat, teneamus.“ *Knappius* p. 288. sq.

6. Ἐγώ εἰμι — δι' ἐμοῦ) *Ego sum via, et veritas, et vita, neque quisquam ad Patrem pervenit, nisi me duce.* Eadem haec Christus iam exposuerat, c. V, 24. VI, 40. 47. VIII, 12. XI, 25. 26. al. Ἡ ὁδὸς, *dux viae*, i. e. is, qui viam monstrat, qua pervenitur ad Patrem et felicitatem aeternam. Forma dicendi ex eo genere est, quod Christus saepe usurpat, veluti θύρα, X, 7. coll. v. 9., ἀνάστασις, et ζωή, XI, 25. Christus, ut ipse in altera huius comm. parte interpretatur, is est, qui unus solus viam ad Patrem nobis et muniat et monstret, h. e. idoneos nos reddat coelestibus domiciliis. Atque haec ille nobis praesitit universo opere suo salutari, sed ea lege, ipsi ut fidem habeamus. Cf. v. 1. supra III, 16. inf. XVIII, 5. Τὴν ἀλήθειαν se dicit Christus, quia est ὁ ἀληθινος, *fide dignus, verax, fraudis expers*, cuius dictis et promissis secure confidamus, vid. c VII, 18. 28. Denique Dominus se appellat τὴν ζωὴν, ut c. V, 24. sqq.

VI,

VI, 35. 40. 47. 48. XI, 25., quibus locis palam profitetur, se omnibus ipsi confidentibus aeternae salutis auctorem esse et largitorem. *οὐδεὶς — δι' ἐμοῦ*) *Nemo ad Patrem*, quo ego praecedo, *venit*, h. e. ad Patris domicilium, ubi omnis beatitudinis (*τῆς ζωῆς*) cumulata complexio cogitatur, *nisi per me*, i. e. nisi mihi fidem habeat, meque imitetur. Ad Patrem pervenire idem est ac felicitatem aeternam consequi. Bene *Erasmus* in Paraphrasi: Si quaeritis, quo vadam, *ad Patrem eo;* si viam, qua consequi possitis, nosse cupitis, *nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Proinde nostis utrumque, et quo vadam, et quà sit iter, nisi forte me prorsus ignoratis.

7. *Εἰ ἐγνώκειτε — ἑωράκατε αὐτὸν*) *Si me cognovissetis, etiam Patrem meum cognovissetis: et iam nunc cognoscitis eum, et vidistis eum.* Quum Thomas opinaretur, sibi et condiscipulis ideo de *via* non constare, quia locum, *quo tendat* magister, adhuc ignorent, hunc in modum (interpretante *Knappio*) Christus argumentatur: Vestra vos fallit opinio: non ex termino viam, sed ex via terminum viae, h. e. ex me Patrem, cognoscere vos oportebat. Etsi enim Pater oculis hominum non cernitur, tamen per Filium, qui adspectabilis est, mentibus humanis se conspiciendum seu cognoscendum praebet. Itaque me cognito non potest Pater non cognosci. Vid. c. I, 18. coll. Hebr. I, 3. Col. I, 15. 2 Cor. IV, 6. Nec vero cum Iesus dicit: *εἰ ἐγνώκειτέ με*, plane negat, se discipulis suis cognitum esse, sed hoc vult, eos nondum satis cognovisse, quid existimandum esset de universo Messiae munere et opere salutari. Si igitur cognovissetis, quale sit munus demandatum mihi a Patre, cognovis-

setis

setis etiam τὸν πατέρα μου) i. e. consilia et voluntatem Patris. ἀπ' ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν) *et iam nunc cognoscitis eum.* Partic. ἀπάρτι seu ἀπ' ἄρτι significat plerumque *nunc, iam nunc*, h. e. inde ab hoc tempore, adiuncta simul aliqua *posteri temporis* significatione, q. d. *nunc atque in posterum* (Luc. I, 48. 2 Cor. V, 16.). Inde nata est notio: *mox, paulo post, intra breve tempus*, quam voc. ἀπάρτι obtinet Matth. XXVI, 64. Io. I, 52. Quare *Semlerus* aliique verba γινώσκετε et ἑωράκατε accipiunt pro Futuris γνώσεσθε et ὁράσεσθε, et vertunt: Sed ab hoc tempore futurum est, ut Patrem accuratius cognoscatis et quasi oculis videatis. Cogitant enim de pleniore illa institutione, qua Apostoli mox erudiendi erant per Paracletum, vid. comm. 16. et XVI, 13. At vero nulla idonea est causa, quamobrem proprietatem significationis diversorum temporum hoc loco deseramus. Nam verba Christi facilem praebent sensum: Ut iam nunc cognoscere *potestis* (ut v. 4. *scitis* pro *scire potestis)* Patrem, me cognoscentes, ita intueri eum *potuistis*, me intuentes, coll. v. 9. et potissimum XII, 45. Nempe his verbis (monente *Knappio*) Christus docet, in discipulis suis ignorantiae culpam residere, sibi vero illorum caecitatem culpae dari non posse, ut qui Patris cognoscendi copiam suis et nunc faciat, et antea fecerit, ex quo cum ipsis versatus sit. Tantum quemque in cognitione Patris proficere, quantum in Filio cognoscendo proficiat. Ceterum verba γινώσκειν et ὁρᾶν eandem obtinent significationem.

8. Δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα) Sensu physico verba Christi acceperat, igitur putabat, sic conspici posse patrem,

patrem, quemadmodum conspiciebant filium; vel exspectabat *apparitionem*. ἀρκεῖ ἡμῖν) Satisfactum esset votis nostris, nec quicquam desideraremus. Audivimus quidem de eo multa, tantum superest adspectus. Legerat Deum variis modis interdum apparuisse Patribus.

9. Τοσοῦτον — Φίλιππε;) *Tamdiu vobiscum versor, neque tamen me cognovisti, Philippe?* οὐκ ἐγνωκάς με) non modo est: sermones meos, quos modo elocutus sum, non intellexisti; legitur enim τοσοῦτον χρόνον, sed: nondum perspexisti consilium animumque meum; nondum me cognovisti quoad munus a Deo mihi demandatum, et finem primarium meae missionis. ὁ ἑωρακώς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα) *Qui me videt, Patrem videt*, quatenus nempe videri potest. *Videre* autem Deum nemo mortalium potest oculis corporeis. Ergo ὁρᾶν idem est ac *cognoscere*. Cognoscitis eum, cum cognoscitis me; et vidistis eum, si *oculis cordis* me vidistis. Iam nunc Patris cognoscendi facultatem habetis. Tota phrasis referenda est ad intimam Christi cum Patre coniunctionem ratione voluntatis, consiliorum et potentiae in patrandis miraculis, adeoque dignitatis Christi divinae. Cf. c. XII, 45. Hebr. I, 3. Col. I, 15. 2 Cor. IV, 6. Qui, inquit, meam doctrinam tenet, is tenet etiam doctrinam Patris mei; qui mea dicta audit factaque videt, is cognoscit etiam qualis sit Pater, quo sensu erga homines sit affectus; nam omnia, quae a me exiguntur, a Patre profecta sunt. *Philippus* enim comm. 8. apparitionem Dei externam optaverat. Respondet Christus, ea non opus esse iis, qui cum ipso sint versati, mira-

miracula ab ipso edita oculis perspexerint, suamque doctrinam recte perceperint.

10. Ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι) *Me patri esse coniunctissimum*; nam haec est significatio phraseos ἐν τινὶ εἶναι, quae respondet τῷ ἓν εἶναι. Vid. not. ad X, 30. 38. Duplici autem modo, Filium Patri esse coniunctissimum, intelligi potest, prouti aut *doctrinam* illius, aut *opera* spectas. τὰ ῥήματα — λαλῶ) Phrasis: λαλεῖν ῥήματα hebraica est, et significat *docere*, ut adeo sit sensus: *Quae ego vos doceo, non ex mea privata auctoritate doceo.* Doctrina mea tanquam ipsius Patris doctrina est consideranda; nihil loquor non imperatum a Patre: Deus ipse per me loquitur. Vid. supra c. VII, 17. ὁ δὲ πατὴρ — ἔργα) *Pater autem in me manens ipse facit opera.* ἐν ἐμοὶ μένων, qui non ad *breve* tempus, sed *in perpetuum* mihi est coniunctissimus. αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα, per me operatur, atque ita ostendit se in me esse. Dei proprietates ex operibus cognoscuntur, quae nunquam maiora et plura quam per Christum edita sunt, ita ut in istis sapientiam Dei, bonitatem, potentiam, luculentissime spectare potuerint homines. Τὰ ἔργα hoc loco sunt eiusmodi facta, quae *coniunctionem plane singularem* arguant, quae inter Christum et Deum intercedat. Nec audiendi sunt, qui per τὰ ἔργα aut solum *docendi negotium* significari putent, aut *reliqua Christi facta, quatenus sancta fuissent, et divinae voluntati consentanea*, nulla tamen miraculosae factorum quorundam indolis ratione habita, intelligant.

11. Πιστεύετε — ἐν ἐμοί) *Itaque credite mihi affir-*

affirmanti me cum Patre, illum mecum esse coniunctissimum. Suscipite meam doctrinam, quia mea doctrina est illius doctrina. Εἰ δὲ — πιστεύετέ μοι) *Sin minus, propter ipsa facta credite mihi.* Εἰ δὲ μὴ, si mihi simpliciter dicenti non vultis credere, *saltem credite ob opera*, quae talia sunt, ut nisi a Deo proficisci nequeant. Cf. supra c. III, 2. V, 36. X, 37.

12. Ἀμὴν — πορεύομαι) *Sanctissime vobis confirmo, eum, qui mihi fidem habet, non modo eadem quae ego, verum etiam maiora facturum, quia ad Patrem revertar.* Haec promissa ad Apostolos, et ad munus, quod iis paulo post suscipiendum erat, spectant. Dicit Christus, nihil detrimenti ipsis allaturum esse corporis sui subductum conspectum. καὶ μείζονα τούτων ποιήσει) Plerique intelligunt *miracula;* et sunt, qui maiora ab Apostolis facta miracula ea iudicent, quae in historia Apostolica Lucae memorantur: allata sudaria et semicincta, et imposita aegrotantibus, itemque umbras Apostolorum restituisse sanitatem. Alii opinati sunt, Iesum hyperbolice dixisse: Vos maiora facta perficietis, i. e. *permagna, plane singularia.* Male. Intelligenda potius sunt opera μείζονα *effectu*, quoniam scilicet per Apostolorum miracula multo plures adducti sunt ad religionem Christianam. Christus enim intra Palaestinae fines substitit; Apostoli autem omnem terrarum orbem peragrarunt. Sic fere etiam *Storrius* vertit: „miracula (opera) quae ego edo, etiam vos edetis, *hisque rebus* (miraculis) *maiores res* (non: μείζονα τούτων ἔργα) efficietis; ipsum, quo miracula eduntur, consilium, plenius quam ego, qui ad Patrem revertor, eaque de causa

causa meum inceptum ipse praesens peragere nequeo, sed vobis pertexendum relinquo, assequemini, multoque plures, quam ego ad fidem mihi habendam adducetis, meorum laborum fructus percepturi. Io. IV, 35—38." Vid. eius *Dissert. exeget. in libror. N. T. historic. aliquot loca.* P. II. pag. 54. *Nösseltus* in appendice ad Fascic. II. opusculorum etc. p. 388. seqq. per τὰ ἔργα non intelligit *miracula*, sed omnia, quae agerent discipuli ad Dei mentem, praecipue ea, quae tanquam doctores in Christi locum substituti, ad disciplinam divinam docendo agendoque commendandam hominibus, facerent. Quae sententia non plane improbabilis est. Nam ἔργα, s. ἔργον τοῦ θεοῦ saepius complectuntur omnino id quod est Dei voluntati consentaneum, inprimisque negotium Christi universum, quod tradenda Dei voluntate perficere in his terris debebat, ut c. IV, 34. XVII, 4. coll. v. 6. et alias. Quum igitur Christus promittit discipulis, eos facturos esse maiora ἔργα, quam ipse fecisset, hoc voluisse potest, eos plura et uberiora quam ipse Christus tradidisset, ad hominum intelligentiam esse traducturos. Erant nimirum multa, quae Christus dicenda habebat Apostolis, a quibus tamen communicandis se consulto, propter eorum tarditatem cohibuerat. Promittebat autem alium magistrum, Spiritum sanctum (c. XVI, 7. XIV, 26.) qui doctrinam a se nondum perfectam perficeret. *Nösselto* igitur omnino videbatur sensus esse, ipsi Christo praestituros esse Apostolos *factis*, quod post eius discessionem, accuratius afflatu divino eruditi, eam, quam Christus quodammodo imperfectam reliquisset doctrinam, uberiorem traduturi essent. Sed prior interpretatio contextui magis convenit;

venit; quare praeferenda est. ὅτι ἐγὼ — πορεύομαι) *Quia ego ad Patrem revertar.* Iam supra c. XII, 24. dixerat, tum demum magnam sectatorum copiam se habiturum esse, quum mortem subierit. Verum ad stabiliendum regnum coeleste Apostolorum labor requirebatur. Itaque Dominus praedixit, illorum opera quoad *effectum* maiora esse futura. Bene *Calvinus:* „Ascensum Christi paulo post sequuta est admirabilis mundi conversio, in qua potentius se exseruit Christi divinitas, quam quum inter homines ageret. — Ratio cur facturi sint discipuli maiora quam Christus ipse, — quoniam adita regni sui possessione suam potentiam plenius e coelo demonstraturus sit.“

13. Καὶ ὅ, τι — ἐν τῷ υἱῷ) *Et quicquid mea causa petieritis, efficiam illud, ut Patris maiestas conspicue reddatur per filium* (Messiam). Ad perficienda illa, inquit, quae dixi, opera, nunquam vires non habebitis; ipse ego auxilio meo vobis succurram. Varias significationes formulae ἐν τῷ ὀνόματι τινος accurate enumeravit et explicavit *Nösseltus* l. c. pag. 392. sqq. Nostro loco *in alicuius nomine* esse videtur pro: eius *auctoritate* s. *mandato*, ut habeat vim significandi legati alterius, omninoque eius, qui agat accommodate ad alterius voluntatem, (Matth. XXI, 9. Ioan. V, 43.) ut sensus sit: *Quodcunque rogaveritis tanquam legati mei*, s. in meum quasi locum substituti, *mea causa*, h. e. propagandae doctrinae meae causa, ad promovendum veritatis divinae cursum, *id faciam.* Dicta sunt haec Apostolis, non Christianis universis, ac ne illis quidem infinite, sed hactenus, quod precibus flagitarent commendandam tuendamque

Evan-

Evangelii causam, quam Deus nunquam deseruit. Ceterum quum hoc loco et c. XV, 16. Iesus dicat: quae meo nomine rogata fuerint, *ego vobis dabo*, c. XVI, 23. autem: *Pater daturus est;* neutequam utrumque hoc dictum sibi repugnat, sed eundem exprimit sensum. Namque Pater cum Filio est coniunctissimus. Iam supra c. V, 19. sqq. et X, 29. 30. (ubi vid. not.) Iesus affirmaverat, hanc a Deo sibi traditam esse potestatem, ut qualiacunque Patris opera et ipse perficere posset. Ἵνα — υἱῷ, *ut illustretur Pater per filium*, ut summae eius virtutes, potentia, sapientia, benignitas, amor erga genus humanum, omnibus conspicuae reddantur.

14. Repetit eandem promissionem, cui haec addit: Non solum *quid*, sed etiam *quando* et *quoties* talia rogaveritis, precibus vestris annuam.

15. Ἐὰν — τηρήσατε) *Si me diligitis, praecepta mea observate.* Non aliis documentis, quam obsequio meis praeceptis habendo me colite. Ἐντολαὶ sunt mandata, praecepta, quae Iesus Apostolis dederat exsequenda, tradendae et propagandae doctrinae suae causa. Ἀγαπᾶν, *vere diligere et colere.*

16. Καὶ ἐγὼ — αἰῶνα) *Ego vero rogabo Patrem, ut alium vobis mittat adiutorem, qui semper adsit vobis.* Ἄλλον παράκλητον, *alium adiutorem*, doctorem, monitorem, substitutum quasi in Domini locum. Μένειν μετά τινος, *adesse alicui*, eum adiuvare. εἰς τὸν αἰῶνα) *in perpetuum*, non ad aliquot tantum annos, sed ad dies vitae vestrae; nam עוֹלָם saepe denotat diuturnam durationem, accommodatam rebus

rebus et personis, de quibus sermo est. Genes. XVII, 7. 13. 19. Exod. XXI, 6. Philem. 15. Conferenda est de hoc loco egregia *Knappii* Commentatio (*de Spiritu Sancto et Christo Paracletis, item de varia potestate vocabulorum:* παρακαλεῖν, παράκλησις, παράκλητος. in *Opuscc.* p. 117 — 151), e qua nostram huius loci emendavimus interpretationem. — *Paracleti* voc. nemo scriptorum N. T. praeter Ioannem usurpavit, apud quem id nomen et *Christo* semel impositum legitur, Ep. I. c. II, 1., et saepius *Spiritui Sancto*, Ioann. XIV, 16. 26. XV, 26. XVI, 7. Variant autem scriptores N. T. in ea, quam vocc. παρακαλεῖν et παράκλησις tribuunt, significatione, praesertim in locis, quae sunt de Spiritu Sancto, quorum argumentum plures videtur notiones admittere. Παρακαλεῖν universe est *advocare*, *arcessere*, *invitare*. Cf. *Xenoph. Mem. Socr.* II, 10, 2. Actor. XXVIII, 20. Illa autem huius verbi significatio tam late patet, ut de quovis advocationis genere usurpetur, et παράκλησις omnem designet *arcessitum* atque *invitationem* ad quamcunque rem, quolibet consilio factam. Frequentissimus tamen usus παρακλήσεως fuit de *causarum patronis*, seu *oratoribus*, qui ad causas in foro dicendas *advocabantur*. Quare causarum patroni vocabantur παράκλητοι, et παρακαλεῖν τινα erat: rogare aliquem, ut praesto nobis sit in iudicio, adiutor causae nostrae. Porro παρακαλεῖν significat: *hortari*, *monere*, item *persuadere*, *impellere*. De *cohortatione* omnique genere admonitionis saepe est apud Philonem, e. c. *de Opifice Mundi* p. 4. E. Edit. Mang., ubi Deum condidisse hoc universum ait, οὐδενὶ παρακλήτῳ, *nemine monente*; et cf. Iesai. XL, 13.

13. coll Rom. XI, 34. Ex illis antiquissimis verbi παρακαλεῖν notionibus aliae derivatae sunt. Permutatur enim cum δέομαι, *rogare*, *obsecrare*, ut Luc. VII, 4. Matth. VIII, 5. Thomas Magister in Ἐκλογ. ὀνόματων Ἀττικῶν, voc. παρακαλῶ haec habet: Τὸ προτρέπω, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ· καὶ παράκλησις, ἡ προτροπή· ἄπαξ δὲ καὶ τὸ δέομαι. Omnium frequentissime sic dixit Plutarchus. Iudaei Graece loquentes ita usurpabant, ut esset *consolari*, *recreare*, *exhilarare*. Is verbi usus e LXX. (in qua Ps. XXII, 5. XCIII, 19. Iob. II, 11. al. respondet verbis נָחַם et נוּחַ) ad auctores librorum N. T., atque ab his ad ecclesiasticos scriptores transiit. Tribuitur etiam illi verbo *firmandi corroborandique* vis, et copulatur παρακαλεῖν cum verbo στηρίζειν, 1 Thess. V, 11. 2 Thess. III, 17. Denique παρακαλεῖν habet *docendi* et *instituendi* notionem, praesertim in scriptis Paulinis, e. c. 1 Thess. II, 3. Tit. I, 9. II, 15. 1 Tim. VI, 2. — Quum ergo varius sit et multiplex usus verbi παρακαλεῖν, intelligitur quid causae fuerit, cur antiquiores quoque Interpretes in finienda notione τοῦ Παράκλητου tantopere inter se dissenserint. Christus quidem his verbis: ἄλλον παράκλ. δώσ. ὑμ. *se ipsum quoque Paracletum esse* significat. Sed in Christo ipso *plures* hui. voc. significationes conveniunt, et illa *deprecatoris*, quae ei voci 1 Io. II, 1. subiicitur, angustior esse videtur, quam ut possit ad Spiritum S., cuius hic amplior provincia describitur, accommodari.

Sunt vero qui Παράκλητον hic *consolatorem* (παραμύθητην) interpretentur. Ita multi post *Erasmum* et *Lutherum*. Nec repugnat verbi παρακαλεῖν usus, aut

aut Christi oratio, quae in eo versabatur, ut discipuli, discessus sui denunciatione maesti et perturbati, solatio levarentur; neque obstat forma vocabuli παθητικὴ, quam negant nonnulli *in consolatorem* cadere, qui potius παρακλήτωρ (forma ἐνεργετικῆ) dicendus fuisset. Graeci enim Interpretes, Aquila et Theodotion voc. מְנַחֲמִים, Iob. XVI, 2. vertunt παρακλήτους, quo loco LXX. habent παρακλήτορες. Alii *doctorem* seu *magistrum* intelligunt. Quam sententiam probabilem reddere studuit *Ernestius (Opuscc. philol. crit.* Ed. 2. p. 214. sqq.). Provocat enim ad argumentum orationis universae, quae ea commemorat attributa τοῦ παρακλήτου et actiones, ut appareat, hoc nomen ad *docendi* munus referri. Sane quidem *institutio* proficiscitur ab eo, qui Paracletus vocatur; sed ut idem ille ab *instituendo* nomen invenerit, non est necesse, neque Christus tunc id agebat, ut vim nominis Paracleti exponeret. Ernestius putat, Iesum usum esse nomine Hebr. seu Chaldaico פַּרְקְלִיט seu פָּרַקְלִיטָא, quae vocc. respondeant Hebr. מֵלִיץ (Iob. XVI, 20. XXXIII, 23.). Sed nomen מֵלִיץ nec in illis Iobi locis (vid. *Rosenmülleri* Scholia), nec alibi in sacris literis *doctorem* designat, licet tales interdum significationes habeat, quae cognatae huic dici queant; neque in Rabbinorum libris inter ea vocabula, quibus *doctores* appellantur, et doctorum *munus* describitur, nomina מֵלִיץ et פַּרְקְלִיט usquam comparent. — Haud incommode quis *advocatum* reddat; dummodo o sensu, quo haec vox apud Ciceronem, Plautum aliosque scriptores dicitur, quo significat eum, qui *moneat,*

moneat, doceat, consilioque iuvet. Quae Paracleti significatio ab iis repudiata est Interpretibus, quos anceps usus Latini voc. *advocatus* offenderet; prope tamen ad veritatem accedit. Nam Paracletus sensu *latiori* is vocatur, qui in consilium adhibetur, qui adiuvat, suadet, monet, *adiutor, auxiliator, curator*, cuius ope quovis modo et quacunque in re utimur. Sensu vero *angustiori* Paracl. is vocatur, qui causam alicuius in iudicio agit, verba pro eo facit, qualem Latini vocitant *causae patronum*, s. causidicum; unde transfertur etiam ad omne genus *defensorum* et *deprecatorum*, qui re et verbis veniam atque impunitatem aliis deposcunt, aut gratiam alicuius conciliant. In utroque, et latiori et angustiori, sensu Rabbini inter se commutantur *Paracletos* (פְּרַקְלִיטִין) et *Patronos* (פַּטְרוֹנִין). — Iam quo sensu et *Christus* et *Spiritus S.* Paracleti vocentur in promtu est. Christo enim in coelo habitanti id nomen tribuitur, quod *αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.* Vid. 1 Io. II, 1. 2. coll. Rom. VIII, 34. et Hebr. IX, 24. Verum in Spiritu S. vis vocabuli latius adhuc patet et plura complectitur. Promittitur ergo *βοηθός* seu *παράστατης*, *adiutor*, *patronus*, curator, qualis fuerit suis, dum in terris versabatur, Christus. Nam post Domini discessum omnis disciplinae suae propagatio solis Apostolis videbatur relicta. Hi vero sibi ac rebus suis tum prorsus diffidebant, quum ad hoc usque tempus nihil egissent ipsi, sed Christo soli agenda et curanda permisissent omnia. Itaque omnem operam in eo collocandam censuit Christus, ut Apostolos confirmaret et ad destinatum ipsis munus alacri fortique animo susci-

suscipiendum excitaret. Quare praesens ac singulare Dei auxilium iis promisit, quo efficeretur, ut, abiecto omni timore, dicere coram populo, et magistratibus ac regibus auderent, causamque suam, quae ipsius Dei causa esset, fidenter et strenue defendere. Neque dubitabat, quin veritatis semina, quae ipse eorum animis summa cum cura mandasset, fructus ferrent adeo uberes et laetos, ut coniunctis illorum studiis, se absente, plus efficeretur (vid. not. ad comm. 12.), quam quantum ipse in terris praesens praestare potuisset, Matth. XVI, 18. sq. Io. IV, 35—38. XIV, 12. XVI, 7. Ac subitam hanc discipulorum immutationem et quasi conversionem ad *Spiritum S.*, Paracletum, tanquam auctorem refert, qui eos moneat, excitet, doceat, confirmet. Ergo Spiritus S. dicitur Apostolorum *adiutor*, qui eos in munere gerendo adiuvit, non tantum *docendo*, sed aliis etiam modis, e. g. in edendis miraculis, in tolerandis calamitatibus etc. Nec tamen ex sententia Iesu Apostolorumque hoc patrocinium Spiritus S. ad solos Apostolos spectat, sed ad universam ecclesiam et singulos Christianos, quamquam multis variisque se modis exserens pro hominum, locorum ac temporum varietate.

17. Τὸ πνεῦμα — γινώσκει αὐτό) *Spiritum veritatis, quem contemtores doctrinae meae accipere nequeunt, quum eum nec videant, nec cognoscant.* Τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *veritatis auctor, spiritus veracissimus, ipsa veritas*, cui maxime fas sit credere. Ex quorundam sententia per πνεῦμα indicatur *nova mentis indoles in auxilium ventura, Apostolosque directura.* Alii intelligunt *cognitionem doc*

trinae Christianae certiorem, pleniorem et accuratiorem. Alii aliter. Varias Interpretum opiniones recensuit *Kuinölius* ad h. l. At vero ipsa orationis series docet, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας idem esse quod ὁ ἄλλος παράκλητος v. 16. et πνεῦμα ἅγιον v. 26. Accuratius enim describitur ille *Paracletus*, novus ille Spiritus, quo Apostoli fruebantur non solum in intelligendo, sed etiam in credendo atque agendo; significatur vis illa divina (πνεῦμα τοῦ θεοῦ), quae multis se modis exserens Apostolos et Christianos reliquos *adiuvabat*, a qua omnia, quae Christi sectatores recte et sapienter agunt, derivantur. Sic in Ev. Luc. c. XXIV, 49. ἡ ἐπαγγελία explicatur per δύναμις ἐξ ὕψους, et cf. Actor. I, 8. Omnino igitur Christus Apostolis πνεῦμα ἅγιον promittens, Io. XIV, 26. XV, 26. XVI, 7 – 14., sensum exprimere voluit (ut iam *Kuinölius* observavit) hunc: post meum discessum, vi divina adiuti, auxiliante ipso Deo, meam doctrinam accuratius cognoscetis, et idonei evadetis religionis meae doctores. Dicitur autem πνεῦμα τῆς ἀληθείας, quia omnis *verae religionis* potestas atque vis invincibilis posita est in sola *veritate divina*, quam Deus per Filium nobis exhibuit. Cf. *Lückium*, T. II. p. 391. Κόσμος h. l. sunt per synecd. *homines improbi*, nonnisi terrenis ac falsis bonis inhiantes, vel potius alieni a christiana religione; qui eam contemnunt. Τὸν κόσμον igitur negat hunc Spiritum posse accipere. Vid. not. ad c. XII, 39. Cuius enim animus a rebus divinis alienus est, qui Christum eiusque beneficia ac promerita parvi pendit, nec ipsius praeceptis paret; omninoque, qui sic est animatus, ut leges Dei latas non esse malit, is Dei caret Spiritu,

eum

eum *accipere*, *cognoscere*, eiusque auxilio uti nequit. ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ) *Quia non sensibus eum percipiunt*, nec oculis corporeis vident. Nam plerique nonnisi crassa terrenaque amant; a rebus divinis abhorrent, nihilque, nisi praesens et quod adest sentientes, incerta appetunt et anquirunt; ex veritate pauca aestimant. Huiusmodi homines quis habiles dixerit spirituali doctrinae? οὐδὲ γινώσκει αὐτὸ) *Nec eum desiderant.* Ignoti enim nulla cupido. Illud γινώσκειν de notitia *affectiva* est intelligendum, 1 Cor. II, 14. Utrumque verbum, et θεωρεῖν et γινώσκειν, ponitur una notione; scil. nullo modo ii poterant divino Spiritu imbui, qui constanter Christi doctrinam contemnerent. ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτὸ) *Vos eum mox cognoscetis*, scil. eius effectus. *Vulgata* habet: *noscetis*. Et recte quidem; loquitur enim Christus de futuro, comm. 16. *Vos*, praeparati scilicet per doctrinam. *Suis* igitur Spiritum promittit ad unum omnibus; fuitque haec communis et constans doctrina inde ab aetate Ioannis Baptistae, a Christo omnibusque Apostolis crebro repetita et confirmata. Vid. Matth. III, 11. Io. XI, 13. VII, 38. 39. Actor. II, 38. 1 Cor. VI, 19. Tit. III, 5. 1 Petr. IV, 14. Quicunque Deum et Christum ex animo diligit, illius in praeceptis acquiescit, is illam vim divinam experientia cognoscet. παρ' ὑμῖν μένει) *Perpetuo vobis aderit.* Documento vobis erit ipsa eaque constans coniunctio vestra cum πνεύματι, quae alioquin non fieret. καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται) *In vobis* quasi habitabit ipse ille Spiritus, ut in templo, i. e. vobis perpetuo aderit; adiuvabit vos. Quoad sensum non differt a praecedentibus verbis.

18. Οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς) *Ego sane vos*

non deseram, veluti pupillos. Sunt ὀρφανοὶ proprie orbi parentibus; sed transfertur nomen illud ad relictos solos et destitutos, ut in Phaedro Platonis: ὀρφανὸν παντὸς, - omnibus bonis destitutum. ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς) *Redeo ad vos,* adero vobis, sc. per spiritum meum, παράκλητον, *opitulatorem*, v. 16. Alii intelligunt de reditu Christi ad discipulos post resurrectionem, alii utrumque connectendum esse censent, ut *et* de praesentia Christi *visibili* post resurrectionem, *et* de *invisibili ex effectu percipienda* cogitetur. Utraque tamen sententia admitti nequit. Nam ex iis quae statim sequuntur apparet, Christum hoc loco non verba facere de brevi illo tempore, quod medium erat inter resurrectionem suam atque ascensionem in coelum, sed de perpetua coniunctione et consuetudine, qua ii cum Christo fruuntur, qui ducti illius amore praeceptis divinis obsequuntur, coll. v. 20. 21. 23. 24. *Nullo tempore*, inquit, *orbati eritis*, nam *ego ipse vobis adero*, auxilio meo vos adiuvabo. In eandem sententiam dicit v. 21. *praesentem me vobis exhibebo*, et v. 23. (ubi vid. not.): Ego *et* Pater ad vos *veniemus.* Itaque hoc quoque loco de sola Christi efficacitate in animis Apostolorum cogitandum est. Cf. Matth. XXVIII, 20. In universo hoc sermone demonstratur, Christi patrocinio non frustra confidi, eumque absentem praesentius discipulis adfuturum (per *Paracletum)*, quam nunc adsit praesens. Confundunt igitur sensum, qui h. l. de praesentia Christi *visibili* post resurrectionem cogitent; quum tamen haec Christi praesentia tam brevis fuerit, et ne continuo quidem Apostolis contigerit. Cf. c. XX, 26.

19. Ἔτι μικρὸν — ζήσεσθε) *Brevi post contemtores*

tores doctrinae meae me non amplius videbunt; sed vos me conspicietis, nam *ego vivam et vos vivetis*. Praesentia pro Futuris posita sunt. Ἔτι μικρὸν, in neutro genere generaliter: Adhuc modicum, sc. temporis, reliquum est. Verba: ἔτι μικρὸν spectant tantum ad τὸν κόσμον, neque vero ad discipulos. Homines a me alieni, dicit, me non amplius conspicient inter ipsos versantem, quia prava eorum indoles efficatitatem meam non admittit; *vos autem*, pergit, *me videbitis*, i. e. praesentiam meam experiemini, *nam ego vivam et vos vivetis*. In phrasi ὅτι ἐγὼ ζῶ, καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε, verbum ζῆν eadem significatione bis positum esse, nemo dubitat. Iam vero Dominus, cum comm. 18. dixerat: ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, et nunc: ὑμεῖς θεωρεῖτέ με· ὅτι ἐγὼ ζῶ, si adspectum corporeum in mente habuisset, quid, quaerimus, vellent sibi verba: καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε? Nonne etiam Christi contemtores (ὁ κόσμος) in vivis erant? Sponte igitur apparet, nullo modo *redivivi* conspectum annuntiari, quasi dicat: intelligetis, me mortuum non detentum iri. Accedit, quod Apostoli etiam post resurrectionem Christi, qua ratione et cum ipsis et cum Patre Filius sit coniunctissimus (comm. 20.), nondum satis perspexerunt. Vid. c. XX, 19—29. Luc. XXIV, 13—47. Actor. I, 6. Plenissima veritatis cognitione, ipso affirmante Christo (v. 16. 26. XVI, 7. al.), discipuli imbui non poterant, nisi postquam Filius ad Patrem in coelum reversus erat. Quare in promtu est, illud θεωρεῖτε de *animorum intentione*, et ζήσεσθε de *animorum vita* accipiendum esse. Sensus: Vos, qui per fidem et amorem mecum coniuncti *vitam veram* vivetis, quae ad τὸν κόσμον non pertinet, vos me, etsi reversum ad Patrem

Patrem atque vitam agentem in sedibus beatis, conspicietis, auxilium meum per Paracletum experiemini, ita ut nunquam orbati consilioque meo destituti futuri sitis. Cf. etiam, quae *Lückius* ad h. l. notavit, T. II. p. 393. sqq.

20. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.) Finis rerum humanarum, aut dies iudicii non magis significatur, quam c. XVI, 23. 26.; nam de munere, quo Apostoli fungentur, sermo est. Non describitur certus *dies*, sed *tempus*, quod iam secuturum erat, et quo Spiritus Sanctus animis discipulorum illapsurus erat. Vertendum igitur est: *illo tempore*, seu potius: *inde ab illo tempore*, scil. quo a Paracleto fueritis instituti. γνώσεσθε ὑμεῖς.) Sc. multo perfectius quam antehac; per explicationem veterum vaticiniorum, Luc. XXIV, 45. et per ipsam experientiam. ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου.) Me coniunctissimum esse patri; egisse me omnia ex auctoritate, iussu et voluntate patris. Vid. supra v. 10. καὶ ὑμεῖς — ὑμῖν.) Cognoscetis tunc me vobis coniunctissimum fore praesente auxilio, sicut vos mihi fuistis coniunctissimi obedientia et fide. Cf. XVII, 21. Tum enim diligentem dabitis operam, ut doctrinam meam ad alios propagetis; et ego per vos porro meam provinciam inter homines perfectius explebo.

21. Ὁ ἔχων — ὁ ἀγαπῶν με.) *Qui tenet et observat praecepta* (mandata) *mea, is verus est meus cultor.* Ἔχειν non est *cognoscere, scire* mandata, sed *mente habere reposita.* Bene Augustinus: *Qui habet in memoria et servat in vita.* Ἀγαπᾶν, *vere amare, colere.* καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν.) *Et illi ego me conspiciendum* (me praesentem) *praebebo.*

Plura

Plura atque maiora ipsi manifestabo, quae ad me et doctrinam meam pertinent, vel ad illam gloriam quam capesso, Exod. XXXIII, 13., benevolentiam meam ei declarabo. Auxilio se suis praesentem fore promittit. Nam ἐμφανίζειν tam late patet, quam ea quae antecedunt de duratura Christi vi in Apostolorum, qui eum amaturi sint, animos; id quod etiam e responsione non directa, v. 23., elucet. Ἐμαυτόν, i. e. τὰ ἐμά, τὰ περὶ ἐμοῦ, τὸ ἐμόν. Haec autem obscurius locutus est Dominus, non indicans, quod redivivus a morte frequenter sese praebiturus esset amicis suis contuendum, sed quod per spiritum suum semet insinuaturus esset illorum animis. Et de hac uberiore et praestantiore cognitione, atque de divino ad feliciter agendum auxilio, quod Spiritus Sanctus iis esset suppeditaturus, proprie est sermo. Haec promittitur tanquam praemium iis, qui tenerent praecepta Christi et sequerentur, eaque re suum in Deum et Christum amorem probarent, coll. v. 15. 23.

22. Οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης) Separat cognomine Iudam hunc, qui Christum interrogabat, ab altero Iuda proditore. Hunc autem Iudam Thaddaeum et Lebbaeum quoque vocarunt. Vid. Matth. X, 3. τί γέγονεν — τῷ κόσμῳ) *Quid factum est? Quid fit? Quid est cur? Quid causae est, cur nobis, neque vero* τῷ κόσμῳ (omnibus hominibus) *te velis conspicuum reddere?* Obscurus erat sermo Christi discipulis; abrepti enim praeiudicatis opinionibus, nec magistri mentem capientes, opinabantur, eum per aliquod tempus in solitudine versaturum, tum vero rediturum, et regnum terrenum instituturum esse. Non intellexerant Dominum

num dicentem: ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ v. 19. et ἐμφανίσω ἐμαυτὸν τῷ ἀγαπῶντι με v. 21.; sed Verba θεωρεῖν et ἐμφανίζειν proprie accipiebant de conspectu visibili. Quare Iudas interrogat, cur aliis hominibus et praesertim Iudaeis se conspiciendum reddere nollet?

23. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς) Non aperte respondet Iesus ad id quod rogabatur, sed ad id sermonem reflectit, quod magis oportebat illorum animis infixum esse, quo iam praepararentur ad spiritualem Domini copiam. Ideo, inquit, non exhibebo me mundo, quia non diligit me, nec servat mea praecepta. Quo sensu se manifestaturus esset suis, non clare exponit, quia discipuli apertiora ferre nondum poterant. ἐάν τις — τηρήσει) *Si quis me amat, is doctrinam meam constanter tenebit.* Repetit, quod supra dixerat v. 15. dilectionem nullam a se ac Patre aestimari sine praeceptorum observantia. Καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν) Ἀγαπᾶν, de Deo usurpatum, h. l. ut saepius est, *commodis, beneficiis afficere.* Καὶ πρὸς — ποιήσομεν) Proprie: *Sic ad eum veniemus, et apud eum manebimus*, i. e. *semper ei adfuturi sumus*, aderimus ei benevole et perpetuo: nunquam eum deseremus, summa benevolentia eum amplectemur. Nempe sacri scriptores, aeque ut exteri, Deum iis *appropinquare* vel *adesse*, Deum ad eos *venire* vel *redire* perhibent, quibus propitius est, quos adiuvat, aut singulari aliquo benevolentiae suae documento dignatur. Cf Exod. XX, 24. Ies. LIX, 20. LXIV, 4. Hos. VI, 3. Zach. II, 10. 11. Matth. XVIII, 20. 2 Tim. IV, 17. Apoc III, 20. al. Qui enim fiduciam suam ac spem in Deo reponunt, ii, ab eodem in propiorem amici-

tiae

tiae locum admoti, semper eum propitium habent atque praesentem. Vid. et not. ad v. 18. Aequum esse Christus ostendit, ut propioris familiaritatis indicia a se et Patre non exhibeantur quibusvis, sed sui tantum amantibus. Μονὴν ποιεῖν, idem est ac μένειν, ut κρίσιν ποιεῖν idem quod κρίνειν, et λόγον ποιεῖν ponitur pro λέγειν. Phrasi μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν respondet illa: θεὸς σκηνώσει μετὰ τῶν ἀνθρώπων, Apoc. c XXI, 3. ubi statim commutatur cum phrasi: αὐτὸς ὁ θεὸς ἔσται μετ' αὐτῶν, *iis auxilio suo aderit*, eos beneficiis ornabit. Formula μονὴν ποιεῖν, de Deo usurpata, desumta est ex Levit. XXVI, 11. 12. Ezech. XXXVII, 26. et locis similibus, ubi Deus dicitur venturus ad Iudaeos habitatum inter eos; qua phrasi, remotis iis quae humana sunt, indicatur, Deum inprimis benevolum et beneficum fore genuinis suis cultoribus. Promittitur igitur hic discipulis summa Patris et Filii benevolentia et beneficentia, inprimis in impertiendis bonis religioni propriis conspicua, et est in verbis μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν non alia significatio, quam τοῦ ἐμφανισμοῦ v. 21. h. e. incrementi rectae cognitionis, et beneficiorum cum hac cognitione coniunctorum. Alienissima sunt ab hoc loco, quae a permultis de singulari quadam eaque mystica unione, et de quadam substantiae divinae approximatione disputantur. Alia est *Semleri* et *Lessii* interpretatio, qua πρὸς αὐτὸν refertur ad Patrem, ut Christus dicat: *ego et amicus meus veniemus ad patrem, perpetuo apud eum mansuri.* Cf. supra v. 2. 3. Sed priorem interpretationem contextui et sermoni Christi multo magis convenire, facile intelligitur.

24. Ὁ μὴ — οὐ τηρεῖ) *Contra qui me non amat, non*

non observabit mea praecepta. ὁ λόγος h. l. idem est ac: αἱ ἐντολαί. E versu 23. repeti debet: neque hac felicitate, his beneficiis fruetur; apud huiusmodi homines Pater et ego habitare iisque nos ἐμφανίζειν non possumus. Καὶ ὁ λόγος — πατρὸς) *et tamen doctrina, quam cognovistis, non mea est, sed Patris, qui me misit.* καὶ, *et tamen.* Significatur magnitudo culpae eorum, qui Christi praecepta spernunt. Quod docui vos, non sic est mea doctrina, ut non sit eadem Patris, sed potius Patris est quam mea. Cf. supra c. VII, 28. VIII, 28. XII, 49. Contemnit itaque Deum ipsum, qui Christi praecepta non servat, nec potest ad Patrem pervenire. Cf. supra comm. 6.

25. Παρ' ὑμῖν μένων) *Dum inter vos adhuc me versari licet.* μένων idem est quod ὤν, Luc. XXIV, 44. Haec ad vos consolandos breviter vobis dixi, quoad fert temporis ratio. Maiora in tempus aliud differenda sunt. Vid. c. XVI, 12.

26. Ἐν τῷ ὀνόματί μου) *Propter me*, meo rogatu, in meam gratiam, ut vices meas suppleat, ad promovendam meam causam, i. e. religionem a me traditam, et porro confirmandam. πάντα) Omnia, necessaria, quae nunc propter tarditatem vestram vobis declarare non possum, XVI, 12. καὶ ὑπομνήσει — ὑμῖν) Omnia, quae loquor vobis rudibus adhuc et parum capacibus, adhuc obliviosis, suggeret in memoriam. Vid. not. ad v. 16. *Paracletum*, seu Spiritum iterum promittit, qui Apostolos moneat, excitet, doceat, confirmet, divinam illustret doctrinam, in memoriam ipsis dicta Christi redigat, oblivione dudum obliterata, efficiatque, ut perverse explicata rectius intelligantur,

atque

atque ut consilia eorum et labores succedant felicius. Cf. c. XV, 26. 27.

27. Εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν) *Valere vos* (et felices esse) *iubeo*, Deus tribuat vobis omnigena bona. *Pacem alicui dare*, est formula hebraica salutandi et valedicendi. שָׁלוֹם לְךָ est *salutem tibi dico*. Cf. Luc. X, 5. Iesus autem haec dixit discipulis, quum abiit ex hac vita; sensus est: *iam vota mea valere iubeo*. Εἰρήνην τὴν — ὑμῖν) *Meam, inquam* (vid. not. ad c. XIII, 34. sub finem), me dignam *felicitatem vobis impertio*, spondeo, me tributurum esse vobis omnis generis bona. Verbum δίδωμι non multum differre videtur ab ἀφίημι. In utroque verbo apprecatio continetur, quae tamen efficacissima iam nunc sit et in posterum futura sit. Usus enim verbo δίδωμι, Christus significat, se non tantum *promittere* salutem, sed hoc ipso tempore *tribuere* sui amantibus eam felicitatem, quam ὁ κόσμος neque noscat, neque largiri possit. οὐ καθὼς — δίδωμι ὑμῖν, non ita, ut plerique homines bona apprecari solent. Non inanem vobis exhibeo salutationem, sed vera bona, quae sincero animo vobis apprecor, ea re vera et nunc, quantum fieri potuit, consecuti estis, et postea consequemini. Ὁ κόσμος h. l. non sunt tantum Iudaei, (non enim est causa in oppositione;) sed simpliciter *homines, vulgus*. Nempe maior pars hominum salute alios impertit sono vocis, nihil saepe de re cogitans, et si cogitet, tamen id alteri nihil prodest. Ego autem, inquit Christus, non tantum bona quaevis ex animo vobis exopto, sed tribuo etiam. Ego a vobis discedens, relinquo vobis spem omnis verae felicitatis, non eiusmodi, quam vobis

bis homines dare solent, fallacis et caducae, quae animum pascere et tranquillare non potest. Ita εὐλογεῖν, quod est *bene precari*, quum de hominibus usurpatur, significat *benefacere*, quum Deo tribuitur. μὴ ταρασσέσθω) Haud dubie tristis vultus discipulorum internam animi perturbationem prodidit. Hortatur igitur, ut ne omnino animum abiiciant, consilii quasi inopes.

28. Ὑπάγω, καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς) *Abeo quidem* (a vobis ad tempus,) *sed redibo ad vos.* Verba ὑπάγω et ἔρχομαι iterum accipienda sunt de abitu ad Patrem in coelum atque de reditu in animos Apostolorum; nam ipse Christus statim dicit: πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα. Vid. not. ad v. 18. 19. εἰ ἠγαπᾶτέ με) *Si amaretis me*, h. e. mei magis quam vestri amantes essetis. Haec non dicuntur, quasi discipuli amore prorsus carerent, sed cum emphasi, ut subaudiatur: *perfecte plene;* si ita me amaretis, ut mei amorem aliis omnibus desideriis praeferretis. ἐχάρητε — πατέρα) *gauderetis utique quod dixerim ad Patrem me profecturum.* Voc. εἶπον valde suspectum est, quum desit in multis Codd. Recte a *Griesbachio* omittitur. ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι) *nam pater meus me maior est.* Vix huius effati sensum intellexerunt, qui interpretarentur: „*Pater meus potentior est quam ego;* a Patre missus sum, qui autem mittit, maior est eo, qui mittitur.“ Sed Christus iam supra multis locis suam cum Patre unitatem, etiam quoad potentiam, demonstraverat; vid. not. ad c. V, 19. sqq. X, 30. coll. hoc Cap. v. 7. 10. rel. Hoc loco autem Christus non in eo versatur, ut de *coniunctionis ratione*, quae Patrem inter et se intercederet, exponat, sed ut Apostolos

stolos consoletur. Quare Iesus haec ideo dixit, ut intelligerent discipuli, et se apud Patrem fore tutum, et ipsis in Patre plus fore praesidii, quam in sua visibili praesentia. Unde et Apostoli, ubi de opere, quod Christus exsecutus est, loquuntur, ita loquuntur, ut Patrem quodammodo praeferant, 1 Cor. XI, 3. Itaque sensus loci nostri hic est: Abibo ad Patrem, *qui sublimiore conditione versatur, quam ego nunc*, dum humanae sorti addictus sum. Iam vero tempus proxime instat, quo ad Patrem mihi redeundum est, qui sua potentia efficiet, ut, quod opus in terris incepi, ad veram hominum salutem perducatur. Tunc, cum ad Patrem reversus fuero, plus efficietur ad stabiliendum in terra coeleste regnum. Cf. v. 12. sqq. XVI, 7. Igitur vos de abitu meo gaudere oportet. Et gavisi sunt postea Apostoli, cum abitum Christi ad Patrem conspexerunt, Luc XXIV, 52. — Apposite *Calvinus* ad h. l.: „Varie, ait, detorsus fuit hic locus. Ariani, ut Christum probarent quendam secundarium esse Deum, obiiciebant, minorem esse Patre. Patres orthodoxi, ut tali calumniae ansam praeciderent, dicebant, hoc debere ad naturam humanam referri. Atqui ut impie hoc testimonio usi sunt Ariani, ita nec recta nec consentanea fuit patrum solutio. Hic enim neque de humana Christi natura, neque de aeterna eius divinitate sermo habetur, sed pro infirmitatis nostrae captu se *medium* inter nos et Deum constituit.

29. Ἵνα — πιστεύσητε) *Ut, ubi hoc evenerit, in ea de me maneatis persuasione*, ut ne labefactetur fides vestra. Ad εἴρηκα subaudi: ὅτι πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα, et ad πιστεύσητε: ὅτι ἐγώ εἰμι. Vid. not. ad XIII, 19. coll. XIV, 25. XVI, 1.

30.

30. Οὐκ ἔτι πολλὰ λαλήσω μεθ' ὑμῶν) *Non multa posthac vobiscum loquar;* quia nimirum parum superest temporis. Ἔρχεται γὰρ — ἔχει οὐδέν) *Mox enim adorietur me princeps huius mundi, quanquam nihil adversus me efficere possit.* Ἔρχεσθαι h. l. valet *adoriri, impetum facere,* ut c. X, 12. Luc. XII, 39. De *principe mundi* cap. XII, 31. dictum est. Princeps huius mundi venit, scil. *per homines sui plenos,* quorum vis erat ἐξουσία τοῦ σκότους, Luc. XXII, 53. coll. Eph. II, 2. Hoc loco Synedrium, Magistratus Iudaeorum nominatim intelligi videtur, ut contextus docet. Nunc, inquit, instat tempus, quo illi Iudaei flagitiosi mihi vitam erepturi sunt. καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν) Scil. ποιεῖν. (Plena formula extat Luc. XII, 4.) *Sed nihil contra me valet;* nam ἐν hebr. ב *contra;* et ἔχειν, valere, *posse* ut Matth. XVIII, 25. Non vincet me, sed ipse potius se victum prostratumque sentiet. Quanquam fuero interemtus, tamen in vitam redibo, meumque opus nihilominus continuabitur. Alii: *Sed in me nihil habet, quod culpare possit,* ut ἐν ἐμοὶ idem sit, quod πρός με.

31. Ἀλλ' ἵνα — ἄγωμεν ἐντεῦθεν) *Sed ut intelligant homines, me amare Patrem, et uti ille mihi demandavit, ita agere; surgite, abeamus hinc.* Ὁ κόσμος h. l. est universum genus humanum. Ut homines intelligant, me Patris mandata exsequi. Cf. supra cap. X, 17. seqq. Si vellem, mortem effugere possem, Matth. XXVI, 53.; sed pro hominum salute omnia, quae Pater mihi mandavit, lubentissime perpetiar. ἐγείρεσθε) Sc. a mensa, a coena. ἄγωμεν ἐντεῦθεν) *Abeamus hinc,* nempe ex urbe ad montem oliveti, ut morti obviam eam.

CAP.

CAP. XV.

Dissentiunt Interpretes de loco quo Iesus ea quae Capp. XV. XVI. et XVII. leguntur locutus sit. Quia Iesus c. XIV, 31. dixerat: ἄγωμεν ἐντεῦθεν, plures existimabant, sermones qui sequuntur habitos esse inter eundum, antequam ad illos hortos devenirent, ubi captus est. Similitudinem ex eo duxisse dicunt, quod per medias vineas iter fecerit. Alii contendunt, Iesum finita coena una cum discipulis se contulisse in templum, ubi *vitis aurea*, insigne templi ornamentum, limen atrii obumbrans, similitudini de *vera vite* opportunitatem praebuerit. At vero omnis haec oratio, praesertim c. XVII., interiorem animi affectum prodit, quam ut templo hominibus referto, aut itineri in plateis conveniat. Accedit, quod opinionibus istis obstat initium capitis XVIII., ubi comm. 1. disertis verbis scriptum est: ταῦτα εἰπὼν ὁ Ἰησοῦς ἐξῆλθε κ. τ. λ. Quare non possumus non consentire cum *Knappio* (l. l. p. 273. not), qui existimat, haec omnia, quae c. XIII, 1. — XVII, 26. relata in literas sunt, Hierosolymis acta esse, atque ad ultimam *coenam paschalem*, quam Christus discipulis suis dederit, pertinere. Nempe quae c. XIII, 1 — 30. continentur, praesente Iuda Iscariote dicta sunt; reliqua Christus, eo absente, *partim* accumbens adhuc cum suis in convivio (XIII, 31. — XIV, 31.), *partim* posteaquam surrexerant (XV, 1. — XVII, 26.) locutus est. (Nam in conviviis, apud veteres quoque, haberi sermones post epulas saepe solebant. Cf. praeter Graecos scriptores, Gellii *Noct. Att.*

I, 2. 4. XIV, 2. 3. XIX, 9. 3.) Illis quidem verbis, c. XIV, 31., ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν, significatur, surgendum iam esse, discessumque parandum: sed qui c. XVI. et XVII. sequuntur sermones, ita cohaerent cum superioribus, ut his continuo subnexi, et *ante discessum ex urbe* eodem in coenaculo habiti videantur, praesertim cum Iesus c. XVIII, 1., postquam haec locutus erat, tum demum urbe exiisse cum discipulis dicatur.

1. Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή) Illustravit hoc caput *Nösseltus* in Progr. quod continet interpretationem Grammaticam capitis XV. et XVI. Evangelii Ioannis. Vid. eius opuscula ad interpretationem Sacrarum Scripturarum, Fascicul. II. Halae 1787. p. 25. seqq. Conferri potest *Mori* Diss. *de notionibus universis in Theologia* in Dissertatt. theol. et philol. Lips. 1787. p. 263. sqq. Agit quidem hoc caput *proprie* non de omnibus Christianis, sed de Apostolis eorumque munere; nam continentur in eo quaedam futuris Christi legatis eorumque muneri haud dubie propria v. 16. 26. 27. Quis vero harum orationum (c. XIV—XVI.) argumenta in tantas angustias compellere audeat, ut omnia, quae hic discipulis Iesu praecipiuntur, mandantur, promittuntur, ad solos Apostolos, vel doctores aetati Apostolorum suppares, pertinere censeat? Quin etiam Apostolis persuasissimum fuit, ex his enunciatis pleraque tam late patere, ut ad omnes veros Christi sectatores referri debeant. Quae enim ipsi Apostoli de singulari Patris et Christi favore, de intima Iesu cum suis coniunctione, huiusque fructu, item de perpetuo Spiritus S. patrocinio (c. XIV, 16. coll. Matth. XXVIII, 20.), de mutuo discipulorum amore,

amore, de fide Christo habenda; quae igitur de his ceterisque doctrinis, ex pari genere, omnibus omnino praeceperunt, talia sunt, ut eorum fundamenta in his ac similibus Christi dictis posita esse manifesto appareat. — Monentur autem hoc loco Apostoli, ut operam dent, ne coniunctio ipsorum, legatorum et discipulorum, cum Christo, a quo edocti institutique erant, unquam dissocietur, hoc est, ne desinant esse veri eius ministri, legati et discipuli: qua quidem coniunctione soluta, nihil in ulla parte muneris gerendi praestare queant. Simul apparet, iis hac conditione, si salva coniunctio manserit, et bona promitti, gerendo nominatim muneri necessaria (v. 2. 7. 26), et favorem Christi atque approbationem constantem Christus itaque *vitis* imagine se describit *doctorem*, auctorem religionis salubris et Deo dignae: discipulos suos iubet imitari palmitum indolem; quia aliter Deo fructus ferre non possint. Quum Christo in more esset, ut ex rebus conspectis, similitudines acciperet, quibus doctrinam suam illustraret, probabilis est *Nösselti* coniectura, Iesum incidisse in commemorationem sui, qui sit *vera vitis*, occasione coenae ultimae cum discipulis celebratae, in qua, ut ceteri Evangelistae referunt, negavit se porro bibiturum *de hoc vitis fructu*, Matth. XXVI, 29. Etenim quum post coenam, e veterum more, vinum biberetur, et Christus mensae adhuc accumbens in mentionem τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου incidisset, haud sane e longinquo repetita videbitur comparatio cum *vite*. Fortasse etiam vitibus iugatis exterior paries aedium ita erat vestitus (cf. Ps. CXXVII, 3.), ut per fenestras coenaculi lampadibus illustrati sarmenta et palmites conspici possent. Ceterum frequentissimae in scriptis

sacris occurrunt imagines a *vite* aut *vinea* petitae. Cf. Ier. II, 21. Iesai. V, 1. sqq. Ezech. XV. XIX, 10, sqq. Ps. LXXX, 9. 15. cet. Dicit igitur Iesus: ἐγώ εἰμι — γεωργός ἐστι) *Ego vera sum vitis, et pater meus vinitor est. Veram* se *vitem* dicit, ut c. VI, 32. 55. *verum panem* propter ea, quod a patre constitutus sit in terrarum orbe, ut per se doctrinamque suam vim quandam tribueret ad bene beateque vivendum. Apostolos comparat cum *palmitibus*, quos Deus, *vinitor*, curet et foveat, v. 2. Est igitur Christus *vitis*, puatenus est dux doctorque eorum, quos omnino sectatores legatosque habere vult, per quem accipiunt veluti succum et vim crescendi, h. e. idonei redduntur muneri. Patrem autem vocat vinitorem, quia ab eo missus erat. Γεωργὸς h. l. est id. quod ἀμπελουργός, Matth. XXI, 33. — Bene *Rusius* (in *Harmonia Evangelistarum* T. III. p. 798.): *Verum* (ἀληθινὸν) non sumitur ratione substantiae et formae; sed intelligitur ratione effectus, uti solet in comparatione rerum usurpari, ubi idem dicit, ac quod rem, quacum contenditur, praestantia et effectu non modo aequat, sed et superat.

2. Πᾶν κλῆμα — αἴρει αὐτό) *Omnem palmitem in me, qui non fert fructum, amputabit.* Αἴρειν, *tollere*, h. l. est *resecare*, quam notionem obtinet non solum hebr. נָשָׂא Levit. X, 4. 5. 1 Reg. IV, 3. Ezech. III, 14. sed etiam vox αἴρω partim apud Scriptores graecos, v. c. *Homer.* Iliad. XVII, v. 724. partim apud Alexandrinos interpretes, Gen. XXXV, 2. 1 Reg. VIII, 4. Palmites dicit Iesus *discipulos* suos, et docendi ministros, quod doctrinae a se traditae interventu vim recte agendi consequerentur. Qua si minime uterentur, nec ferrent idoneos fructus, verendum esse dicit,

dicit, ne inutilis instar palmitis resecentur, h. e. desinant esse Christi discipuli iacturamque salutis faciant. Cf. Rom. XI, 17. καὶ πᾶν — φέρῃ) *Omnem contra, qui fructum fert, purgabit, ut ad fructus ferendos uberior sit.* Καθαίρειν, a *sordibus purgare*, usurpatur etiam de agricolis et vinitoribus, quum inutiles ramos in vitibus arboribusque falce amputant *(beschneiden,)* ne vel nimis luxurient, vel steriles facti exarescant, sed ut copiosiores fructus ferant *Cicero* de Senect. 15.: *vitem serpentem multiplici lapsu et erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur.* Sic qui Christum profitentur sine factis piis, tolluntur, Deo grati esse nequeunt, utcunque frondibus viridibus se ostentent. Remoto tropo, sensus verborum Christi est: locupletat talem discipulum doctrinae obsequentem veritate ubertateque scientiae, ut locupletior ad bene agendum sit, ut aptior in dies fiat pluraque praestare possit. Nempe Deus Pater, ad quem fructus vitis et palmitum, et iudicium de palmitibus pertinet, in cuius honorem totum hoc vergit, quod Christus dux et doctor habet sectatores et ministros, Deus ergo, ut *vinitor* (v. 1.) pretium iis statuet, augebit eos scientia, magisque in dies erroribus liberabit, et idoneos officiis praestandis reddet. Pronomen αὐτό, bis hoc comm. positum, non redundat, dummodo verba πᾶν κλῆμα accipiuntur ut Nominativi absoluti.

3. Ἤδη — λελάλημα ὑμῖν) *Iam vos purgati* (deputati) *estis per doctrinam, quam vobis tradidi;* i. e. iam bene edocti a me, erroribus liberati, munerique praeparati estis. (Vid. supra c. XIII, 10.) Tacite subintelligi vult Christus ita *puros* esse discipulos, i.

e. frugiferos, ut tamen magis magisque purgandi sint. ὁ λόγος h l. universam significat Iesu doctrinam, qua discipuli iam imbuti erant.

4. Μείνατε — ἐν ὑμῖν) *Manete mecum coniuncti, sicuti et ego vobiscum.* Sensus est: Sequamini doctrinam meam, qua ego vos imbui. Nam in *Christo manere* h. l. idem esse ac *tenere doctrinam Christi* eamque sequi, docemur v. 7. ubi Iesus ex eo, quod dixerat, μείνατε ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν, haec concludit: si manseritis in me, *et doctrina mea in vobis manserit.* Est igitur Apostolorum cum Christo coniunctio in necessitudine (relatione) mutua, per quam illi veri sunt et genuini eius legati, ministri, discipuli, (v. 8.) hic vero se et patrem suum iis in munere gerendo faventes praestat. (v. 7. 11. 14.). Cf. supra c. XIV, 18. 23. 1 Io. II, 6. 14. Καθὼς τὸ κλῆμα — μείνητε) *Quemadmodum palmes per se, ubi a vite separatur, non potest ferre fructus; ita et vos, nisi mihi* (doctrinae meae) *adhaereatis*, non poteritis fructus ferre. ἀφ' ἑαυτοῦ, vi aliqua propria, quam habeat extra vitem. Sic ἀπ' ἐμαυτοῦ supra c. V, 30. VII, 17. VIII, 28. ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μείνητε, nisi me meamque doctrinam diligenter retineatis, ita ut et in posterum me vobis praesentem atque conspicuum exhibere possim, vid. c. XIV, 21.

5. Ὁ μένων — πολύν) *Qui mecum coniunctus manet*, constanter doctrinam meam retinet, ita ut nunquam eam deserat, *quemadmodum* vice versa *ego semper cum ipso manebo coniunctissimus, is demum edet multum fructum*, officiis sectatoris et ministri satisfaciet. ὅτι χωρὶς — οὐδὲν) *Neque enim a*

me

me seiuncti (resecti) *quicquam efficere poteritis*, i. e. nisi a me edocti sitis, meoque auxilio utimini, non potestis munere legatorum meorum et interpretum ad homines recte fungi, nec discipuli mei ministrique dici. χωρὶς ἐμοῦ, *a me quasi seiuncti*, me non auxiliante. Οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδὲν, *nihil praestare potestis*, sc. eorum, quae vobis, legatis meis, agenda sunt. Cf. 2 Cor. III, 5. Phil. IV, 13. Proprie quidem haec spectant ad munus Apostolicum; sensu vero latiori pertinent etiam ad sectatorum Christi universitatem, quum nemo Christianus, nisi a Christo edoctus, recti et salutiferi quicquam perficere aut velit aut possit; coll. Actor. IV, 12.

6. Ἐὰν μὴ — καὶ κλῆται) *Si quis mihi non adhaeserit*, hoc ipso *eiectus est*, *exaruit palmitis instar; colligitur*, *in ignem coniicitur et comburitur*. Vide supra v. 2. *Si quis non retinuerit doctrinam meam*, *desinet esse discipulus meus;* eiicietur sicuti palmes abscissus a vite eiicitur et arescit. Ἐβλήθη ἔξω, emittitur, removetur a Patre, qui vinitorem agit, extra vineam. Aoristi ἐβλήθη et ἐξηράνθη non vim Futurorum habent, sed sine designatione temporis significant quid fieri soleat, pro quo et Praesens saepe usurpatur. Antecedit forma Praesentis, Aoristus sequitur. ἐκβάλλεσθαι ἔξω in comparatione est: *praecidi a vite*, et significat: *destitui gratia et favore Christi*. καὶ ἐξηράνθη) Apparet eius inutilitas, quae egregie describitur Ezech. XV, 2. sqq. Pro αὐτὰ Codd. nonnulli ex interpretamento habent αὐτὸ, quia praecedit τὸ κλῆμα, et sequitur κλῆται. Sine necessitate; potius voc. κλῆμα in Plurali accipiendum est propter verbum συνάγουσιν, quod uni palmiti non convenit.

venit. καὶ συνάγουσιν — βάλλουσι) Impersonaliter: *colligi et coniici solent.* Cf. Luc. VI, 38. XVI, 4. Talis discipulus salutis iacturam faciet, et a Patre meo severe punietur. Cf. Matth. III, 10. XIII, 30. 40.

7. Ἐὰν μείνητε — γενήσεται ὑμῖν) *Si mihi coniuncti manseritis, et doctrina mea in vobis manserit, tum quodcumque rogaveritis, id quidem continget vobis.* Cf. supra v. 4. XIV, 13 — 15. infra v. 16. XVI, 23. Haec promissio hoc in loco proprie quidem pertinet ad Apostolos, eorumque propagandae doctrinae Christianae munus, et plane similis locus exstat Matth. XXI, 21. 22; ut adeo Iesus h. l. loquatur de precibus haud dubie et semper audiendis, quibus Apostoli auxilium Dei implorarent in eius causa, i. e. in doctrina commendanda, sive ea miraculis stabilienda esset, sive recte ac promte tradenda. Matth. X, 19. 20. Sed haec quoque Christi promissio, Patrem preces *sui vere amantium* omnes exauditurum esse, ipso affirmante Ioanne (Ep. I. c. III, 22.), latiori sensu pertinet ad sectatorum Christi universitatem. Vid. et not. ad c. XIV, 16. sub finem.

8. Ἐν τούτῳ — μαθηταί) *Hac re Pater meus honoratur, si feratis fructum multum,* (si officiis sectatorum ministrorumque meorum satisfaciatis) *et vos tanquam discipulos* (veros) *meos probetis.* Aoristus ἐδοξάσθη iterum ponitur pro Praesenti. Particula ἵνα hic habet vim indicandi modi, quo discipuli studium probent Deo, ut v. 13. De verbo δοξάζειν vid. supra c. XII, 28.

9. Καθὼς — τῇ ἐμῇ) *Quemadmodum Pater me amat, atque ego amo vos: sic me quoque constanter*

ter amate. Cur Iesus hoc addat, facile perspicitur. Nam legatus Christi, e cuius animo ille amor exsulat, is non tenet acceptam a Christo doctrinam, nec sine illo amore expleta in animo eius et vita virtus est, quantumvis ceteroqui negotio docendi propagandaeque doctrinae perfungatur. 1 Cor. XIII, 1. 2. Ad μείνατε subaudi: οὕτως. Quod hic dixit ἀγάπη τῇ ἐμῇ, statim dicet ἀγάπη μου. ἀγάπη μου est *amor mei.* Sic ἀγάπη θεοῦ Luc. XI, 42. et supra c. V, 42. et 1 Io. II, 5., ubi ἀγάπη θεοῦ explicat id, quod ante dictum erat ἔγνωκα αὐτόν. Ibid. v. 15. ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς opponitur ei dilectioni, qua mundus diligitur. Cf. etiam 1 Io. III, 16. 17.

10. Ἐὰν — μένω αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγάπῃ) *Si fueritis mea mandata secuti, tum perseverabitis vere in amore mei,* (vere ostendetis, me a vobis amari,) *sicut ego sum Patris mei mandata secutus, eumque amavi.* Μένειν ἐν τῇ ἀγάπῃ τινος non est intelligendum de alterius, quo fruimur, amore, sed de eo, quo nos alterum prosequimur. Cf. c. XIV, 21. 23. 24. 31.

11. Ταῦτα — πληρωθῇ) *Haec* (de conservando in me amore) *dixi vobis, ut mea de vobis laetitia,* de vestro amore, obsequio, *esset perpetua, gaudiumque perfectum vobis contingeret.* Vid. 1 Io. I, 4. 2 Io. 14. χαίρειν ἐν τινι est: *laetari de aliquo*, laetitiam de aliquo habere. Itaque ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν, *gaudium meum de vobis*, bene distinguitur a χαρὰ ὑμῶν, ab ea laetitia, quam discipuli perciperent. Ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ, ut gaudium percipiatis plenissimum, quum scil. sciatis, me vos, ministros meos fideles, amare. Sic laetitia mea de vobis *manebit,*

durabit,

durabit, et vos gaudio cumulatissimo fruemini. Cf. XVI, 24. XVII, 13. Multo minus probanda est *Nösselti* sententia, qui post Euthymium verba ἐν ὑμῖν connectit cum χαρὰ, ut χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν sit *gaudium vestrum de me.* Esse autem τὴν χαρὰν ὑμῶν plane eandem cum χαρᾷ τῇ ἐμῇ, propter locum simillimum c. XVII, 13. in quo πεπληρωμένην dicitur ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ, ut hic πληρωθῇ de χαρὰ ὑμῶν, nec obstare, quod χαρὰ ὑμῶν disiungi videatur a χαρᾷ τῇ ἐμῇ, posse enim ἡ χαρὰ ὑμῶν vim habere interpretandae alterius χαρᾶς. Esse porro haec duo: *amor* discipulorum in Christum conservandus, et *gaudium* eorum de Christo coniuncta hoc modo: Gaudium illud, quod Christus promittit, haud dubie est laetitia ea, quam capere deberent ex eius profectione in coelum (XIV, 28.), estque illa laetitia contraria tristitiae, qua propter Christi discessionem afficiebantur. Sed hanc laetitiam percipere non potuissent, si amorem in Christum non conservassent, nec discipuli eius mansissent. Itaque iubet, ut se amare pergerent; quod si facerent, pollicetur *perfectam laetitiam*, i. e. quae et tristitiam omnem expellat, nec finem habitura sit, c. XVI, 21. 22. At vero haec Nösselti interpretatio certe difficilior est; quam si acceperis, tautologia existit molestissima. Contra si priorem secutus fueris interpretandi rationem, sensus multo procedit felicius.

12. Αὕτη — ὑμᾶς) *Mandatum meum.* Vid. supra not. ad c. XIII, 34. 35. Quam in illo loco Christus exhibuerat sententiam, eam hoc loco multo explanatius declaratam reperimus. Erat enim hoc in sapientissimo eius more, ut cum sermocinando aut colloquendo

do doceret, non modo eandem sententiam iisdem saepe verbis repeteret, sed etiam, si quid dictum obscurius videretur, id, continuato aut iterato sermone, vel per contextum orationis, vel per ipsam verborum collocationem, vel denique additis mutatisve uno aut pluribus vocabulis, apertum et dilucidum redderet (vid. XIII, 33. coll. v. 36.). In hoc loco vel ipsa series et consecutio verborum docet, Christum sui amoris exemplum discipulis ad imitandum proponere velle: *Meum hoc praeceptum est, ut mutuo vos ametis, quemadmodum ego vos amavi*, q. d. meum in amando exemplum imitamini; ex me vobis mutui amoris exemplum sumite.

13. Μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει κ. τ. λ.) *Maius amoris documentum dare nemo potest, quam si quis vitam suam pro amicis ponat.* Quibus verbis, quis neget, amorem plane eximium, ac talem omnino, quo maior inter homines esse nequeat, Christi exemplo commendari? Nihil, inquit, vos facere iubeo, quod ipse prior non fecerim. Quis vestrum, quicumque me ex animo diligitis, sincero constantique amore eos amplecti recuset, quos ego tantopere dilexi? ἔχειν ἀγάπην h. l. est *ostendere amorem luculento documento.* Rom. V, 8.

14. Ὑμεῖς φίλοι μου ἐστὲ) *Pro amicis vos habeo*, quos meo iure *servos* appellare possem, utpote *discipulos.* Alio respectu erant Iesu ministri, alio amici. Nomine amicorum meorum vere digni eritis, si praecepta mea constanter tenetis.

15. Οὐκέτι — δούλους) λέγω, i. e. *habeo.* Inde ab hoc tempore non amplius vobiscum ago, tanquam

cum

cum servis, ministris, quanquam iure meo possem. Vid. XII, 26. XIII, 13. sqq. Alii contendunt, Particulam οὐκέτι h. l. idem esse quod οὐκ, et significare: *non tam, non tantum.* (Quae tamen significatio non satis probatur loco Marc. VII, 12.) Quare vertunt: *Non tantum vos servos dixi* (λέγω pro Praeterito) *et qua tales tractavi.* Ita *Kuinölius* ad h. l. aliique. Semper, dicunt, Iesus discipulis suis familiarissime usus erat, iisque ultima sua fata iam dudum aperuerat, coll. c. VI, 53. Matth. XVI, 21. (Locus Luc. XII, 4. ad nostrum locum illustrandum minime facit.) Qui sic interpretantur, eos offendit etiam, quod comm. 20 (vid. ibi not.) Iesus iterum discipulos cum δούλοις comparat. Qui tamen locus neutiquam nostrae interpretationi repugnat, et sensus optime procedit, dummodo verbum εἴρηκα referatur ad comm. 14. Antea Christus in Evang. Ioannis nondum discipulos salutaverat φίλους. Vult autem hoc: Haud amplius vos servos esse dico, i. e. eiusmodi homines, qui alieni a consiliis meis atque inviti iussa mea exsequuntur; sed inde ab hoc tempore amicos vos habeo mihi coniunctissimos, operis mei participes, consiliorum meorum conscios. Cf. *Lückium* ad h. l. T. II. p. 407. sq. ὁ δοῦλος — κύριος) Non credit herus sua consilia servis. τί ποιεῖ, *quid facere velit.* πάντα — ἐγνώρισα ὑμῖν) Omnia quae Pater vos per me scire voluit, tanquam fidis amicis vobis tradidi.

16. Οὐχ ὑμεῖς με ἐξελέξασθε) *Non vos delegistis me*, sc. ut doctorem et magistrum vestrum; vel, officiis vestris me non provocastis ad amicitiam, ut debiti sit redamare. ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς) *Sed ego vos*

vos selegi ex omnibus, nihil promeritos. Cf. e. g. VI, 70. Matth. IV, 18. sqq. IX, 9. sqq Luc. VI, 12. sqq. καὶ ἔθηκα — μένῃ) *Atque constitui vos, ut fructus* (muneris) *feratis, eosque duraturos* ἔθηκα ὑμᾶς) *Constitui vos*, in hoc delegi. Ductum est hoc verbum ab arboribus aut vitibus, ut in superiori sermone ἵνα ὑμεῖς ὑπάγητε, scil. ad exsequenda ea, quae mandavi, ut Matth. XVIII, 15. XIX, 21. καρπὸν φέρητε) Annunciando nimirum et ad alios propagando doctrinam meam. καὶ ὁ καρπὸς ὑμῶν μένῃ) Per Hebraismum: *Qui fructus vester maneat*; qui in coeleste horreum reponatur, non comburatur; vel *ut fructus feratis perpetuos*, nimirum per munus Apostolicum. ἵνα ὅ, τι — δῷ ὑμῖν) *Atque ita, quidquid mei causa a Patre petieritis, faciam ut vobis concedatur.* Cf. supra v. 7. ἵνα h. l. verti potest: *quo facto.*

17. Ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν) *Haec omnia inculco vobis*, nempe de amore, quo vos praeveni, quem ad mortem usque extendi, quo nihil vos celavi. Solet interdum דָּבַר et אָמַר verti per ἐντέλλομαι. Ios. IV, 12. XI, 23. Esth II, 15. Quae comm. 12. breviter exposita erant, pluribus illustravit Christus comm. 14 — 16., demonstrans, quales sint, quos *amicorum* nomine dignos habeat, et quid praemii exspectare possint. In fine addit hoc epiphonema: ταῦτα — ἀλλήλους, quo suos iterum admonet, haec ideo dici, ut in caritate inter se constanter colenda, suum ipsius exemplum sequantur. Bene inter veteres *Rupertus* ad h. l.: „Palam faciebat Christus, quomodo vel quantum diligeret nos, tanquam si apertius dixisset: Usque ad mortem diligite invicem, quia usque ad mortem dilexi vos (1 Io. III, 16.).“

18. Εἰ ὁ κόσμος — μεμίσηκεν) *Si vulgus profanum oderit, animadvertite, quod me vobis priorem* (prius) *oderit.* Cf. 1 Petr. IV, 12 — 14. Matth. X, 25. 1 Io. III, 1. 13. Ὁ κόσμος quid sit, diximus ad Io. XII, 31. Intelliguntur inprimis Iudaei. Μισεῖν h. l. non tantum est *odio habere*, sed etiam *male tractare*, ut cap. VII, 7. Πρῶτον pro πρότερον, *ante quam vos.* Incipit postrema pars colloquii inter Christum et Apostolos suos, quae ad confirmandos discipulorum animos, doloremque et metum rerum futurarum mitigandum propius pertinet, quum illa superior magis praecepta contineret et officia, quae illis post Christi discessionem colenda essent. Videbant iam Apostoli non posse sermonem Evangelii dōceri, ut non in maxima odia incurrerent. Iam enim conventu prohibiti erant, qui Iesum profiterentur Messiam (IX, 22.); ipse petebatur ad mortem. Itaque adversus hunc metum Christus Apostolos munit.

19. Εἰ ἐκ τοῦ κόσμου ἦτε) *Si similes essetis profanis*, ingenio eo praediti, quo sunt profani homines. Simillimae sunt phrases: ἐκ τοῦ θεοῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου, τοῦ πνεύματος. ὁ κόσμος — ἐφίλει) *Isti profani vos diligerent ut suos; ut suae indolis homines;* solet enim ad amicitias valere studiorum communitas, et similis amat similem. Euthymius ad h. l.: ὥστε τὸ μισεῖσθαι ὑμᾶς παρὰ τῶν πονηρῶν, ἀπόδειξίς ἐστιν ἀρετῆς, ὥσπερ καὶ τὸ φιλεῖσθαι παρὰ τῶν τοιούτων, κακίας. Τὸ ἴδιον, *socii, sodales*, membra coetus alicuius. ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου) *Selegi vos ex improborum hominum coetu* longeque alii rei et provinciae vos destinavi, mihi vos in peculium seposui. Cf. ad h. l. 1 Io. III, 13. IV, 5. 6.

20.

20. Μνημονεύετε — ὑμῖν) *Memores estote illius mei dicti.* ὁ λόγος, h. l. est adagium. Huius adagii iam supra mentionem fecerat, c. XIII, 16. quanquam alio sensu. οὐκ ἔστι — κυρίου αὐτοῦ) *Non melior est servi, quam heri conditio*, i. e. non debet servus aegre ferre aut mirari, si sibi accidat, quod domino. Christus hoc loco Apostolos non *appellat* servos (vid. ad v. 15.), sed similitudinem tantum petit a servorum sorte; discipulosque vult eorum recordari, quae ante hoc tempus dixerit: *memores*, inquit, *estote.* Εἰ ἐμὲ — διώξουσιν) *Si me insectati sunt, vos quoque male accipient.* Διώκειν, *vexare, insectari*, nempe ob religionis Christianae professionem. Εἰ τὸν λόγον μου — τηρήσουσιν) *Si meam doctrinam observarunt, vestram quoque observabunt.* Quae verba (*Kuinölio* observante) ita interpretanda sunt: „*Si meam doctrinam admisissent et observassent, etiam vestram admissuri et observaturi essent* (v. 22. εἰ μὴ ἦλθον, *si non venissem)*, i. e. ut meam doctrinam non amplexi sunt, ita nec vestram amplectentur.“ Nonnulli volunt hoc dictum esse ironice, κατ' ἀντιστροφὴν ἀντιθετικῶς: *ut meam doctrinam observarunt*, quod minime factum esse nostis, *ita et vestram observabunt.* Sic *Lückius* ad h. l. Male τηρεῖν nonnulli explicant per παρατηρεῖν, *insidiose, malitiose observare (auflauern).* Quod vix locum habere potest, quum λόγον addatur. Formula autem τηρεῖν τὸν λόγον in N. T. semper bono sensu occurrit, ita ut sit, *praecepta observare*, ut supra comm. 10. VIII, 52. 55.

21. Διὰ τὸ ὄνομά μου) Matth. X, 22. *Propter me, eam ob causam, quod vos discipulos meos profite-*

fiteamini. διὰ τὸ ὄνομά μου id. est ac: ἕνεκεν ἐμοῦ, ut est Matth. V, 11. Hoc sicut alibi est *in meam gratiam*, ita hic est *odio mei*, ut et Matth. X, 22. Cf. etiam ad locum nostrum infra c. XVI, 3. Matth. XXIV, 9. ὅτι οὐκ οἴδασι τὸν πέμψαντά με) Sc. *bene, recte, liberaliter;* ignorant me Dei esse legatum, quia amorem erga Deum ipsum non sentiunt. Vid. supra c. V, 37. 38. 42. VII, 28. VIII, 47. 55.

22. Εἰ μὴ ἦλθον) *Si non venissem*, scil. *tanquam a Deo missus.* καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς) *Et nisi edocuissem eos.* ἁμαρτίαν οὐκ εἴχον) *Tam grave non esset illorum peccatum;* minor esset culpa; (sic cap. IX, 41. 1 Io. I, 8.) quia non potuissent contemnere, quae non didicissent. Essent ab hoc incredulitatis crimine liberi, cuius accessio magnam sarcinam addet eorum exitio. Νῦν δὲ — αὐτῶν) *Nunc autem non habent, quo suam contumaciam* excusent. πρόφασις, *praetextus, species, causa, quae praetenditur,* sive vera sit, sive falsa. Cf. Actor. XXVII, 30. Marc. XII, 40. Luc. XX, 47. Phil. I, 18. 1 Thess. II, 5. Ἁμαρτία h. l., ut v. 24. VIII, 21. XVI, 9. non de quovis peccato intelligi debet, sed de pertinaci contemtione doctrinae Christi, de animi contumacia et pervicacia.

23. Καὶ τὸν πατέρα μου μισεῖ) Nam Pater meus me ista docere iussit. Qui me meamque doctrinam repudiat, is etiam Patrem repudiat. Vid. supra c. V, 23. et cf V, 38. sqq. Sensus igitur est: Quum scire potuerint ac debuerint, me a Patre missum esse, quicquid in me contumeliosum faciunt, id Pater in suam contumeliam factum interpretatur. Haec autem culpae illorum aggravatio mirifice pertinet ad consolandos Apostolos.

24.

24. Alterum affert argumentum, quo adversarii reddantur inexcusabiles, *miracula* sua. Hoc autem ita accipiendum est, ut utrumvis sufficiat, aut doctrina, aut opera ad probandam missionem divinam. *Εἰ τὰ ἔργα — πεποίηκεν*) *Nisi ea facta inter eos patras sem, quae nullus alius doctor edidit.* Ἔργα sunt quidem omnia illa facta et negotia, quae Iesus peregit, praesertim vero *miracula*. Ἐν *αὐτοῖς*) scil. *ὤν*, *dum inter ipsos ago; ἐν μέσῳ αὐτῶν*, ut Actor. II, 22. *ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν*) Nihil obstat, quo minus haec referantur ad comparationem cum iis, quae a Mose Prophetisque edita sint, miraculis, quibus Christi miracula multo fuisse maiora atque potentior facile intelligitur. Ad *ἔργα* sua saepius iam provocaverat, quo, se Messiam esse, nemini, qui sanae docilisque mentis esset, non constaret. Cf. locum nostro simillimum c. XIV, 10. 11. coll Matth. XI, 5 21. 23. Add. Matth. IX, 33. Io. VII, 31. IX, 32. Aliorum opiniones, parum tamen probabiles, recensuit *Kuinölius* ad h. l. *ἑωράκασι*, sc opera illa eximia. *καὶ*, *et tamen*. *μεμισήκασι — πατέρα μου*) Me quidem directe, Patrem autem indirecte, quia ipsius mandata atque opera contemnunt, nullo probabili praetextu.

25. Ἀλλ' *ἵνα — δωρεάν*) *Veruntamen ea re verum fit illud, quod scriptum est in eorum sacris libris: sine causa me odio prosequuntur.* In verbis ἀλλ' *ἵνα* est ellipsis, vel etiam *ἀποσιώπησις*, quasi scriptum esset: *ἀλλὰ τοῦτο ἐγένετο κ. τ. λ.* Eo fiunt ista, ut id eveniat, quod in ipsorum sacris libris scriptum est, Ps. XXXV, 19. LXIX, 5. *Accommodationem* et comparationem simillimarum rerum sic designari et fieri,

fieri, statim omnes arbitri aequi iudicabunt. Davides enim in locis citatis de se loquitur; Christus autem hoc idem de se etiam vere dicere potuit (Cf. supra c. XII, 38). Christus de Iudaeis ipsi infestis conquestus, dictum illud Davidis etiam suo (magni illius Filii Davidis) exemplo illustrari et confirmari his verbis docet. Semper, ait, hic mos improborum fuit, ut pios ac probos odio persequerentur, nec mihi alia sors contingere potuit. Νόμος h. l. iterum ut supra c X, 34. latius sumitur, de libris sacris Iudaeorum. Δωρεὰν, חִנָּם, *sine iusta causa*, *frustra*.

26. Ὅταν δὲ ἔλθῃ) Subaudi: Haec pauca me iam dixisse sufficiat; multo vero plura ad meam doctrinam confirmandam et commendandam vobis impertiet ille divinus alius doctor et adiutor. Ὁ παράκλητος) Vide supra XIV, 16. ἐκπορεύεται) *Exit* missus, vel simpliciter: *mittitur*, si sensum spectes. Nam cum *mittendus* dicatur Spiritus a *Patre*, profecto eius *a Patre exitus* non alio nisi eodem sensu potest intelligi. Ἐκπορεύεσθαι non differt significatione ab ἐξέρχεσθαι; utrumque enim ponitur pro hebraeo יָצָא, et usurpatur de ministro, qui mandata exsecuturus iam abit a conspectu regis, qui eum mittit. Vanissimum erat eorum commentum, qui discrimen excogitarunt inter ἐκπορεύεσθαι et ἐξελθεῖν, ita quidem, ut hoc verbum ad emissionem Spiritus Sancti in orbem terrarum referretur, at ἐκπορεύεσθαι reconditiora significaret, nempe processionem Spiritus Sancti a Patre, qui eandem essentiam habeat cum Patre. Nemo unquam hoc per usum linguae docuit, aut docere potest. Ipse Christus utrumque verbum promiscue usurpat, cap. XVI, 28.

Quum

Quum autem Christus verba facit de mittendo Spiritu S., modo dicit: *ego* mittam, modo *Pater* mittet. Nostro loco ab initio legitur: ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, statim vero in eod. comm.: πνεῦμα, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. Cap. XIV, 16. est: ὁ πατὴρ τὸν παράκλητον δώσει ὑμῖν, et v. 26. ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου. Hinc Spiritus S. recte a deo *Patre* et *Christo* mitti dicitur, nihilque agere et suadere, nisi quod cum voluntate *Patris* et *Christi* conspiret, quorum in omni re summa sit et perpetua animorum consensio. Unde etiam Spiritus S. dicitur: πνεῦμα τοῦ θεοῦ, seu τοῦ πατρὸς, Matth. X, 20., et quia idem ille Spiritus etiam in Christo fuit, huiusque studiis ac precibus debetur, πνεῦμα Χριστοῦ, seu τοῦ υἱοῦ, Rom. VIII, 9. Gal IV, 6. Tit. III, 5. Phil. I, 19. 1 Io. IV, 13. 1 Petr. I, 11. ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ) *Ille de me testimonium perhibebit*, de me docebit, *mea referet placita*. Etiam apud *Philonem* Libr. quod mundus incorr. p. 941. B. μαρτυρεῖν περὶ τίνος est *referre alicuius placita, sententiam, res quas docuit*. Hoc fecit Spiritus S. dum Apostolos ad pleniorem uberioremque cognitionem Iesu Christi deduxit, ut praeter ea, quae iam tenerent ex ore et consuetudine magistri, discerent plura, et auditoribus proponerent. Sic factum est, ut Spiritus S, in Apostolis vim suam exserens, testimonium de Christo, vero Messia, etiam coram hominibus perhiberet. Nihil impedit, quo minus verba haec etiam vertantur: *Commendabit me, meamque causam*. Dum enim Spiritus Sanctus docuit Apostolos, iisque tribuit vim miracula patrandi, verum esse apparuit, quod Iudaei negabant, et fides facta est, Iesum esse legatum Dei.

27. Καὶ ὑμεῖς — ἐστε) *Sed et vos ipsi testificabimini*, doctrinam meam hominibus explicabitis, quippe qui ab initio mei muneris in his terris mecum versati fuistis. Eritis itaque et vos non dubiarum rerum, sed omnibus sensibus compertarum testes. Coniunguntur testimonia Apostolorum et ipsius Spiritus Sancti, ut Actor. V, 32.

CAP. XVI.

1. Ταῦτα — ὑμῖν) De odio et incommodis, quae vobis imminent. Vid. XV, 18. sqq. ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε) Haec vobis dixi, non ut vos moestiores reddam, sed ut muniam. Praevisa enim mala minus percellunt. *Ne offendamini*, ne animo consternemini, vel deterreamini a professione veritatis coelestis, quum ista vobis praeter exspectationem accidissent. Nam σκανδαλισθῆναι, quod latiori sensu usurpatur de iis, qui aliqua re, quasi aliquo laqueo irretiti, ad peccandum attrahuntur, angustiori sensu dicitur de iis, qui, quum admiserint doctrinam Christianam, illam posthaec, inprimis propter res adversas a se huius doctrinae causa suscipiendas, repudiant. Cf. Matth. XI, 6. XIII, 21. XXIV, 10. De his adversis Iesus et ante dixerat, et statim post haec verba v. 2. dicere pergit.

2. Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς) *Synagogis vos prohibebunt*, sc. Iudaei. Vid. supra c. IX, 22. XII, 42. Ἀλλ' ἔρχεται ὥρα) ἔρχεται non id. est, quod ἐλεύσεται, sed, ut saepius, Praesens usurpatur de eo, quod proxime instat, et iamiam quasi accedit. ἀλλὰ, *imo*, 2 Cor. VII, 11. *Imo instat tempus.* Gradatio inest verbis

verbis quae sequuntur. ἵνα, *quum.* πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς) Intelliguntur praecipue Iudaei, quos ubique ad seditionem usque exarsisse in necem Apostolorum, docent actus apostolici. δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ) *existimet se Deo cultum praestare*, sacrificium offerre. λατρεία cultum religiosum denotat. Genus dici videtur pro specie, cultus pro *sacrificio*, quia additur προσφέρειν. Vid. Matth. V, 23. 24. Opinati enim sunt Iudaei, qui vexabant Apostolos, se pro religione Dei et Mosis pugnare. Act. VI, 13. 14. Rom. X, 2. *Bammidbar R.* 21. ad Num. XXV, 13.: *Omnis effundens sanguinem improborum aequalis est illi, qui sacrificium offert.*

3. Καὶ) valet hic *sed;* est enim consolatio adversus priora, quasi dicat Christus: commiseratione digni magis erunt, qui ista facient. Rom. X, 2. οὐκ ἔγνωσαν) *Non noverunt*, sc. ad plenum. XV, 21. Non intelligunt, Deum esse amantem humani generis, nec tam ritibus delectari, quam animi puritate. Non agnoscunt doctrinam eam, quam vos profitemini. Si agnovissent, me a Deo esse missum, eiusque esse legatum, profecto in vexandis vobis, Deo mihique obsequentibus, non putassent se Deo gratum facturos. Cf. Luc. XXIII, 34.

4. Ἵνα — μνημονεύστε αὐτῶν) Nimirum, ut ne imparati sitis, utque de ceteris mihi fidem habeatis. ταῦτα — ἦμην) Donec ego praesens fui, non indiguistis istiusmodi sermonibus, quod vos in tuto et securo essetis, et ad me pertineret omne periculum. At in Matthaeo tamen praedicitur fore, ut discipuli attrahantur ad Reges etc. Matth. X, 16. V, 10. sqq. IX,

15. Respondent nonnulli, non praedici isto modo, neque tam perspicue. *Semlerus* autem existimat, sermonem Iesu eundem a Matthaeo referri, quem hic Ioannes recenseat; sed a Matthaeo non servari ordinem temporis. Alii respondent, Iesum in loco nostro de iis temporibus loqui, quae post eius discessionem instarent, in ceteris autem locis de adversis, quae Apostolis contigissent tum, quum Christus adhuc in his terris degeret. Profecto hoc valet de loco Matth. V, 10. sqq., et IX, 15. obscurius loquitur Christus de suo discessu, nec ibi sermo est de calamitatibus ab Apostolis perferendis. Sed difficultas omnis evanescere videtur, si attendamus ad illud ἐξ ἀρχῆς, quod de nulla alia re intelligi potest nisi *de initiis muneris Christi.* Nam formulae illae, ἀπ' ἀρχῆς et ἐξ ἀρχῆς, apud Ioannem aliosque scriptores librorum N. T. saepe vel ad initium evangelicae institutionis ac disciplinae, vel ad tempus, quo quis Christum magistrum secutus esset, vel denique ad primordia muneris Iesu Christi in orbe terrarum, referuntur. Cf. Marc. I, 1. Luc. I, 2. Io. XV, 27. 1 Io. II, 7. 24. III, 11. 2 Io. 5. 6. Itaque Iesus hoc dicit: Statim ab initio, quo tempore vos assumsi discipulos, non praedixi vobis calamitates vobis eventuras; non enim opus erat, vobis ista praedicere, et poterant sine detrimento vestro in posterum differri, quia diutius apud vos manere, vosque docere licebat. Nunc autem morti vicinus gravissimas ob causas eventura vobis praedico. Etiam eos sermones de discipulorum calamitatibus, quos ceteri Evangelistae referunt (ut Matth. X.), habuisse videtur Christus in ultimo muneris sui anno. Temporis ordini magis conveniunt,

veniunt, quae leguntur Matth. XXIV, 9. Luc. XXI, 12 — 18.

5. 6. Νῦν δὲ ὑπάγω — τὴν καρδίαν) *Nunc autem abeo ad eum qui me miserat, nec quisquam e vobis quaerit ex me: quo abis? Sed, quia vobis haec dixi, animos habetis maestitiae plenos.* Cohaeret hoc comma cum antecedentibus. Hactenus, inquit Iesus, de periculis et calamitatibus imminentibus vobis, nihil vobis dixi; nunc autem haec vobis non amplius reticere possum, quia mihi a vobis discedendum est. Post verba: πέμψαντά με *Kuinölius* puncti notam ponendam esse existimat, ut post intervallum demum, cum frustra Iesus exspectasset interlocutionem sive interrogationem discipulorum, adiecerit verba: καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐρωτᾷ με· ποῦ ὑπάγεις; — Non reprehendit Iesus discipulos propterea, quod non quaesivissent de eius abitu; nam abiturum esse eum *ad Patrem* didicerant iam dudum e Christi sermonibus, c. XIII, 36. XIV, 5.; sed eam ob causam eos reprehendit, quod se ita dedissent tristitiae, ut, quantum hoc esset, aut quantam vim haberet haec *ad Patrem* discessio, nec ipsi cogitarent, nec *amplius*, quale Christo consilium esset, quisve fructus istius discessionis a se capiendus, quaererent. Quot enim curis illorum animos tum distractos fuisse putamus, cum audiissent, se a caro magistro, cui se totos dediderant, hoc ipso tempore desertum iri, quo regni Israelitici instaurationem per Messiam, diu avide exspectatam, in propinquo esse existimabant?

7. Ἀλλ' ἐγὼ — πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς) *Sed ego dico vobis quod verum est, expedit vobis quod*

ego

ego abeam; nisi enim abiero, adiutor ille, quem vobis promisi mittendum, *non veniet ad vos;* sed *ubi abiero, mittam eum ad vos.* Supra c. XIV, 2. dixerat: *proficiscar locum vobis paraturus;* nunc vero Christus discipulos de alio discessionis suae fructu edocet, iis percipiendo, qui adhuc in terra vitam age rent. Dum nempe ipse adhuc in terris versaretur, nondum erant pares intelligendo consilio divino in Christo ad salutem hominum adhibendo; semper enim terrenam exspectabant a Christo constituendam rempublicam. Sed hanc spem omnem evertebat mors Christi, (Luc. XXIV, 21.) multo magis etiam eius in coelum ipsum profectio. Tum vero pares erant intelligendo consilio Christi, et discere poterant, quod antea capere non potuerant, Christi regnum esse spirituale, eumque homines non corpore, non vultu, non ore regere, sed nutu quodam divino per doctrinam, qua homines subegisset. Vid. *Tobleri* liber: *Zur Ehre Christi und seines Reichs*, Tiguri 1780. p. 244. sq. ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω κ. τ. λ.) Nisi enim abiero, salubris illa animorum immutatio et conversio, per Paracletum efficienda, vobis contingere non potest Significat Christus, se Spiritum S. largiri non posse, dum vitam ageret terrestrem. Namque Paracleti largitio consequens erat maiestatis Christi apud Patrem recuperandae; nec priusquam in coelum reversus esset, sublimiorem suam efficaciam ad stabiliendum in terra coeleste regnum exhibere poterat. Vid. not. ad c. XIV, 28. coll. VII, 39. De significatione vocis παράκλητος vid. supra c. XIV, 16.

8. Omnis in his Capp. rerum tractatarum cardo quasi vertitur in Christi *maiestate* (δόξῃ), huiusque testi-

testificatione, quae tunc proxime instabat, atque eodem fere pertinent, quae tum in his sermonibus, tum in illa precatione (c. XVII.) continentur. Nam in utroque orationis genere id Dominum inprimis agere videmus, ut discipulos, quorum opera ad maiestatem suam in orbe terrarum manifestandam usurus erat, et institutis praeceptisque suis erudiret, et blanda consolatione maerentes atque afflictos sustentaret. Quare dicit: Καὶ ἐλθὼν — κρίσεως) *Iste quum venerit, convincet profanum vulgus de peccato, de iustitia et de iudicio.* Ἐλέγχειν non simpliciter est: *edocere*, sed doctrinam adhibere ad errores convertendos, ita rem demonstrare, ut alter ad eam agnoscendam cogatur, igitur: *convincere*, coll. VIII, 46. Quum autem ὁ παράκλητος, admonitor et adiutor ille Apostolis promissus, nempe Spiritus Sanctus *homines profanos* (τὸν κόσμον) i. e. Christi contemtores, imprimis Iudaeos, *convincere* dicitur, id non ita interpretandum est, fore, ut homines profani ab ipso Deo eiusque Spiritu, nullius hominis interventu, convincantur, sed in promtu est, fieri hoc debere per Apostolorum operam. Illis enim usus est Spiritus, quibus efficiatur, ut multi Christi contemtores contumaciae suae peccatum cognoscerent et ad fidem Christo habendam sese converterent. Vid. Actor. II, 37. Per Apostolos igitur, divino Spiritu edoctos illustratosque, convinci debebant contemtores Iesu περὶ ἁμαρτίας κ τ. λ. Quid hoc sit, statim in sequentibus commatibus explicatur.

9. Περὶ ἁμαρτίας — εἰς ἐμέ) *De peccato* eo, (sc. eo vincet eos,) *quod non credunt in me.* Convincet eos, se in errore gravissimo versatos esse et in repre-

reprehensionem incurrisse vehementissimam, quod mihi, legato divino, fidem non habuerint, meamque doctrinam, exspectantes Messiam, regem terrenum, repudiaverint. Possumus ἁμαρτίαν vertere: *contumaciam*, quae alias vocatur ἀπιστία. Illustratur etiam hic locus locis illis c VIII, 21. 24. XV, 22—24. Particula ὅτι hic et in iis, quae sequuntur, non indicat causam, sed quae sint ista, de quibus est sermo, et quo capienda sensu. Illustratur haec res ex Act. II, 36. sqq.

10. Περὶ δικαιοσύνης — ὑπάγω) *De iustitia* (mea) *quod ad Patrem abeo.* Valde dissentiunt Interpretes, qua significatione voc. δικαιοσύνη h l. accipiendum sit. Et quidem alii intelligunt ipsius *Dei aequitatem* seu *iustitiam*, qui Christum ornaverit et ad se evexerit. Alii eodem capiunt sensu, quo Paulus illo voc. uti solet, ut sit *liberatio a peccatis;* qua tamen notione in Ioannis scriptis nusquam legitur. Alii explicant: *id quod ius et fas est, quod fieri debet* scil. *dum ad Patrem abeo, nec me amplius conspicietis,* ut sensus sit: „Deus per vos doctrinae meae contemtores eo rediget, ut intelligant et agnoscant, ita ex decreto Patris fieri debuisse, ut per mortem ad eum redirem, et vobis adspectum meum subtraherem.“ *Kuinölius.* Sed facile intelligitur, voc. δικαιοσύνη ad Christi personam pertinere. Ex nostra sententia ea hunc locum interpretandi ratio sola probabilis est, quam *Lückius* quoque defendit, T. II. p. 418. sqq. Nimirum loquitur Christus de sua δικαιοσύνη, i. e. de integritate sua et probitate, seu de iusta sua causa. Dixerant nonnulli de Iesu: πλανᾷ τὸν ὄχλον, c. VII, 12.; ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι ὁ ἄνθρωπος οὗτος ἁμαρτωλός ἐστιν,

ἐστιν, IX, 24.; δαιμόνιον ἔχει, καὶ μαίνεται, X, 20.; ὅτι βλασφημεῖς, ὅτι εἶπον, υἱὸς τοῦ θεοῦ εἰμι, X, 36. Itaque Christus hoc loco docet, se esse τὸν δίκαιον, quod non esset fraudator et rebellis, ut Iudaei hactenus iniuste iudicaverant. Iam supra affirmaverat de se ipso: ὁ ζητῶν τὴν δόξαν τοῦ πέμψαντος αὐτὸν, οὗτος ἀληθής ἐστι, καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν, c. VII, 18. Et fuerunt, qui de eo iudicarent: ὅτι ἀγαθός ἐστιν, c. VII, 12. et: οἴδαμεν δὲ ὅτι ἁμαρτωλῶν ὁ θεὸς οὐκ ἀκούει, IX, 31. Ioannes in Epist. I. Christum κατ' ἐξοχὴν appellat τὸν δίκαιον, vid. c. II, 1. 29. III, 7. (coll. I, 9.); cf. Actor. III, 14. ὁ ἅγιος καὶ δίκαιος, coll. Luc. XXIII, 47. 1 Petr. III, 18. Quare non dubitandum est, Christum h. l. se describere ut δίκαιον, et verbis: περὶ δικαιοσύνης κ. τ. λ. hunc inesse sensum: Spiritus Sanctus per vos convincet homines, *iure me vindicavisse*, *quae mihi vindicavi*, meque e conspectu vestro vere sublatum esse ad Patrem. Confirmatur haec interpretatio locis 1 Timoth. III, 16. ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, coll. Actor. II, 22—36. III, 14. 26. Illa igitur Christi δικαιοσύνη recte dicitur declarata esse *per eius abitum ad Patrem*. Si enim fraudator fuisset et rebellis, profecto Deus eum non recepturus fuisset in coelum, nec Apostolis concessurus, ut in nomine huius Iesus miracula ederent ad confirmandam doctrinam ab eo propositam eamque longe lateque propagandam. Dum igitur imperium Christi in animos humanos, cuius causa ipse venerat in terrarum orbem, ubique locorum propagatum est, quod factum est post eius abitum ad Patrem, tum apparuit, eum *iustum* fuisse et innocentem, eique fidem habendam esse ut vero

vero legato divino et Dei filio. Potest etiam voc. *δικαιοσύνη*, *iustitia*, sensu intransitivo intelligi de *innocentia* et *bona causa* (quamvis haec significatio non est primitiva sed tantum derivata), quasi dicat: Convincentur homines de innocentia mea, manifestauda per resurrectionem et reditum in coelum; coll. Hebr. צְדָקָה, Ps. VII, 9. XVIII, 21. 25. Sic etiam Ephes. VI, 14. *δικαιοσύνη* esse videtur vitae integritas, cor purum ideoque nihil metuens. Phrasis: *καὶ οὐκέτι θεωρεῖτέ με* exprimit durantem cum Patre coniunctionem: Postquam ad Patrem reversus et sede mea ad dextram Dei potitus fuero, haud amplius me conspicietis, scil. oculis corporeis Ceterum ea, quam modo commendavimus, huius loci interpretatio, maximam partem recepta est in ecclesia orientali. Cf. *Lückium* (T. II. p. 420.), qui Graecorum Patrum dicta de h. l. laudavit.

11. Περὶ — κέκριται) *De iudicio autem* (ὁ παράκλητος) convincet profanos homines (Iudaeos), nempe *iudicatum esse*, i. e. inferiorem discessisse *huius mundi principem*. Cf. quae diximus ad c XII, 31. Nempe in illo certamine Christi et diaboli, s. doctrinae christianae et insidiarum adversus Christum eiusque doctrinam, Christus reportavit victoriam, diabolus autem de sua tyrannide reiectus est. Ubi Iudaei a Iudaismo, Pagani ab idololatria abducti sunt, tum fassi sunt Satanam condemnatum, eiusque vim esse fractam. Ex missione autem Spiritus S., cui, quae Christus in his terris incepit, ea in hominum animis perficiendi officium datum est, manifesto apparuit, diabolum non tantum valuisse, ut Christum subigere posset.

12.

12 Ἔτι — ἄρτι) *Multa adhuc vos docere possem, sed ferre quidem nunc non potestis.* Verbum βαστάζειν, *ferre, intelligere*, h. l respicit ad τὰ ἐρχόμενα, v. 13. quae ipse Christus discipulis manifestare nolebat, a spiritu vero manifestatum iri praedicebat. Haec, inquit, ferre et concoquere nondum potestis; nondum capaces estis ob imbecillitatem, nec adhuc peractam huius meae legationis functionem. Pertinet huc regni Dei inter Paganos manifestatio, Iudaeorum reiectio, legis caerimonialis abrogatio etc., cuiusmodi veritates discipuli ob praeiudicia altius animo infixa, et opinionem de terreno Christi regno nondum penitus exstinctam, nondum ferre potuissent, si clarius illa Christus ipsemet docuisset Sic boni magistri est, non omnia simul ingerere, sed suis dispensare temporibus, et quaedam ad maiorum discipulorum maturitatem reservare. Cf. 1 Cor. III, 1—3.

13. Ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα) σύνθεσις, pro ἐκεῖνος ὁ παράκλητος, πνεῦμα ὢν τῆς ἀληθείας, cognitionis perfectioris auctor. Vid. not. ad c. XIV, 17. ὁδηγήσει — ἀλήθειαν) *Ducet vos ad omnem perfectiorem* (mearum rerum) *cognitionem.* Ὁδηγεῖν proprie est *viam monstrare;* per metaph. *instituere, docendo adducere*, Act. VIII, 31. Ps. XXIV, 5. LXXXVI, 11. CXLIII, 10. Πᾶσα ἀλήθεια comprehendit omnes eas religionis partes, quas discipuli nondum didicerant. Nam ἀλήθεια h. l ut saepe est *veritas divina*, seu *religio christiana.* Quia verbum ὁδηγεῖν in Vers. Alexandrina frequenter construitur cum Praepos. ἐν, in Codd. quibusdam ex interpretamento scriptum est: ἐν πάσῃ τῇ ἀληθείᾳ. οὐ γὰρ λαλήσει ἀΦ' ἑαυτοῦ) *Non docebit*

cebit aliena, vel contraria iis, quae ego vos docui, seu non arbitratu suo loquetur. Nempe, qui aliorum ad mentem loquuntur, proponuntque non a se excogitata, sed ea quae sint aliorum sententiae voluntatique accommodata, ii apud Iudaeos *non suo* sed aliorum nomine venire ac dicere dicuntur. Et Spiritus Sanctus cum legato principis alicuius comparatur, qui non nisi ea loquitur, quae sibi a mittente sunt demandata. Ab ecclesiasticis scriptoribus Spiritus S. etiam *vicarius* Christi appellatur, imprimis a Tertulliano, ut *de Virgg. veland.* c. 1.; atque idem, *de praescript. haeret.* c. XIII., *Christum misisse*, ait, *vicariam vim Spiritus S., qui credentes agat.* ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει) *Acceptam* (a Patre) *doctrinam tradet.* λαλεῖν, *docere*. Quemadmodum ego nihil docui meo arbitratu (VII, 18. XIV, 10.), sed Dei doctrinam pronunciavi (VII, 16.), ita Paracletus quoque nihil suggeret, nisi quod acceperit a Patre. Interpretanda haec sunt de Patris, filii et Spiritus Sancti in doctrina consensu. Καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν) *Atque futura etiam vobis annuntiabit.* Τὰ ἐρχόμενα, i. e. τὰ μέλλοντα, ἐλευσόμενα, *futura eventura*, quae nempe ad religionem pertinent. Cf. v. 12. Ἀναγγέλλειν de rebus futuris, ut h. l., est *praenuntiare*, de evangelio et rebus christianis: *notum facere, docere*, ut supra c. IV, 25. infra comm. 14. 15. 25. Actor. XX, 20. 27. Rom. XV, 21. Provocant etiam Interpretes ad ea loca in quibus rerum futurarum significatio facta sit: 2 Thess. II, 1. 1 Tim. IV, 1. 2 Tim. III. 2 Petr. I, 14.

14. Ἐκεῖνος — ἀναγγελεῖ ὑμῖν) *Ille meam dignitatem reddet conspicuam; nam de doctrina mea sumet,*

met, quae vos doceat. Δοξάζειν nunc est *illustrem reddere, virtutem*, merita, dignitatem alicuius *in lucem protrahere*. Ad augendam Christi gloriam faciebat τὸ Πνεῦμα, quum splendidus fuerit effectus propagatae iam βασιλείας τοῦ θεοῦ. ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται) *Ex meo accipiet.* Nihil vobis suggeret, diversum ab his, quae ego accepta a Patre tradidi vobis. Nihil inter nos non commune. Nec igitur Paracletus sua inventa docebit, sed quam ego proposui doctrinam augebit, eoque auxiliante perfectior veritatis divinae cognitio vobis continget.

15. Πάντα — ἀναγγελεῖ ὑμῖν) *Omnia quae Pater habet, mea sunt*, mea doctrina non est alia quam Patris, *propterea dixi, illum de meo sumturum quae nuntiet vobis.* Cf. XVII, 10. Quodsi igitur Spiritus docet, quae a Patre audiverit, doctrina illius a mea discedere non potest. Certiores tantum vos reddet tum de doctrina mea, tum de eventuris, ita ut confidenter sitis acturi. De verbo ἀναγγέλλειν vid. not. ad v. 13. Pro λήψεται verior antiquissimorum codd. lectio est λαμβάνει. Ob sequens Futurum facile λήψεται repeti potuit.

16. Μικρὸν — τὸν πατέρα) *Brevi non conspicietis me, et iterum brevi videbitis me, namque ego proficiscor ad Patrem.* Hic locus sensu non differt ab illo c. XIV, 18. sqq. Verba μικρὸν καὶ eodem sensu bis posita sunt. Iesum his verbis non breve illud tempus spectasse, quod medium fuit inter resurrectionem et ascensum in coelum, sed ἐν παροιμίαις (v. 25.) de perpetua sua cum discipulis coniunctione, quae reditum

ditum suum ad Patrem secutura sit, exposuisse, iam supra ad c. XIV, 18. sqq. demonstravimus. Verum hunc huius loci sensum et irrefutabilem esse, quicquid ii dicant, qui de reditu Christi in vitam corpoream sermonem institui existiment, docent verba: ὅτι ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα, quae non nisi de aeterna Christi cum Patre coniunctione intelligi possunt, coll. comm. 28. Duplici autem modo discipuli Christum post reditum eius in coelum revisuri erant; primum quum in munere suo gerendo praesens Domini auxilium per Paracletum experirentur (XIV, 18. sqq), tum quum in fine muneris et vitae ab illo ducerentur in domum Patris. Vid. c. XIV, 1. sqq

17. 18. Εἶπον — τί ἐστι τοῦτο) Ἐκ τῶν μαθητῶν, sc. τινὲς. Πρὸς ἀλλήλους, nempe mussitando, ut exaudiri nequirent. Τί ἐστι τοῦτο κ. τ. λ. Nondum intelligebant discipuli, quae Christus de ascensu suo in coelum eumque sequenti cum iis perpetua coniunctione dicebat. Putabant enim more solito, Messiam diutissime in terris apud eos versaturum, ut regnum illud fortunatum et faustum cum ipso experirentur, v. 18. Ἔλεγον οὖν est repetitio πλεονάζουσα. Fatentur obscurum sibi esse hunc Christi sermonem. Imprimis haerebant in vocabulo μικρὸν, nec, quo sensu *brevi* Dominus abiturus et *brevi* rediturus esset, intelligebant.

20. Κλαύσετε καὶ θρηνήσετε) Dolorem experiemini acerbissimam ob mortem meam et ademtam hanc nostram consuetudinem. Illa spes vestra, qua me regem politicum fingitis, adeo non habebit locum, ut potius dura et tristia fata mihi subeunda sint. ὁ δὲ

κόσμος

κόσμος χαρήσεται) Improbi autem homines (ob consiliorum suorum successus) laetabuntur. Κόσμος h l. denotat Iudaeos eorumque proceres, Pharisaeos inprimis tanquam Iesu devicto triumphaturos. ἀλλ' ἡ λύπη — γενήσεται) *Tristitia vestra in gaudium mutabitur*, vertetur, erit quasi via et transitus ad laetitiam. Constructio γίνεσθαι εἰς τι, *abire in aliquid, converti*, est hebraica. Vid. Matth. XXI, 42. Marc. XII, 10. 1 Petr. II, 7. cet. Ita הָיָה sequ. לְ Exod. IV, 3.

21. Ἡ γυνὴ — αὐτῆς) *Femina paritura dolores sentit, quod tempus parturiendi adest.* τίκτειν positum est pro ὠδίνειν. Λύπη h. l. de doloribus partus est explicandum, ut *Wolfius* recte monuit in Curis ad h. l. ἄρα, *tempus pariendi* Ὅταν δὲ γεννήσῃ — τὸν κόσμον) *Infante autem nato, non amplius dolorum memor est, propter illud gaudium, quod ex eo percipit, quod peperit infantem.* Γεννᾶν de mulieribus usurpatum est *parere.* Ἄνθρωπος, *infans*, Sir. III, 13. Num. XXII, 30. *puer*, Ioann. VII, 23. Εἰς τὸν κόσμον redundat. Perquam usitatum est Hebraeis, dolores gravissimos comparare cum doloribus parturientis, ut Ies. XXI, 3. XXVI, 17. Ier. XXII, 23. aliisque locis.

22. Ὄψομαι ὑμᾶς) Verbum ὄψομαι multi negant alia significatione intelligi posse nisi de *adspectu visibili.* Nobis vero persuasissimum est, verbum ὄψομαι eundem significatum obtinere cum verbo ἐμφανίζειν, c. XIV, 21., et quoad sensum congruere cum phrasi πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, XIV, 23. χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία) Eadem graeca phrasis extat Ies. LXVI, 14. οὐδεὶς αἴρει) Pro ἀρεῖ. Similis oratio est Pauli Rom. VIII,

VIII, 35 — 39. Hancce laetitiam constantem exortam putant Interpretes postquam Apostoli Christum e sepulcro viderant reducem. „Neque enim (ait *Nösseltus* Opuscc. T. II p. 55.) unquam legimus, Apostolos doluisse de discessione Christi in coelum, postquam eum viderant reversum in vitam; non quod eius praesentiam non desiderassent, sed quod ab eo ipso tempore haud dubie meliora essent edocti de consilio Dei super Christo in terrarum orbem mittendo, atque modo, quo is deberet, *per adversa* videlicet, transire *ad praemia beatitatemque* sine fine futuram. Haec quidem Christus docuerat discipulos quosdam secum Emmauntem iter facientes (Luc. XXIV, 26.), quidni et Apostolos? quibuscum (Actor. 1, 3.) illo tempore post reditum e sepulcro colloqueretur *de rebus ad Dei regnum pertinentibus.*“ Cum Nösselto consentit *Kuinölius.* Et sane, maximam laetitiam Apostolis contigisse, quum Christi redivivi iterata uterentur consuetudine, eosdemque a Magistro meliora edoctos atque ad fidem firmissimam nec non ad cognitionem veritatis divinae plenissimam *propius* adductos esse, quis neget? Neque tamen inde sequitur, Iesum hoc loco, dicens: ὄψομαι ὑμᾶς κ. τ. λ., resurrectionem suam in vitam terrenam significasse. Cui opinioni adversatur etiam comm. 23., ubi vid. not. Laetati sunt Apostoli nec doluerunt de abitu Christi (Luc. XXIV, 52.) duplici de causa; primum quia omnium, quae Iesus et egisset et perpessus esset, nexum necessitatemque intellexerant (Luc. XXIV, 44.); tum quia spem alebant laetissimam, fore, ut Christus, quod sanctissime promiserat, Spiritum Sanctum ipsis mitteret. At vero quis est, qui dicere audeat, Apostolorum laetitiam con-

constantem esse potuisse, nisi paucis post diebu Spiritus S. largitio revera iis contigisset? Quare, ex nostra quidem sententia, Apostolorum laetitia de reditu Christi ad Patrem tum demum *tanta* dici potest, *qua nunquam possent privari*, quum illi, operante Paracleto, intimo mutui amoris vinculo cum Christo essent coniuncti. Eandem hanc interpretationem pluribus defendit *Lückius*, T. II. p. 425. sqq.

23. Καὶ ἐν ἐκείνῃ — οὐδὲν) *Tum nihil quicquam me interrogabitis.* Referri haec debent ad illud ὄψομαι ὑμᾶς, v. 22., ut sensus sit: Tum cum ad vos rediero, non opus erit, ut me interrogetis. Ἐρωτᾶν h. l. habere *interrogandi* notionem, contextus, sermo et ipsa res docet. Οὐδὲν est exponendum de eiusmodi interrogationibus, quae supra legebantur. Omnia, inquit, dubia erunt soluta. At vero e loco Actor. I, 6. apparet, Apostolos post Christi resurrectionem ei eiusmodi quaestiones proposuisse, nec tunc temporis de abitu Domini recte statuisse. Nec mirum hoc est. Nam Christus ipse in iis quae antecedunt sermonibus plus una vice suis dixerat, se sublimiorem suam potentiam in illorum animos exserere non posse, nisi prius ad Patrem redierit miseritque Paracletum, quo tandem duce plenissima imbuendi essent veritatis cognitione. Et inde ab illo die, quo tali modo eos *viderat* Christus, factum est, ut Apostoli ab istiusmodi quaestionibus se abstinerent, et, sola propagandi regni coelestis cura occupati, Deum precibus suis adirent. Ii autem, qui existimant, Christum, quum redivivus cum Apostolis colloqueretur, tantam iis largitum esse veritatis cognitionem, qua accepta porro non opus es-

set, ut quicquid e Magistro suo sciscitarentur; quid, quaerimus, Spiritus Sancti efficaciae velint relinquere? Vim vero verbis inferunt, imo nexum sententiarum discindunt, qui phrasin: ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ sensu latiori intelligendam esse opinantur *de omni reliqua Apostolorum vita* post Christi resurrectionem *et* in coelum reditum. Qua interpretatione admissa etiam illud ὄψομαι ὑμᾶς, a quo pendent verba ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, accipiendum esset *et* de visu Christi post resurrectionem, *et* de eiusdem efficacia post reditum in coelum. Sed eiusmodi ambagibus minime opus est, quum sensus verborum optime hoc modo procedat: Isto tempore, quo vos videro, et quo omni veritate imbuti fueritis, atque impotenti tristitia liberati, non opus erit interrogatione; nam quamvis me magistro (visibili) orbati, tamen non carebitis necessaria institutione alterius, quem mei loco vobis promisi. ἀμὴν — δώσει ὑμῖν) *Profecto, profecto dico vobis, quaecunque rogaveritis Patrem nomine meo*, i. e. mei causa, tanquam mei legati, *ea dabit vobis.* Vid. notata ad c. XIV, 13.

24. Ἕως ἄρτι οὐκ ἠτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου) *Hactenus* (me praesente) *nihil petiistis, respectu ad me habito;* nihil earum rerum quae pertinent ad meam causam. Apostolos igitur admonitos voluit Christus, ut, quod adhuc se praesente facere neglexerint, id posthac, se absente, eo studiosius facerent, adiuti eius praesidio atque auxilio praesentissimo. Sermo autem est de precibus ad munus Apostolicum pertinentibus quo nondum functi erant discipuli. *Nösselt* hoc refert ad consuetudinem Iudaeorum, in pre-

cibus

cibus suis mentionem faciendi Abrahami, Isaaci, Iacobi, Mosis etc. rogandique ut Deus eorum memor sit, atque propter eos respiciat Iudaeos sua benevolentia, ut Iesus praescribat discipulis novum modum, quo adire deberent singularem benevolentiam Dei, quae iis esset conciliata per Iesum ipsum, cuius causa Deus bene illis facere vellet. αἰτεῖτε, καὶ λήψεσθε) *Iam petite et impetrabitis.* Nunc, me absente petite talia, quum opus fuerit, in nomine meo, et quodcunque petitis, accipietis. Commentatur optime in haec verba illud Act. IV, 29—31. Ἵνα — πεπληρωμένη) *Ex quo fiet, ut plena sit laetitia vestra*, ob id, quod votorum vestrorum compotes facti sitis.

25. Ἐν παροιμίαις) Proverbiis, i. e. sermonibus figuratis et obscurioribus, qui per aliquid, quod notius est, explanantur. Phavorinus et Suidas: παροιμία ἐστὶ λόγος ἀπόκρυφος. Statim huic dictioni opponitur: ἐν παῤῥησίᾳ ἀναγγέλλειν. Omnia autem ista: *abibo, redibo, lugebitis, gaudebitis, veniet adiutor*, non quidem in se spectata, sed discipulis, ob praeconceptas opiniones, obscura erant. ἀλλ' — ἀναγγελῶ ὑμῖν) *Sed erit tempus, quo non amplius subobscure loquar vobiscum, sed perspicue de Patre nunciem vobis.* Non improbabilis quidem est *Kuinölii* annotatio ad h. l.: „Equidem, quum negari nequeat, Iesum post resurrectionem suam, discipulos plenius et accuratius edocuisse, versus autem qui sequitur 26., agat de tempore quo iam Apostolis contigerat ὁ παράκλητος, quo ipsi munus legatorum Christi aggressi erant, de utraque institutione h. l. cogitandum esse arbitror, de Christi ipsius, post resurrectionem, et de

ulteriore, quae Apostolis post Christi in coelum reditum operante Deo contingebat.“ Sed etiam hoc loco maximum obtinet momentum emissio Spiritus Sancti, ut sensus sit: Apertissime (παῤῥησίᾳ) et explicatissime aperiam vobis per Paracletum, quae sit Patris voluntas de regno meo et qualia precari ipsum debeatis.

26. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ) Postquam ego per Paracletum ad vos rediero, tunc in nomine meo, meae doctrinae confirmandae causa, petetis a Patre res longe alias, quam quas iam soletis. καὶ οὐ λέγω ὑμῖν) Est forma loquendi, quae *praeteritio* dici solet. Taceo; ut iam non dicam me ipsum rogaturum esse Patrem. Non igitur pugnant haec verba cum c. XIV, 16. coll. XVII, 9., vel cum locis Apostolorum, in quibus aliqua deprecatio Christi pro nobis commemoratur. Hoc enim vult Christus: Non iam opus est dicere, me pro vobis apud Patrem deprecaturum esse. Quod vero sic dicitur praeteriri, vel taceri, id revera innuitur, tantum abest, ut negetur. Augustinus: Interpellat pro nobis Christus iuxta quod homo est, iuxta quod Deus est una cum Patre nos exaudit.

27. Αὐτὸς — ὑμᾶς) Ultro, etiam me non commendante, amat vos; ac proinde dabit, quae petitis. Non erit, inquit, necesse, ut pro vobis apud Patrem interpellem, quum in fide fueritis solidati; ipse enim Pater maximo tum amore vos prosecuturus est, vel vestras, quas in meo nomine fundetis, preces benigne est exauditurus. ὅτι ὑμεῖς — παρὰ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον) *Quod me amatis et fidem mihi ut vero Dei legato habetis.* Nempe ἐξέρχεσθαι παρὰ τοῦ θεοῦ h. l. significat *Dei legatum esse, a Deo mitti,* ut supra c. VIII, 42. ubi

ubi post similem phrasin statim sequitur: οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλε. In universo hoc sermone Christus illud perpetuo urget, sibi inprimis fidem a suis habendam esse, ut qui Patri arctissime iunctus atque a Patre profectus sit; omninoque a cognitione Filii dei ac fide ei habenda salutarem Patris cognitionem et fiduciam seiungi nullo modo posse.

28. Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς) *A Patre profectus veni*, ostendi me hominibus sermone et operibus. Significatur quidem hisce verbis omnino legatio Christi divina, quum vero sequatur: πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον, καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα, *iterum hac terra relicta, ad Patrem redeo;* in promtu est (recte observante *Kuinölio*) verbis ἐξῆλθον κ. τ. λ. in hac orationis serie simul praeexistentiam Christi apud Patrem notari. Cf. c. I, 9. VI, 62. al.

29. Νῦν — λαλεῖς) *Nunc perspicue, neque obscure dicis.* Quaeritur, unde factum sit, ut discipulis tam repente omnia fuerint perspicua? Fortassis falso persuaserunt sibi, se magistri verba intelligere, quae non intelligerent. Nam postea mors ipsius eos offendit, et resurrectionem eius in dubium vocabant, et ipse Iesus negat v. 31. eos mentem suam recte percepisse. Fortassis opinati sunt, Iesum ad Patrem quidem abiturum, sed paulo post rediturum, et regnum terrenum instituturum esse.

30. Νῦν — ἐρωτᾷ) *Nunc cognoscimus, quod scias omnia, nec opus habeas, ut te quisquam interroget. Omnia scire* est formula communis vitae, et usurpatur etiam de hominibus. 2 Sam. XIV, 20.

1 Io II, 20. Respiciunt discipuli ad ea, quae v. 19. leguntur. Ἐν τούτῳ — ἐξῆλθες) *Quapropter certo credimus, te esse Dei legatum.* Intelligentia cogitationum animi inter Iudaeos tanquam significatio Prophetae, inprimisque Messiae habita est. Vid. c. I, 49. sqq. II, 25. IV, 19. Profitentur igitur discipuli, hac re fidem suam, sive de divina Iesu auctoritate persuasionem confirmatam esse.

31. Ἄρτι πιστεύετε;) Vertunt nonnulli: *Siccine vos iam fidem mihi habere iactatis?* ut verba sint non proprie interrogantis, sed levitatem reprehendentis. Verum, quum e c. XVII, 8. appareat, Iesum de fide Apostolorum non dubitasse, rectius haec verba sine interrogatione accipiuntur hoc sensu: *Iam quidem profitemini, vos credere,* dum tutum est. Ἄρτι praesens tempus denotat.

32. Ἰδοὺ — ἀφῆτε) *Verum instat tempus, et iam adest, quo ita dissipemini, ut quisque domum fugiat, meque solum relinquatis.* Ἔρχεται, *imminet.* καὶ νῦν ἐλήλυθεν) Praesens pro futuro proximo: *imo iam nunc adest.* Paucarum horarum spatium intererat. εἰς τὰ ἴδια) *Ad res suas domesticas,* quasi nulla fuisset vobis mecum consuetudo. Alii Hierosolymis substiterunt, alii Galilaeam abierunt. XX, 19. Matth. XXVI, 56. καὶ οὐκ εἰμὶ μόνος) *Quamquam ego haud solus sum.* Καὶ pro καίτοι, *quamquam.* ὅτι — ἐστι) *Nam Pater mihi auxilium praestat;* permittet quidem, me ad tempus male tractari, sed non abiiciet mei curam, neque me sine solatiis relinquet. Cf. c. VIII, 29.

33. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε)

τε) *Haec vobis dixi, ut per me securitatem et requiem animi habeatis*, ut vestris diffisi viribus in me conquiescatis. Pertinent haec non ad comm. 32., sed ad omnem praecedentem orationem. Unde exorsus erat hic sermo (XIV, 1.): *Non est, quod despondeatis animum, aut perturbemini*, in eodem terminatur h. l.: *Calamitates vobis imminent, verum bono estote animo.* Εἰρήνη, *animus tranquillus.* Vid. et not. ad XIV, 27. Alii vertunt: *ut per me felices sitis;* quia εἰρήνη latiori sensu est felicitas. Ἐν ἐμοὶ, *per me;* nam ἐν ut hebr. ב saepe redditur *per.* Ἐν τῷ κόσμῳ θλῖψιν ἔχετε, (vel ut alii codd. et Patres habent ἕξετε) *Inter homines* (mei contemtores) *iniuriis afficiemini.* ἔχετε est Praesens futurascens. Θλῖψιν ἔχειν, *malis, calamitatibus affici.* Significantur calamitates Christi et religionis causa subeundae, ut Marc. XIII, 19. Actor. XI, 19. Rom. II, 9. al. Ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον) *Ego devici istos meos adversarios.* Perfectum νενίκηκα non pro Futuro positum est. Loquitur enim de opere suo, quod iam dudum inceperat, nunc vero ad finem perducturus erat, ut de re perfecta. Iam vi sua privavi istam malignitatem improborum hominum, ut vobis nocere, aut vos de fide vestra deturbare non possint. *Vincere* haud dubie dicitur de iis, qui superiores hostibus discedunt, incolumes sunt, quibus illi nocere nihil possunt, ut Rom. VIII, 37. 1Io. IV, 4. V, 5. Quum autem ante haec verba Iesus de Apostolorum, non de suo periculo locutus esset, istam victoriam super profanos hactenus sibi tribuit, quod cavisset, s. cauturus esset, ne per adversa seu hostium furorem a fide revocarentur.

CAP. XVII.

Quum Iesus hactenus dixisset Apostolis, quae mitigarent sui desiderium, eosque adversus tristitiam e sua discessione orituram munirent, ipsi iam Deo tradit et commendat suam suorumque causam, ut et animum confirmet suum in imminenti vitae periculo, et familiaribus suis modum ostendat, quo depellere aegritudinem seque recreare Dei confisione deberent. Totum hoc caput illustraverunt *Nösseltus* in Progr. Pasch. a. 1782. (*Opuscc.* T. II. p. 67.), et *Starkius Paraphr. et Comment. in Ev. Io. Capp.* XIII – XVII. *ultimos Chr. sermones cont.* Ienae 1814. De argumento Cap. XVII. *Knappius* (l. l. p. 273. sqq.) inter alia haec habet: „Si quis incomparabilem illam precationem Christi cum superioribus pericopis contulerit, facile is quidem intelliget, perpetuum in illa respectum ad easdem doctrinas haberi, de quibus ille ipse paulo ante in orationibus, inde a cap. XIII., discipulis suis exposuerat. — Argumenti summam ipse in pauca contulit, XIII, 31—35. Quis enim non perspiciat, in Christi *maiestate* (δόξη), huiusque *testificatione*, quae tunc proxime instabat, rerum tractatarum cardinem verti, atque eodem fere omnia pertinere, quae tum in illis sermonibus, tum hac in precatione continentur? — Haec autem precatio, qua finem dicendi fecit, non ad solos Apostolos reliquamque cultorum, quos tunc habuit, paucitatem spectat (quamquam horum tunc quidem ratio habenda praecipue erat), verum etiam universitatem eorum complectitur,

quos

quos ille *per doctrinam Apostolorum credituros esse* praevidit. Neque enim haec precans, praesentia tantum, aut quae iam plane imminebant, mente agitavit; sed futuros quoque eventus longe in posterum tempus animo prospexit."

1. Ταῦτα ἐλάλησεν — καὶ εἶπε) *His dictis Iesus, sublatis in coelum oculis, ita precatus est.* Ἐπαίρειν τοὺς ὀφθ. εἰς τ. οὐρ. est ritus precantium, Luc. XVIII, 13. Parum probabilis est *Leonardi Usterii (Commentat. crit., in qua Ev. Io. genuinum esse ex comparatis IV. Evangeliorum narrationibus de coena ultima et passione Iesu Chr. ostenditur.* Turici 1823. 8.) sententia, qui ex his verbis concludit, Iesum *sub dio* precatum esse. Sed vid. quae supra notavimus ad c. XV, 1. sqq. coll. XVIII, 1. Ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, *adest tempus* (meum). Intelligendum est tempus mortis (coll. VII, 30. VIII, 20. XII, 27.); alii de tempore cogitant, quo maiestas et dignitas Messiae conspicua reddenda esset (coll. XII, 23. XIII, 1. 31. 32.), quod eodem redit; nam mortem eius statim secutus est ὁ δοξασμός, et dicit Christus: δόξασον μου πάτερ, quia adest hora, nimirum τοῦ δοξασθῆναί με. δόξασόν σου υἱὸν) *Clarifica filium tuum;* nimirum per mortem, resurrectionem, assumtionem in coelum, sessionem ad dextram tuam. Multum a Viris Doctis disceptatum est de significatione verbi δοξασθῆναι, quod primam et propriam *illustrandi* notionem semper retinens, tamen uti contextus poscit, si ad Christum referatur, mox de *eius splendida in coelo conditione* (c. VII, 39. coll. Eph. I, 21—23.), mox de *eius in terra gloria, aucta per latius divulgatam doctrinam, et ubique*

ubique eius agnitam tanquam Messiae auctoritatem usurpari solet. Cf. c. XVI, 14. XVII, 10. Ita factum est, ut alii *de coelesti Iesu splendore*, alii *de gloria eius inter homines accipienda*, hunc locum interpretarentur. Christus ipse, qui hoc loco brevibus et obscuris locutus est, paulo post, comm. 5., clarius exponit, *quonam modo a Patre velit illustrari*, nimirum *in coelo*, *splendore*, *quem ante mundum conditum iam habuerat apud Patrem.* Nec alio sensu hoc loco verbum δοξασθῆναι explicari debet, quam comm. 5. (ubi vid. not.). Quod miror *Kuinölium* fecisse, qui, quum commate 5. veram interpretationem tueatur, hoc tamen loco contendit, verba δόξασόν σου υἱὸν intelligenda esse *de Christi, post mortem ipsius, his in terris illustratione.* Verum alio sensu Patris δοξασμὸν, alioque Filii esse accipiendum, vel ipsa docet sermonis series, et praesertim intelligitur e phrasibus sibi oppositis: ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς, v. 4., et νῦν δόξασόν με παρὰ σεαυτῷ, v. 5. ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε) *Ut et filius tuus illustret te*, i. e. efficiat, ut maiestas tua summa agnoscatur et celebretur ab hominibus. Hoc autem effecit Christus institutione novae religionis, et maiori cum successu effecturus erat post δοξασμὸν suum. Verbis ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε Christus eandem sententiam exprimit, quam alibi (XIII, 32.) latius expressam legimus: Patris gloriam amplificari aucta sua gloria, altera ab altera pendere, filii laudem in Patris abire gloriam. Dicit ergo Christus (recte interpretante *Starkio*): *Adest tempus, quo moriar* (etenim τὸ ἔργον ἐτελείωσα, v. 4., neque igitur est, cur amplius in terra commorarer;), *me igitur ad te recipias* (vid. ad v. 5.) *ut*

hoc

hoc meo δοξασμῷ *tua* δόξα *augeatur.* Δοξασμὸς igitur Filii per Patrem v. 1. et 5. non nisi de reditu illius in coelum intelligi potest. Reditum demum Christi ad Patrem (quod superioribus orationibus saepius iam Dominus dixerat,) sequi poterat *perfectissima* eaque *mutua* Patris et Filii gloria, per Spiritum S. apud *homines* condenda. Hancce huius loci interpretationem pluribus etiam defendit *Lückius* (T. II. p. 438. sq.). Itaque paulo sibi inconstans V. D. *optimam* dicit *Erasmi* paraphrasin (p. 433.): *Pater, nunc adest tempus mihi semper optatum, glorifica filium tuum apud homines morte et resurrectione, ut vicissim filius tuus te glorificet apud universos mortales, ut uterque per alterum innotescat.* Rectius *Euthymius:* δόξασόν με, τὸν ἄνθρωπον, παρὰ σεαυτῷ, τῆς παρὰ σοι βασιλικῆς καθέδρας ἀξιώσας, περὶ οὗ φήσιν ὁ προφήτης Ps. CIX, 1.

2. Καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς) *Siquidem omnes homines eius potestati subiecisti.* Πᾶσα σάρξ denotat *omnes homines*, vel omnis generis homines (Matth. XXIV, 22. Luc. III, 6.), et ἐξουσία est ea potestas, de qua etiam sermo est Matth. XXVIII, 18. nempe quoad salutem hominibus vel impertiendam vel negandam pro conditione cuique sua, cuius ἐξουσίας auctoritate citato Matthaei loco v. 19. seqq. iubet, ut omnes gentes, baptismatis interventu, suscipiantur in numerum discipulorum suorum, et doceantur sequi quicquid iis praeceperit Christus. Καθὼς autem hic rationem reddit praecedentium, et valet *siquidem*, *nam*, ut Rom. I, 28. 1 Cor. I, 6. ἵνα πᾶν — αἰώνιον) *Ut omnibus, quotquot ei commisisti,*

sti, tribuat felicitatem aeternam. Forma orationis est hebraica, pro: ἵνα πᾶσιν, οὓς δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ ζωὴν αἰώνιον. Πᾶν positum est pro masculino πάντες. Casus vocis πᾶν aut est Nominat. absol., ut Act. VII, 40. XX, 3. 1 Io. II, 27. aut est Accusativus, qui in gratiam relativi sequentis pro Dativo positus est, ut Marc. VI, 16. Matth. XXI, 42. Vid. *Kypkium* ad h. l. Ὁ δέδωκας αὐτῷ, i. e. quos commisisti eius institutioni, qui sunt eius sectatores eiusque doctrinam sequuntur. Cf. supra c. VI, 37. 39. 44. 65. Sensus igitur et cohaerentia huius comm. cum v. 1. sic erit constituendus: Meam illustrationem peto, ut tua gloria augeatur; *siquidem* (nam) *tu mihi dedisti tribuendae omnibus, quos mihi elegisti, vitae aeternae potestatem* (Cf. c. III, 16. VI, 39. 40. coll. 54.). Sic tibi visum est, *haec tua erat voluntas*, ut filius tuus toti generi humano dominaretur, tu omnia, quae hominibus tribuenda essent, beneficia per filium largiri apud te constituisti. Hoc autem imperio seu hac potestate, et in universum genus humanum, et in sectatorum suorum societatem, Christus recte fungi non poterat, quum terrestrem vitam ageret. Dum enim in terris versabatur Christus, imperii sui obscurum et tenue fuit initium; sed ex quo ille in coelum rediit, amplificatur in dies et nova incrementa capit. Matth. XIII, 31—33. Inde ab hoc tempore Christus sic imperat hominibus (tanquam σωτὴρ et μεσίτης), eorum ut commodis omni modo inserviat, omnisque generis salutem ipsis afferat. Itaque etiam ex hoc loco appareret, Iesum nunc minime gloriam suam *inter homines* in mente habuisse, sed hoc a Patre petiisse, ut ipsum ad se recipiat in coelum. E coelo tantum sublimiori

cum

cum potentia imperium suum administrari, hominum salutem aeternam curare potuit; et sic tandem effici poterat, ut utriusque, et *Dei* gloria per Filium, et *Filii* per Deum augeretur. *Starkius* ad h. l. sic comm. 2. cum v. 1. connectit: „Si Christus dicit: peto, ut me illustres, ut *tua* gloria augeatur; additque explicans: *Deum nimirum sibi potestatem concessisse vitae aeternae largiendae*, sive quod idem est secundum v. 3, *largiendae hominibus purioris de Deo et se ipso cognitionis:* perspicue declarat, *Deum ipsum velle*, ut gloria et maiestas sua innotescat. Quare sensus: *quae peto, peto, ut tua gloria augeatur; nam hoc tu voluisti, largiens nimirum mihi facultatem divulgandae tui nominis maiestatis.*"

3. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ) *Ea vero est ratio et conditio consequendae felicitatis aeternae;* sic paratur vita aeterna. Metonymia, ut supra VI, 63. XII, 50. ἵνα γινώσκωσι — χριστὸν) *Heinsius* aliique, Chrysostomum secuti, ut deitatem Christi etiam hoc dicto defenderent, huius comm. verba sic construenda putarunt: ἵνα γινώσκωσί σε καὶ Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃν ἀπέστειλας, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, *ut te et quem misisti Iesum Christum solum verum Deum agnoscant.* Sed hoc modo sine idonea ratione verborum ordini vis infertur. Nec hoc loco consulto agitur de Christi deitate. Quamquam enim Iesus his verbis se a divinitatis participatione non excludit, solius tamen *muneris* sui mentionem facit, non *naturae. Io. Melch. Faber* (in Progr. ad locum Io. XVII, 3. Onoldi 1775.) ellipsin verbi εἶναι statuit, et verba hunc

in

in modum ordinavit: ἵνα γινώσκωσι, σέ εἶναι τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, καὶ Ἰησοῦν χριστὸν εἶναι ἐκεῖνον, ὃν ἀπέστειλας, *ut cognoscant, te esse unum verum Deum, et Iesum Christum esse legatum tuum.* Sed simplicissima huius loci constructio est ea, quam *Nösseltus* commendavit, et quae recentiorum Interpretum plurimis probata est. Est vero haec: ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, καὶ, ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν, Χριστὸν. (Similis locus est infra c. XX, 31. coll. 2 Cor. IV, 5.) Vertendum igitur est: *ut te cognoscant, unum verum Deum, et quem misisti Iesum, Christum.* Eodem fere sensu haec dicta sunt, ac c. XIV, 1. *Confidite Deo, et mihi quoque confidite.* Cf. et c. V, 23. Habent itaque verba nostra conditionem aeternae vitae consequendae, ut supra c. VI, 27. ut sit sensus: *Vita aeterna sic paratur, ut te, Pater, exclusis diis gentilibus fictis, unum verum Deum cognoscant; mihi autem, quem misisti, fidem habeant ut Christo, i. e. vero Messiae.* Nam ἀληθινὸν passim denotat quod *natura et vere* est, quod dicitur, opponiturque *fictitio*, et *speciem* modo praebenti, ut recte admonuit *Albertus*, et *Lösnerus* ex Philone confirmat. Itaque prima huius oraculi pars praecipue cognoscenda est Ethnicis, qui sine Deo dicuntur fuisse in mundo, ante Christi institutionem; altera pars praecipue pertinet ad Iudaeos, quibus opus est salubri cognitione Messiae. Deus dicitur ἀληθινὸς, *verus*, ut ab idolis discernatur, vid. 1 Io. V, 20. 21. coll. 1 Thess. I, 9. 10. Verbum γινώσκειν, *agnoscere*, significationem *effectivam* includit. *Agnitio* enim veri Dei semper esse debet coniuncta cum interno animi sensu, amore et viva fide. *Bretschneiderum*

derum (Probabil. p. 63.) offendit, quod Iesus dixerit: καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. „Nulla, inquit, intelligeretur causa, cur Christus non dixisset ἐμὲ Χριστόν. Lapsus vero est auctor, cum e suo ingenio scriberet, scripsitque ut ipse rem, tamquam tertius, cogitavit.“ Quae annotatio, quamvis non prorsus falsa dici possit, minime tamen ipsius precationis authentiam suspiciosam reddere potest. Et Christus, quum animo alte elato precaretur, vix deliquisse dici possit, quod, de se ipso verba faciens, formula uteretur: Ἰησοῦν Χριστόν. *Dieffenbachius* quoque (in *Bertholdti crit. Journ. der theol. Lit.* T. V. p. 14.) contra omnium Codd. auctoritatem verba καὶ ὃν ἀπέστειλας κ. τ. λ., aut saltem voc. Ἰησοῦν, delenda esse opinatur. Addi potuisset voc. ἐμὲ, sed huius pronominis omissio haud est inusitata. Vid. c. X, 36.

4. Ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ.) *Ego te illustravi in terra.* Quo sensu hoc dicat, intelligitur e comm. 6. et 26., et statim hoc comm. clarioribus verbis ipse ita explicat: *Hoc enim opus, quod mihi perficiendum dedisti, perfeci.* Functus sum munere mihi demandato, divulgandae nimirum purioris de Deo, eius natura, indole, consiliis cognitionis, per quam vita aeterna paratur; feci docendo agendoque, ut tua dignitas in terris innotesceret. Etenim, quo plures divinam in Iesu auctoritatem et dignitatem agnoverunt, eo plures ad eius doctrinam, Dei maiestatem praedicantem et augentem, adducti sunt, eo latius ergo Dei gloria divulgata est. Ostendit igitur, non iniquum se petere, ut qui omnia sua dogmata ad patris honorem retulerit. τὸ ἔργον — ποιήσω) *Negotium perfeci, quod*

quod mihi expediendum dederas, sc. usque ad mortem, quae subeunda restat; atque hoc ipsum similiter pertinebat ad hoc ἔργον, quod sic ad finem perducendum erat. Itaque in terra, inter homines nihil mihi agendum restat. Potest etiam τὸ ἔργον intelligi de *munere docendi*, quod re vera Christus *peractum* dicere poterat, quum morti obviam iret, nec postea publice doceret. Alii existimant, Christum de *morte* quoque loqui, et quidem tanquam iam *perpessa*, quod eam subire firmiter apud se constituisset.

5. Καὶ νῦν — παρὰ σοί) *Et nunc tu quoque, Pater, illustra me apud te honore eo, quem habebam ante quam mundus existeret, apud te.* His verbis Christus, unde exierat comm. 1., redit, sententiamque, a qua, interiectis versibus 2. 3. 4., recesserat, excipit, repetitis iisdem comm. 1. verbis: καὶ νῦν δόξασόν με, σὺ πάτερ. *Ego igitur te illustravi in terra*, opus mihi demandatum perfeci, *itaque tu quoque, Pater, me iterum illustres apud te, in coelo.* Iusto obscurius Christus locutus esset, si voc. δόξασον alio sensu uteretur quam comm. 1. Formulae παρὰ σεαυτῷ et παρὰ σοί nisi de *coelo* explicari possunt. Clarum enim est, opponi verbis ἐδόξασα σε ἐπὶ τῆς γῆς (v. 4.), verba καὶ νῦν δόξασόν με παρὰ σεαυτῷ. Δόξα significat maiestatem eam, quam Christus secundum naturam divinam habuit ante mundum conditum. Ad tempus autem maiestatem suam deposuerat, quamdiu in terris humiliter vixit. Iam vero ut, munere peracto, iterum a Patre recipiatur in coelum, id est, quod Christus precatus est. Sensus igitur (optime interpretante *Starkio*) hic est: „Adest tempus abeundi a terra;

terra; iam igitur Pater, me ornes splendore meo pristino, quo tua gloria magis etiam innotescat; hoc enim (quod volueras) perfeci; nunc ergo Pater, auctor sis iterum, ut eum, quem habui et te iubente reliqui, splendorem coelestem recipiam.“ Nec huic interpretationi repugnant ea, quae v. 22. et 24. leguntur, ad quae loca vid. not. Commendatur potius haec hunc locum explicandi ratio, utpote sola vera, facilitate grammatica, et sensu seriei orationis, auctoris indoli nec non ei, quam sibi de Christo effinxerat, imagini, ipsisque reliquis Christi de se effatis maxime accommodato. Verum enimvero Christus, qui, perfecto iam opere, cuius causa in terram venisset, a Patre, ut sibi iterum e vita decedere permittatur, petere voluit, aliam non potuit, nisi qua usus est, formulam adhibere: δόξασόν με κ. τ. λ.; quum ea sola bene respondeat ceteris de se ipso effatis. *Is* enim, qui erat μονογενὴς τοῦ θεοῦ υἱὸς (c. III, 16. 18.), ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς (III, 13. VII, 29. VI, 51.), ἀναβαίνων ὅπου ἦν τὸ πρότερον (VI, 62.), qui *prior fuit* Abrahamo (VIII, 58.); *mortem*, qua ex humiliore inter homines ob perficiendum munus Messianum suscepta conditione (vid. Hebr. II, 9.) reduceretur ad pristinum splendorem divinum, non potuit non vocare δόξασμον suum. — Alii tamen in alias abierunt partes, et vario modo hunc locum interpretari studuerunt. Interpretes enim haud pauci, quae hoc loco leguntur vel retulerunt ad doctrinae Christi propagationem seu ad dignitatem et excellentiam Christi ipsa doctrinae eius propagatione illustrandam, ei *a Deo decretam* s. *destinatam*, ut adeo de *terreno Christi honore* cogitaretur; vel ad *felicitatem Christi coelestem, ei a Patre decretam*

s. *destinatam.* Vid. *Nösselti Opuscc.* T. II. p. 72. sqq. *Löffleri Anhang zu Souverain Versuch über d. Platonismus d. Kirchenväter*, p. 389. *Eckermanni Erklärung aller dunkeln Stellen d. N.T.* ad h. l. *Gableri neuest. theol. Journal*, T. II. p. 179. sqq. Gravissimum autem, quod obverterunt, argumentum, petitum est e comm. 22. Ibi enim honor iste, quem Christo Deus dederit, idem ab ipso Christo dicitur, quem dederit vicissim amicis suis. Sed vid. not. ad v. 22. At vero non huius loci consiliique nostri est, ut omnes aliorum de hoc loco sententias enarremus et refutemus. Illas qui discere cupierit, legat, quae V. V. D. D. *Kuinölius*, *Starkius*, *Flattus* (*Symbolarum ad illustr. graviora quaedam Iesu dicta in Evang. Ioann.* Part. II.) et *Lückius* (T. II. p. 433. sqq.) disputarunt, ut eam, quam supra proposuimus, huius loci interpretationem ratione satis idonea defenderent.

6. Ἐφανέρωσα — τοῦ κόσμου) *Tradidi doctrinam de te hominibus, quos mihi e coetu hominum profanorum dederas.* Φανεροῦν, *declarare, cognitum reddere*, c. II, 11. *Manifestavi te*, i. e. cognitionem de te puriorem melioremque divulgavi. Τὸ ὄνομά σου, pro σὲ, consilia tua, doctrinam tuam v. 4. Voc. ὄνομα saepius adhibetur ad designandam personam ipsam, vid. c. XV, 21. Matth. X, 22. Explicandum autem esse de *doctrina*, docent extrema comm. verba: καὶ τὸν λόγον τετηρήκασι, et comm. 14. ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σου. Ἀνθρώποις, οὓς δέδωκάς μοι, i. e. discipulis meis, quos voluisti ministros meos esse in futuro munere administrando. Sed non *solos* significari Apostolos, vel ipsum docere potest voc. ἀνθρώ-

ἀνθρώποις, quod latiorem admittit significationem, et respicit ad comm. 4 Σοὶ ἦσαν, *tui erant, ad te pertinebant;* erant tui cultores. Cf. c. VI, 37. VIII, 47. coll. VI, 45. X, 29. Alii minus recte interpretantur: *A te pendebant,* quippe creaturae tuae; poteras ergo eos mihi attribuere discipulos, et non poteras; huic muneri poteras eos destinare, sed et alii negotio. ἐμοὶ αὐτοὺς δέδωκας) *Mihi* (institutioni meae) *eos commisisti*, i. e. per singularem tuam providentiam sic res tulit, ut ex tot Iudaeis istos comites et discipulos nanciscerer. Tradidisti eos mihi docendos et formandos.

7. Νῦν ἔγνωκαν — παρὰ σοῦ ἐστιν) *Nunc satis intelligunt, omnia quae mihi dedisti, ex te auctore profecta esse,* παρὰ σοῦ ἐστιν, non a me inventa. ἔγνωκαν, terminatio aoristi primi in praeterito, ut Apoc. XIX, 3. Verbum γινώσκειν saepius ponitur pro *credere*, ut c. VI, 69. Πάντα ὅσα δέδωκάς μοι, παρὰ σοῦ ἐστιν) Videtur idem per idem dicere; sed sensus est: *omnia quae eos docui.* Pro eo autem quod diceret *quae docui*, modeste ad honorem Patris ait, *quae mihi dedisti docenda.* Iam intelligunt, me, quicquid doceam, id omne tibi acceptum referre (Matth. XI, 27.), meque adeo verum esse filium tuum ac Messiam. Cf. et c. XII, 50. XIV, 10. Hoc statim v. 8. uberius declaratur.

8. Τὰ ῥήματα — δέδωκα αὐτοῖς) *Doctrinam, quam abs te tradendam acceperam, tradidi illis.* καὶ αὐτοὶ — ἀπέστειλας) *Et illi admiserunt* (istam doctrinam,) *et cognoverunt vere, quod a te sim profectus, et crediderunt, quod tu me miseris.* De verbo ἐξέρχεσθαι vid. supra c. XVI, 27. 30. coll. infra v. 25. Matth. XVI, 16.

9. Οὐ περὶ τοῦ κόσμου ἐρωτῶ) Ἐρωτᾷν, ut c. IV, 40. XIV, 16. *Non pro perversis illis hominibus deprecor*, qui repudiaverunt doctrinam tuam, qui amore tuo non aeque digni sunt ac illi, qui lubentes arripuerunt illam. Deprecatus est quidem Christus etiam pro malis hominibus, Luc. XXIII, 34. coll. Matth. V, 44., et infra v. 21. optat, ut ipse etiam mundus ad veritatis cognitionem adducatur. Sed rei natura non patiebatur, ut eodem sensu precaretur pro malis, quo pro suis precabatur. Verum quo sensu nunc pro suis tantum preces faciat, intelligitur e verbis, quae statim h. l. addita sunt, ὅτι σοί εἰσι, *quia tui sunt*, tibi dediti. Oravit pro mundo, ut resipisceret et veniam acciperet peccatorum. Sed quae nunc orat de protectione paterna, de Spiritu, de concordia, non nisi ad credentes pertinent, quippe qui, quanti Patrem facerent, reipsa iam ostenderunt.

10. Καὶ τὰ ἐμὰ πάντα — ἐμὰ) Καὶ positum est pro *nam*. Causam reddit, cur sibi dati non desinant ad patrem pertinere, quia omnia inter Patrem et Filium sint communia, XVI, 15. Sensus est: *Qui mei discipuli sunt, sunt etiam tui;* digni igitur sunt, quos praesentissimo tuearis auxilio tuo. καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς) δεδόξασμαι plurimi Interpretes accipiunt pro praeterito *prophetico*, ut sensus sit: *Per eos dignitas mea omnibus* (inter omnes mundi nationes) *nota reddetur;* ego per eos *illustrabor*, nempe eo quod, quae ego tradiderim, eadem ipsi tradant aliis. Vix tamen opus est, ut Perfectum pro Futuro accipiamus. Nam hoc ipso tempore Christus se per discipulos *illustratum* dicere poterat, quatenus illi *re vera* iam

sui

sui facti erant, fidem ei habebant tamquam Dei legato, doctrinamque suam tenebant. Dicit ergo: *καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς*, *illustratus sum*, *iamiam illustror* illorum fide et amore. Sed respectum in tempus futurum neutiquam excludendum, potius de durante Christi illustratione cogitandum esse, sponte appareret. Namque hoc etiam nomine discipulos Patri voluit commendatos, quod Patris aeque ac Filii ministri essent addictissimi, qui, quam probo animo accepissent doctrinam, in utriusque honorem essent divulgaturi.

11. Καὶ οὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ) *Non enim versor amplius in coetu hominum (in hoc mundo).* Iam relinquo mundum. *καὶ nam.* Per Prolepsin dicit: *οὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ*, quia iam terram erat relicturus. Christi animo iam *praesens* obversatur suorum conditio, qua suum post discessum constituti essent inter homines iis infensos, c. XV, 19. coll. XVI, 33. *καὶ οὗτοι — ἔρχομαι*) *Sed illi* (mei loco) *adhuc inter homines versaturi sunt* (sparsuri per omnes orbis nationes, quod a me didicerunt), *quum ego ad te proficiscar.* Revocat nunc Iesus animum a se ipso, atque rogat, ut Deus omnem curam referat ad Apostolos, qui eius, tanquam fidelis tutoris, patrocinio maxime egerent. *Πάτερ — δέδωκάς μοι*) *Pater sancte* (vid. Apoc. VI, 10.), *conserva eos in nomine tuo, quod mihi dedisti.* Varie hic locus explicatus est, ob lectionis diversitatem in verbis *ᾧ δέδωκάς μοι*, quum pro *ᾧ* alii legant *ὃ*, alii *οὓς*. At vero pro vulgato *οὓς δέδωκάς μοι* omnino legendum est *ᾧ δέδ. μοι*, quae est plerorumque, optimorum certe et vetustissimorum codicum et versionum lectio. Quomodo autem

ex

ex difficiliori lectione ᾧ δέδωκάς μοι planior lectio ὃ oriri potuerit, facile intelligitur. Librarii enim, qui non recordabantur, illud ᾧ per Attractionem pro Accusat. ὃ positum esse, ex notissima apud Graecos loquendi ratione, qua sequens relativum casum Subiecti praecedentis imitetur, licet Verbum quod sequitur alium casum poscat (cf. comm. 5. δόξῃ ᾗ εἶχον); mutaverunt ᾧ in ὃ. Quum autem deinde illud ὄνομα ὃ δέδωκε ὁ πατήρ τῷ Χριστῷ non intelligerent, facili negotio planiorem formulam οὓς δέδωκάς μοι intruserunt, quae saepius in hoc Cap., adeo paulo post occurrit. Eorum hunc locum explicandi rationem, qui voc. ὄνομα intelligunt de *doctrina Dei*, et vertunt: *conserva eos in doctrina*, seu *per doctrinam*, *quam mihi tradidisti*, locum habere non posse, recte observavit *Kuinölius* ad h. l. Nullus enim idoneus afferri potest locus, ubi vocc. ὄνομα et ὄνομα τοῦ Θεοῦ, seu Χριστοῦ, eo significatu legatur, ut denotat *doctrinam*, *doctrinam Dei et Christi*. Sententiae tamen, quam ipse *Kuinölius* proposuit, adstipulari non possumus. Illi enim V. D. praeferenda videtur vulgaris lectio οὓς (non semper, ait, difficilior et exquisitior lectio vera est), contra omnium meliorum Codd. auctoritatem. Verba τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου pro τήρησον αὐτοὺς σοί, *serva eos tibi*, posita censet, et verbis simplicioribus: τήρησον αὐτοὺς σοί, ampliorem tribuit hanc vim: *adiuva eos, ut doctrinam meam constanter teneant et sequantur*. Quae interpretatio nimis est artificiosa. Aliam rationem secutus est *Starkius*, qui verba huius comm. sic interpretatur: *Pater sancte, tu constantes eos serva in tua causa, in mandato tuo, quod mihi tradideras;* versum autem

tem sequ. ita cum v. 11. connectit: *quamdiu in terra versabar, ego eos servavi tuae causae, tibi et negotio, ad quod destinati sunt, addictos.* Voc. igitur ὄνομα intelligi vult de *mandato*, seu *opere* Christo olim a Patre iniuncto, iam vero in discipulos translato. Sed, quamvis voc. ὄνομα interdum significare potest *mandatum*, nobis praeplacet *Grotii* sententia, utpote quae sua sese simplicitate commendat, et quam secutus *Lückius* explicat: *Conserva eos in professione nominis tui* (sic ὄνομα sumitur Actor. IX, 27. Apoc. II, 3. et alibi), in ea de te cognitione, quam a te acceptam discipulis meis tradidi. Christus enim nihil discipulos docuit, nisi quod a Patre acceperit, coll. v. 7. 8. Itaque legitur: ᾧ (ὃ) δέδωκάς μοι, similiter ac: τὰ ῥήματα, ἃ δέδωκάς μοι, comm. 8. ἵνα ὦσιν ἕν, καθὼς ἡμεῖς) *Ut sint consentientes sicut nos*, nempe in *veritate* s. *doctrina*; ut per eandem mentem, per eundem sensum et voluntatem sint coniunctissimi, quemadmodum nos. Nam ista concordia dicitur existere ex eo, quod tueantur et conservent verissimam *Dei cognitionem et professionem* (τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ), quam Christus a Patre accepisset Apostolisque largitus esset, coll. c. XIV, 10. 20. Illud ἵνα ὦσιν ἕν, καθὼς ἡμεῖς, Christus ipse dilucidius explicat his verbis (v. 21.): καθὼς σὺ, πατὴρ, ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν σοὶ, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἕν ὦσιν. Precatur igitur Christus, ut Pater discipulos constantes faciat in professione et amore nominis divini (i. e. Dei), quo efficiatur, ut, intime inter se ipsos et cum Patre Filioque coniuncti, munere ipsis iniungendo feliciter sint functuri.

12. Ἐτήρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου) Conserva-

vi

vi eos in agnitione et professione nominis tui, in cultu tuo. Ὄνομα eandem obtinet significationem, qua usurpatur comm. anteced. De *opere* seu *mandato*, quod Christus his in terris peregisset, nunc autem in discipulos esset translaturus, etiam h. l. commode intelligi nequit. Loquitur enim Christus de re quadam, quae iam dudum discipulis contigisset; in qua igitur eos tantum *conservandos* esse dicit. Quod vix ad munus Apostolicum pertinere possit, quippe quod discipuli nondum adierant. Patet igitur, Iesum in mente habuisse Dei cognitionem veram eiusque professionem, amorem constantem fidemque firmatam, in qua si discipuli conservarentur, fieret, ut promti prodirent paratique ad exsequenda omnia, quae ad augendum Patris Filiique honorem essent perficienda. Οὓς δέδωκας — πληρωθῇ) *Quos mihi commiseras, eos custodivi, nec quisquam eorum defecit, praeter perditum istum hominem, de quo valent, quae in sacris literis* (de proditoribus) *leguntur.* Φυλάσσειν, *custodire, defendere, tueri.* Tuitus est autem Iesus discipulos adversus errores, et defectionem. υἱὸς τῆς ἀπωλείας) Hebraismus: *Filius perditus*, i. e. *perditus ille, ut* בֶּן מָוֶת 2 Sam. XII, 5. בֶּן־מַשְׁחִית Ies. I, 4. et יַלְדֵי פָּשַׁע Ies. LVII, 4. (ubi LXX. habent τέκνα ἀπωλείας), alibi υἱοὶ τῆς ὀργῆς, τῆς γεέννης. Nemo nescit Iudam intelligi, Christi proditorem, qui defecisset a Christo. Ἀπώλεια igitur, ut vel praecedentia verba docent, h. l. defectionem a Iesu doctore, ἀποστασίαν indicare videtur, ut 2 Thess. II, 3. ubi ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας a formula ὁ υἱὸς τῆς ἁμαρτίας minime differt, atque usurpatur de insigni impostore, qui multos ad defectionem

nem a religione christiana sollicitet. Formula ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ non refertur ad vaticinia de Iuda proditore, quasi Iesus diceret, evenisse, ut vaticinia de Iuda proditore implerentur, sed ad ea omnia, in quibus de proditoribus agitur. Dicitur enim Scriptura impleri, quoties tale quid accidit quale ibi dictum est. Cf. etiam *Eckermanni theol. Beyträge* Tom. I. Part. 2. p 74. sq. Quum sermo instituatur de discipulorum *fide*, ex *Lückii* sententia h. l. respicitur locus ille Ps. XLI, 10. iam supra c. XIII, 18. laudatus.

13. Νῦν δὲ — ἐν αὐτοῖς) *Nunc autem ad te proficiscor atque haec loquor* (dum versor adhuc) *in hoc terrarum orbe, ut laetitiam meam in sese plenam habeant;* i. e. ut laetitiam meam perfectam per eos mihi redditam, semper retineant. *Laetitia Christi* h. l. non est ea quam percepturus esset in coelo, quaeque mox in discipulos esset transferenda; neque significatur *gaudium discipulorum de Christo*, ut alii existimant, ex analogia loci c. XV, 9., ubi ἀγάπη ἐμὴ legitur pro ἀγάπη μου, *amor, quo amer;* sed sicuti illic c. XV, 11. ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ non Apostolorum gaudium *de Christo* innuit, sed Christi *de Apostolis* gaudium, sic et hic χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπληρωμένη ἐν αὐτοῖς non de *Apostolorum* in *Christo* gaudio explicari potest. Nam quomodo (sequimur *Starkii* interpretationem, qui verum vidisse nobis videtur) Christus, qui antea: „se discipulos a defectione defendisse dum inter eos versatus fuisset, iam autem sibi abeundum esse“ professus fuerat, rite et apte potuit addere: *haec*, de tutela Dei et Iudae defectione aliaque, *dixi, ut de me possetis gaudere*, i. e. *de mea futura*

tura in coelo conditione felici. Quum vero formula ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπληρώται (vid. c. III, 29. XV, 11. XVI, 24. 1 Io. I, 4. 2 Io. I, 12. imprimis Phil. II, 2. πληρώσατέ μου τὴν χαρὰν) ubique unum eundemque retineat sensum: *laetitia mea perfecta redditur, non est vana;* etiam h. l. verba ἡ χαρὰ — αὐτοῖς aliter non explicanda sunt, quam: *laetitia mea per eos effecta*, quae vere perfecta reddita est per hos. Ἐν αὐτοῖς πεπληρωμένη, ut nostri dicunt: *an ihnen ist sie in Erfüllung gegangen;* ἐν αὐτοῖς, ut sexcenties, pro δι' αὐτῶν, Rom. VIII, 4. Eph. V, 8. al. Verba autem ἵνα ἔχωσι, significatione aeque apud profanos ac sacros scriptores satis vulgari adhibita esse videntur: *ut retineant, semper habeant* (nostrum *behalten*). Sensus igitur totius loci evadit hic: Quamdiu in terra fui, *ego* discipulos in professione nominis tui servavi; nunc autem eos relinquere coactus, haec de tutela tua et auxilio proxime iis dando ad te precatus sum in terra, etiamnum inter illos versatus, *ut meum mihi per eos effectum de iis gaudium semper iis maneret*, i. e. ut *de iis*, perpetuo mihi adhaerentibus, *perpetuo gaudere possem.* Eodem nexu c. XV, 11. adhibentur verba: ταῦτα λελάληκα, ἵνα ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν μείνῃ. Poscunt insuper quae sequuntur hanc explicationem.

14. Ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σου) Exposui illis doctrinam, cuius tu auctor es. δέδωκα, *dedi*, rursus intellige *ita, ut doctrina ab ipsis recepta sit;* quod expressum fuerat supra comm. 8. καὶ ὁ κόσμος — ἐκ τοῦ κόσμου) *Proinde perversi homines oderunt eos, quod iis similes non sunt, uti ego non sequor per-*

perversorum hominum ingenium (et voluntatem). Καὶ, *ideo;* ob receptam doctrinam meam profani homines eos persequentur; sane igitur tutela tua opus est, vexabuntur enim (discipuli) graviter ob doctrinam iis a me traditam. Bene Euthymius: καὶ λοιπὸν, ὡς διὰ τὸν λόγον σου μισηθέντας, διαφύλαξον αὐτούς. Ceterum cf. ad h. l. supra c. XV, 18. 19. coll. VIII, 23.

15. Οὐκ — κόσμου) *Non id rogo, ut eos a periculis, quae ipsis imminent, eripias.* Αἴρειν ἐκ τοῦ κόσμου per se significare potest: *mori iubere* ut Ies. LIII, 3. sed h. l. quia opponitur formulae τηρεῖν ἐκ τοῦ πονηροῦ, est potius *inimicorum insidiis subtrahere*, omnibus periculis, quae ipsis a Iudaeis imminebant, eripere. Satius nimirum erat vel cum periculo aliquo in maximoque discrimine bene mereri de causa Dei, quam ea neglecta, nonnisi suae saluti ac potius terrenis commodis consulere. Arctius comm. 14. et 15. cohaerent, quam ut voc. κόσμος vario significatu licitum sit intelligere. ἀλλ' ἵνα — πονηροῦ) *Sed ut serves eos integros a scelere.* Sic *Nösseltus* interpretatur. Τοῦ πονηροῦ non videtur esse Genitivus masculini, sed neutrius generis, et τὸ πονηρὸν h. l. dici de omni periculo deficiendi a Christo et errandi, vel perverse agendi. *Grotius:* ἐκ τοῦ πονηροῦ, *ab omni malitia mundana;* nam ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται, 1 Io. V, 19. Alii explicant: *nolo ut moriantur mox*, et sic omnibus miseriis liberentur, sed hoc rogo, ut eos conserves, auxilium iis praestes, *ut ne succumbant miseriis.* τὸ πονηρὸν, *miseria, calamitas,* Matth. V, 39. Quae sententia minime huc pertinere videtur. Plurimi tamen Interpretes voc. πονηροῦ accipiunt

cipiunt ut Genit. mascul., et vertunt: *sed ut eos adversus Satanam defendas.* Huius enim praecipue est, sollicitare Christi cultores ad defectionem a doctrina Christi. Provocant ad loca 1 Io. II, 13. 14. III, 12. V, 18, ubi voc. πονηρὸς de Satana usurpatur, et contendunt ex illis locis loca obscuriora, 1 Io. V, 19. et hoc cap. v. 15., esse illustranda. Quae sententia probabilis quidem videtur; neque tamen prior explicatio plane reiicienda est. Sive hanc sive illam probabiliorem iudicaveris interpretationem, sensus eodem redit.

16. Ἐκ τοῦ κόσμου — οὐκ εἰμί) *Non sequuntur perversorum hominum ingenium* et mores, *uti ego non sequor.* Cf. v. 14. Multis igitur periculis expositi erunt; proinde rogo, ut eos tuearis. *Grotius:* Hoc repetit, ut significet, eos iam animo alieno esse ab omni tali malitia, quamquam non extra infirmitatem.

17. Ἁγίασον — ἀλήθειά ἐστι) *Inaugura eos sancta veritate tua, doctrinam intelligo tuam, quae est veritas.* Ἁγίασον αὐτοὺς, i. e. ἁγίους ποίησον. Expressis verbis dicitur: ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ, quae verba proprie sonant: *sanctos redde eos per veritatem.* Nec ulla idonea adest causa, cur (secundum *Kuinölii* aliorumque sententiam) ad ἁγίασον subaudiamus σοὶ, *tibi eos consecra, fac eos legatos tuos.* Nam (recte notante *Starkio*), si hoc Christus voluisset dicere, cur tamen pronomen σοί, hic maxime necessarium, omiserit, plane non intelligeres. Accedit, quod suppletum illud pronomen non sufficiat, quum Apostoli iam antea ad hoc munus delecti et consecrati essent. Quare Interpretes illi coguntur, verbis ampliorem, quam qui iis inest, tribuere sensum: efficias, ut *sint* et *maneant* tibi consecrati, legati tui et mei,

ut

ut tales in posterum se praestent. In locis, quibus nituntur, 1 Cor. VI, 11. 1 Thess. V, 23., verbum ἁγιάζειν non est: efficere, ut quis sit *et maneat* verus Dei cultor; sed opponitur *impuritati*, *studiis vitiosis*, et nullam nisi hanc habet notionem: *sanctum*, seu labe carentem, *reddere* aliquem. Iam vero ἁγιασθῆναι ex primitiva notione (vid. ad X, 36.) dicitur in V. T. de Prophetis et de quocunque *per Dei spiritum divinitus edocto.* Dicuntur ii doctores ἅγιοι, quia sunt ἡγιασμένοι ἐν πνεύματι (Luc. I, 70. 2 Petr. I, 21); et solemne est, eum, qui divinitus inauguratus et edoctus fuit (qui secundum Orientalium cogitandi et loquendi modum πνεῦμα aliquod ἅγιον a Deo accepit), dicere ἡγιασμένον. Eandem tritissimam loquendi rationem Christus h. l. retinet, cum petit: ἁγίασον αὐτ. ἐν ἀληθ. σου, et v. 19. ἵνα αὐτ. ὦσιν ἡγιασμ. ἐν ἀληθ. σου. Precatur igitur ut Pater discipulis, operis Magistri continuatoribus, det veritatis divinae perfectam cognitionem (e Deo promanatam, ἐν ἀληθείᾳ σου). Utitur verbo ἁγιάζειν vi maiore, ut simul natura, conditio et effectus huius ἀληθείας accuratius denotentur, tamquam ἐκ θεοῦ ἁγιοῦ emanatae, per quam ἡγιασμένοι illi prodeant doctores. Vult igitur hoc (optime interpretante *Starkio*): *Inaugura discipulos, imbue hos veritate tua a te profecta divina* (ὁ λόγος ὁ σός ἐστιν ἡ ἀλήθεια ipse annotat). Quoad sensum hic locus non differt ab iis, quae Iesus comm. 11. precatus est. Dubio caret, Christum in mente habuisse *Spiritus S.* (πνεύματος τῆς ἀληθείας, XIV, 16. 26. XV, 26.) largitionem, cuius tantum ope et opera effici poterat, ut Apostoli, in vera Dei professione conservati, Maligno (vid. v. 15.) resistere suoque munere feliciter possent fungi.

18. Καθὼς — κόσμον) *Uti tu me in terras has misisti,*

misisti, sic et ego eos ad homines legavi. Causam precationis addit Nam, inquit, sicuti me misisti, ego eos nunc misi ad homines, meum a te mihi mandatum negotium in eos iam transtuli (ἀπέστειλα per Prolepsin); itaque necesse est, ut iis, mihi substitutis doctoribus, veritatem perfectam (τὴν ἀλήθειαν σου) largiaris. Ipse Christus κατ' ἐξοχὴν dicitur ὁ ἀπόστολος, Hebr. III, 1.

19. Καὶ ὑπὲρ — ἀληθείᾳ) *Et pro iis memet ipsum devoveo, ut ipsi veritati sint devoti.* Alii explicant: *Equidem me ipsum tibi consecravi pro iis,* i. e. ipse legatus in terram veni, *ut hi quoque tibi essent consecrati.* Sed hac interpretatione admissa necesse est, ut iterum, idque bis, subaudias σοι, quod cur denuo absit, non intelligitur; necesse est porro, ut Praesens ἁγιάζω pro Perfecto positum censeas. Nec sensus ita constitutus convenit cum aliis Christi effatis. Sexcenties enim affirmaverat, se *Patris auctoritate* in terram descendisse. Itaque sibi ipsi repugnaret Christus, dicens ἐμαυτὸν ἁγιάζω, me *ipse* inauguravi, scil. ad munus legati divini. At vero verbum ἁγιάζειν etiam usurpatur de victimis aliisque rebus, quae Deo consecrantur, Exod. XIII, 2. Lev. XXII, 2. 3. Ier. XII, 3. Deut. XV, 19. 20. Haec verbi ἁγιάζ. significatio non recedit a notione primitiva *secernendi a communi usu in sacrum usum.* Nam ἁγιάζειν, ubi de victimis usurpatur, non per se denotat *victimam offerre*, sed rem aliquam *sacram reddere*, ut eam immolare fas sit. Christus igitur, dicens ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, indigitat *mortem* suam, discipulorum causa (seu in utilitatem eorum) perpetiendam. Confirmatur haec interpretatio (a quibusdam vero reiecta, quod ne-

que

que antea, neque postea de Christi morte sermo esset), si respiciamus ad loca c. XIV, 26. et XVI, 7. Illic Iesus discipulis promittit: *se petiturum a Patre, ut iis det adiutorem*, πνεῦμα ἀληθείας, ipsam a Deo emanatam veritatem perfectam, divinae originis naturaeque divinae. Hoc vero πνεῦμα ἀληθείας affirmat c. XVI, 7. eos numquam accepturos esse, *nisi ipse decedat*, seu *moriatur*. Dicit ergo Christus: *Memet ipsum discipulorum causa offero morti*, me ipsum inauguravi ad mortem, ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ, *ut illi tum Spiritum veritatis accipere, atque ita ἡγιασμένοι, divinitus edocti doctores prodire possent*. Verba ἵνα καὶ αὐτ. ὦσ. ἡγ. ἐν ἀλ. eodem sensu accipienda esse ac comm. 17., sponte apparet. Quod docet etiam Partic. καὶ, quae in *Apodosi* sic ponitur, ut praecedat conditio, a qua ut causa pendet id, quod habet Apodosis. Itaque καὶ vertendum est: *tum, atque ita*. (Exempla vid. in *Wahlii* Lex. sub h. voc.) Praesens autem ἁγιάζω vim Futuri habet.

20. Οὐ περὶ — εἰς ἐμὲ) *Non autem pro his solis precor, sed pro iis quoque, qui ab illis instituti sequentur doctrinam meam*. Λόγος nunc est *institutio*. Hactenus pro solis duodecim discipulis precatus fuerat Iesus; nunc autem eos etiam paternae Dei curae commendat, qui per Apostolos futuri essent suae disciplinae addicti. Pro πιστευσόντων plurimi Codd. rectius habent πιστευόντων, Praesens pro Futuro. Quamquam pro Apostolis specialia quaedam precatus est, ostendit tamen multa esse, quae cum aliis credentibus habeant communia, ut confirmationem in fide et mutua caritate. Vid. supra notata in Argumento hui. Cap.

21.

21. Ἵνα πάντες — ἀπέστειλας) *Ut omnes isti consentiant, sicuti tu, Pater, mecum, atque ego tecum, ut isti, inquam, nobiscum consentiant; quo fiet ut homines credant te me misisse.* Verba v. 20. et 21. latissime spectant. Dicit enim: Neque vero pro his solum oro (pro Apostolis puta, ceterisque, quos tum sibi addictos habebat discipulis, de quibus v. 11. dixerat), sed etiam pro iis, qui illorum imbuti praeceptis, mihi fidem habebunt, ἵνα Πάντες ἓν ὦσιν (ἓν πνεῦμα, 1 Cor. VI, 17., καρδία καὶ ψυχὴ μία, Act. IV, 32.), καθὼς ἡμεῖς, ego et tu Pater, ἕν ἐσμεν. Atque ut antehac (XIII, 35.) ostenderat, hanc ἑνότητα τοῦ πνεύματος (Eph. IV, 3.) inter discipulos suos, etiam apud exteros salutari effectu carituram non esse (ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες), ita nunc in eandem sententiam, sed paulo apertius, haec subnectit: ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ i. e. ἵνα γινώσκῃ ὁ κόσμος, ὅτι σύ με ἀπέστειλας, h. e. ut hi quoque, qui adhuc a me alieni sunt, moribus meorum atque exemplo permoti, credant, me abs te profectum esse, doctrinam meam esse divinam, quae tam mirabiles effectus in animis hominum possit producere, tot dissentientes ad unam fidem, mutuumque amorem revocare. ἵνα πάντες ἓν ὦσι) Cf. supra v. 11. Ex quo patet in sequentibus etiam huius commatis verbis non de *unitate essentiae* esse sermonem, sed de unione morali, quae fit per doctrinam. Verbis igitur: ἵνα πάντες ἓν ὦσι κ. τ. λ. manifestum est, hanc inesse sententiam: ut summa sit animorum et voluntatum consensio inter discipulos meos, *qualis* inter me et te est. Atque ita saepe optimus quisque Graecorum locutus est; veluti Demosthenes, adv. Leptin. §. 10. Ἐπειδὴ ἡ πόλις

ἡ πόλις εἰς ἓν ἦλθε, postquam civitas *ad concordiam* redierat. Eiusdem etiam potestatis est Herodoteum illud (I, 13.): συμβαίνειν εἰς τωὐτό, *convenire in eandem rationem*. Quum nempe eandem doctrinam omnes Christiani tuerentur, non modo coniunctis viribus eandem propagabant ad alios, sed etiam ipsa virtus, efformata ad illam Christi disciplinam, commendabat doctrinam disciplinamque ipsam; qua re efficiebatur, ut vel profani agnoscerent eius praestantiam, et divinam Iesu Christi a Deo missi auctoritatem. Vid. Matth. V, 16. Act. II, 47. 1 Petr. II, 12. 1 Cor. XIII.

22. Τὴν δόξαν — δέδωκα αὐτοῖς) *Ego dedi iis dignitatem, quam tu mihi dedisti.* Varie hic locus explicatur. Et quidem ii, qui versum 5. de *gloria Christi ex propaganda religione eius oriunda* intelligunt, comm. 22. vertunt: gloriam, quam *destinasti* mihi, *destinavi* iis. Alii, qui de *coelesti aliqua gloria* Christi in comm. 5. sermonem esse non ignorant, verbum δέδωκα explicant: *promisi*, et δέδωκάς μοι pro Futuro δώσεις μοι accipiunt. Alii per τὴν δόξαν h. l. intelligunt *miraculorum patrandorum facultatem*. *Starkius*, rationem secutus nimis artificiosam, verba comm. 20. et 21. οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, ἀλλὰ περὶ — ἵνα πάντες ἓν ὦσιν, parenthesi vult includi, et verbum ἐρωτῶ (quod ob statim sequens idem verbum omissum esse videatur) repetens, vertit: „*Precor* — (nec pro his solis, sed etiam pro iis, qui propter horum doctrinam mihi fidem habituri sunt, precor, ut sint *omnes consentientes*) — *ut et hi inter se nobiscum consentiant* etc.“ Continuam ergo precationem de *solis* Apostolis fieri censet. Hoc loco autem (v. 22.)

multus est, ut demonstret, voc. δόξα nunc *de futuro Christi in coelo splendore* non esse explicandum. Tantam δόξαν, ait, se unquam accepturos esse, discipuli Iesu neque sperare potuerunt, neque speraverunt. Porro contendit, *eam* v. 5. denotatam δόξαν, *quam habuit ante mundum conditum*, discipulis a Christo neque dari neque promitti potuisse. Quare Starkius, Christum distinguisse, autumat, δόξαν, quam *habuit ante m. c. apud Deum*, quam hominibus distribuere non potuit; et δόξαν, quam *dedit ei Deus*, in discipulos collatam. Haec autem, inquit, δόξα, quam Deus Christo *dedit*, fuit *ille* nimirum *legati divini* splendor, *Messianique muneris dignitas*, quam iam in discipulos se transtulisse affirmat, hanc ob causam praeteritum tempus δέδωκα αὐτοῖς usurpans. Explicat igitur: *Nam dignitatem, potestatem, auctoritatem legati tui, divini, quam mihi dedisti, iis iam tradidi; fac ergo, ut consentiant* etc. Quae interpretatio plane improbabilis nobis videtur Nulla enim nos cogit necessitas, ut voc. δόξα alio significatu accipiamus, quam comm. 5., praesertim, quum (coll. v. 24.) desideretur idonea causa, qua cogamur, ut hanc precationem ad omnes constantes Christi sectatores pertinere negemus. Comm. 24. disertis verbis declarat, in suae beatitatis communionem suos quoque esse venturos. Eadem promissio in aliis multis N. T. locis nobis exhibetur, nimirum fore, ut veri Christi sectatores beatitatis (licet gradu inferioris eiusdem tamen genere et loco) Christi participes reddantur. Cf c. XIV, 1. sqq. Rom. VIII, 17. (εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν) 2 Tim. II, 10—12. 2 Cor. IV, 17. 1 Petr. V, 1. coll. 1 Cor. VI, 2. Matth. XIX, 28. Luc. XXII,

XXII, 30. al. Imo haec felicitas, quam sui amantibus Christus tribuit, iam hisce in terris incipit; vid. not. ad c. V, 24. coll. 1 Io. III, 14. Quare Praeteritum δέδωκα (quod etiam e Prolepsi, hac in precatione frequenti, explicari potest) nullam movet difficultatem. Eiusmodi autem, qualis hic occurrit, promissiones, mirifice facere debent, ut veri Christi cultores consensum in tenenda et profitenda veritate divina constanter tueantur. In hac huius loci interpretatione consentientes habemus *Kuinölium* et *Lückium*.

23. Ἐγὼ — ἠγάπησας) *Ego quidem cum illis, atque tu mecum* (ergo tu quoque in illis), *ut planissime consentiant, atque homines intelligant, quod tu me miseris, amesque eos modo eo quo me amas;* amore scil. tam efficaci, ut discipulos meos tuo auxilio frui praesentissimo appareat. Debet referri hic versus ad v. 22. ἐγὼ est pro κἀγὼ s. καθὼς ἐγὼ, hoc sensu: sicuti *nos* consentimus, atque ego cum *illis*, et tu *mecum*. Τετελειωμένοι εἰς ἕν videntur esse, qui vere, τελείως, aut ἀληθῶς v. 8. consentiant, ut Ioannes frequentat hoc verbum 1 Io. IV, 17. 18. et alibi. Vertendum igitur est, *ut omnes omnino consentiant*, ita ut *perfecti redditi in consensione*, idem sit atque *ad perfectum consensum perducti*. Ἠγάπησας utrumque accipiendum est pro Praesenti; et τὸ ἀγαπᾷν indicat omnia amoris et benevolentiae documenta. Ceterum cf. ad hunc locum, quae supra dicta sunt c. XIV, 20—23. XV, 1—10.

24. Πάτερ — κόσμου) *Pater, cupio ut ii, quos mihi commisisti* (sectatores meos esse voluisti), *mecum ibi sint, ubi ego versabor, ut dignitatem et*

maiestatem meam conspiciant, quam mihi dedisti, quoniam ante mundi initia me amasti. Quae Christus in sermonum initio afferendi solatii causa suis promiserat (vid. c. XIV, 1—3.), ipsis precibus iam innectit, iisdem paene, quae illic fuere, verbis utens (XIV, 3.). In hac autem felicitate aeterna (ζωὴ αἰώνιος), una cum Christo percipienda, laetissima, non solum Apostolorum, sed etiam, ipsis Apostolis auctoribus, omnium Domini sectatorum fidelium, spes fuit collocata. Cf. 1 Io. III, 2. 3. Phil. I, 23. 2 Tim. IV, 7. 8. al. Θέλειν h. l. est *cupere*, *precari*, ut Marc. X, 35. Verba ἣν ἔδωκάς μοι iterum προληπτικῶς dicta sunt. Verba ὅπου εἰμὶ ἐγὼ accipienda sunt de loco felicitatis, sive potius de ipsa felicitate. εἰμὶ vim Futuri habet. *Cupio, ut mecum sint et fiant beati.* Cf. not. ad c. XII, 25. 26. Θεωρεῖν non tantum est *spectare*, sed simul etiam *percipere* (coll. Rom. VIII, 17. 2 Tim. II, 12. et vid. not. ad comm. 22.); nam verba sensuum externorum saepe ad sensus internos referuntur, ut c. VIII, 51. Ps. XXVI, 8. ὅτι ἠγάπησας — κόσμου) Iam ante mundum conditum tui in me amoris documenta perpetuo percipere solebam. Possunt tamen verba πρὸ καταβολῆς κόσμου etiam coniungi cum superioribus ἣν ἔδωκάς μοι, *quam mihi dederas ante mundi originem*, ut sic congruant illi effato comm. 5.

25. Πάτερ δίκαιε) *Pater iustissime.* Alii vertunt: *benignissime Pater.* Potest etiam δίκαιος interdum esse *aequus*, ut Christus Patrem *aequum* dicat, quod ei discipulos suos commendat, quippe qui animo docili admisissent doctrinam coelestem, secus ac ceteri, qui

qui sub nomine τοῦ κόσμου comprehenduntur. Praeferenda tamen nobis videtur *Lückii* sententia, qui *iustitiae* notionem tenendam esse censet. Sicuti enim supra, c. XIV, 30. coll. XII, 31. XVI, 11., mors Christi etiam hanc ob causam commemoratur, ut propter eam mundum eiusque principem in *iudicium* vocatum iri appareat; ita hoc loco Christus ad Patrem iustissimum provocat, ut se suosque inter et mundum, fidem denegantem, iuste velit discernere. Καὶ ὁ κόσμος — ἀπέστειλας) *Quanquam te perversi homines* (Iudaei) *non recte cognoverunt, ego tamen te cognovi, et isti* (discipuli mei) *agnoverunt, me esse legatum tuum.* Christum nunc in fine precationis, Pronomine οὗτοι usus, Apostolos in mente habuisse, sponte apparet. Γινώσκειν, recte cognoscere, voluntatem et consilia Dei cognoscere. Καὶ, *quanquam*, si lectio vera est. Codex Cantabrig. et versiones nonnullae illud καὶ omittunt.

26. Καὶ ἐγνώρισα — γνωρίσω) *Patefeci iis doctrinam tuam ac porro patefaciam.* Te, tua consilia et voluntatem tuam novi, atque hanc tui cognitionem cum his communicavi et semper communicabo. Γνωρίζειν, *efficere, ut quis vere cognoscat*, ut c. XV, 15. Τὸ ονομά σου, i. e. σὲ, doctrinam tuam, et consilia tua. Γνωρίσω, efficiam ut accuratius cognoscant, nimirum per Παράκλητον. Verba facit de interna sui ipsius cum Deo in iis praesentia et efficacia. Cf. c. XIV, 16. sqq. XV, 1. sqq. ἵνα ἡ ἀγάπη — ἐν αὐτοῖς) *Ut amore eo, quo me amaveris, fruantur et ipsi, sicuti ego eos amore complector*, ut eo favore tuo et auxilio, quo me adiuvisti, digni perpetuo emineant.

Ἀγάπην

Ἀγάπην ἀγαπᾷν, ut alibi χαίρειν χαράν. Amor Dei dicitur μένειν ἐν αὐτοῖς, quoad eos Deus semper amore prosequitur suo, id quod etiam est in reliquis verbis: κἀγὼ ἐν αὐτοῖς. — De authentia totius huius precationis pluribus adhuc disputavit *Lückius*, T. II. pag. 453 — 459.

CAP. XVIII.

1. Ἐξῆλθε, sc. ex eo loco, ubi haec dixerat. Nunc tandem urbe egressus est. Alii in gratiam coniecturae illius, Iesum omnia, quae capp. XV — XVII. referuntur, sub dio esse locutum, verba ἐξῆλθε et εἰσῆλθεν accipiunt tanquam ἓν διὰ δυοῖν, quasi scriptum esset ἐξελθὼν — εἰσῆλθεν. Sed vid. not. ad c. XV, 1. et XVII, 1. Pro τοῦ κεδρῶν alii legunt τῶν κέδρων, quae lectio orta est procul dubio ex errore librariorum, qui nomen κεδρῶν pro graeco habuerunt, et de *cedris arboribus* esse sermonem putarunt, vel potius ex versione Alexandrinorum, apud quos torrens τῶν κέδρων saepe appellatur. A *cedris* hoc nomen vix repeti potest, non enim cedri, sed oleae ibi fuisse videntur. *Cedri* enim *non gaudent locis humilibus et profundis, sed siccis et montanis*, Plin. H. N. XVI, 18. Recentior et iunior est illa scriptio, quae articulum pluralem addit. *Latinae* autem ceteraeque translationes retinent suo adhuc tempore nomen hebraicum. Iuxta *Symmachum*, *Theodotionem* et Vulgatam 2 Reg. XXIII, 4. mentio fit τοῦ Φάραγγος. *convallis* Cedron. *Iosepho* etiam et torrens et vallis Cedronis memoratur. Nam Antiq. L. VII, 1, 2. nominat τὸν χειμαῤῥ-

χειμάῤῥου Κεδρῶνος, et L. IX, 7, 3. τὴν φάραγγα τοῦ Κεδρῶνος. Commemoratur hoc flumen 2 Sam. XV, 23. 1 Reg. XV, 13. coll. 2 Chron. XV, 16. XXX, 13. 14. 2 Reg XXIII, 4. 6. 12. Erat torrens inter urbem Hierosolymorum et montem olivarum, hebr. קִדְרוֹן a rad. קָדַר *ater fuit*, quod nomen videtur habuisse a tenebris et obscuritate vallis inter duos montes altissimos mediae. Aestivo tempore flumen esse desinit, et sicco transitur pede, teste *Maundrello* p. 100. Vid. *Bachiene* descriptio historica et geograph. Palaestinae Part. I. Tom. I. p. 154. seqq. ex vers. teuton., et cf. *E. F. C. Rosenmülleri Handb. der bibl. Alterthumsk.* T. II. P. I. p. 206. ἦν κήπος) Locus omnino idem, qui a Matthaeo (XXVI, 36.) et Marco (XIV, 32.) dicitur *Gethsemane*, quod nomen villam, aedificia, hortumque involvit.

2. Ὅτι — μαθητῶν αὐτοῦ) Saepe quaesivit Iesus loca sola precandi causa. Sed in hac villa per hos festos dies semper pernoctare solitus erat, Luc. XXI, 37. XXII, 39. coll. Io. VIII, 1. 2.

3. Λαβὼν τὴν σπεῖραν) *Comite cohorte.* Παραλαμβάνειν comitem sibi sumere, ut Matth. XVII, 1. Observant interpretes, articulum et voc. ὁ χιλίαρχος, comm. 12. designare *illam* cohortem, quae sub dies festos, data a Procuratore Senatoribus, praecipue solebat observare et cavere, ne tumultus oriretur, quia ingens multitudo exterorum Iudaeorum in urbem tum conveniebat. Verum, quod nostrum locum attinet, etsi Iudaeorum Senatui aliquem comprehendendi ius erat (vid. XI, 57.), tamen probabile est, Procuratorem, cui a sacerdotibus propositum esset indicatum,

ad

ad facinus perpetrandum milites suppeditasse, quia periculum erat, ne Christi sectatores, ubi quae fierent comperissent, seditionem commoverent. Neque tamen necesse est, totam cohortem adfuisse, sed eius partem. Christus autem primum deductus fuisse videtur, ad causam coram Pontifice et Synedrio dicendam, quia maximum, cuius accusatus esset, crimen Iudaeorum cultum spectaret. Plurimi Interpretes huic sententiae favent; inter recentissimos *Hessius (Lebensgesch. Jesu*, T. III. p. 244.) et *Lückius*, T. II. p. 460. Dubitant tamen alii *(Michaelis* et *Schulzius* ad h. l., *Gurlittus*, *Explicatio cap.* XVIII *Evang. Io.* Hamburgi 1805. 4. p. 5. et *Kuinölius* ad h. l.), quibus potius vox σπεῖρα latiori sensu sumenda esse videtur, de praesidio templi, i. e. Levitis, qui excubias agebant in templo, et suis subiecti erant Praefectis. Cf. Matth. XVI, 47. Luc. XXII, 4. 52. Nec plane improbabilis est haec sententia vel propterea, quod Ioannes statim addit: καὶ ἐκ — ὑπηρέτας, ministros a Pontificibus et Pharisaeis datos. Nam sacerdotes et Principes Iudaeorum cum hominibus Romanis, qua erant superstitione, nunquam tam familiariter egissent. Cohors Romana autem sine dubio Iesum statim deduxisset ad Pilatum, non ad Annam. Quicquid sit, haec quaestio magni momenti non est. Ceterum ea, quae Ioannes hic et in iis quae sequuntur, vel non meminit, vel addit, non ita differunt, ut non facile cum ceterorum evangeliorum narrationibus componi possint. Ordinem, quo singula subsecuta sint, seque excepterint, omnino definire, post tot saecula non licet; neque magis, cur haec, non alia accurate hic explicentur. Quamquam manifestum est, Ioannem suos commentarios

rios de Christi vita ita scribere non potuisse, si non lectoribus suis cognita fuissent, quae praeteriit. μετὰ φανῶν) *Instructi facibus.* φανὸς antiquis *facem*, recentioribus *laternam* significat: quae differunt ut candela et candelabrum. καὶ λαμπάδων) Nonnus communi nomine λαμπτῆρας appellavit. λαμπὰς, *lucerna*, quae, vasculo imposito ellychnio, fovetur aleo. Cf. Matth. XXV, 3. 4. 7. 8. Act. XX, 8. Ostendit Ioannes, quanto ardore hi homines quaesierint Iesum, et metuerint, ne elaberetur. Quapropter plena luna tamen et faces et laternas attulerunt, ut omnes latebras perreptarent.

4. 5. Εἰδὼς — ἐπ' αὐτὸν) *Qui nosset omnia, quae ipsi essent eventura.* Τὰ ἐρχόμενα, pro τὰ ἐλευσόμενα. Ἔρχεσθαι ἐπί τινα dicuntur, *quae ei accidunt, eveniunt*, Matth. X, 13. Ἐξελθὼν) Sc. ex ipsis aedibus horti, postquam villam cinxerant ostiumque aedium pulsarant. Ultro prodit et se offert. Et hoc et sequentia diligenter annotat Evangelista, ut ostendat, Iesum non vi coactum, sed voluntate sua in manus venisse inimicorum Τίνα ζητεῖτε;) Ad quemnam capiendum exiistis? Iesum enim capiendum esse, haud dubie tantummodo apparitorum praefectis notum erat. Quaesiverunt Interpretes, utrum quae comm. 4—8. leguntur, evenerint osculo iam dato, an eo nondum dato? *Kuinölio* bene observante parum probabile est, Iudam tum demum osculatum esse Iesum, ut catervae ostenderet eum capiendum esse, quum Iesus iam bis affirmasset, se esse eum, quem quaererent. Evangelistarum narrationes *Kuinölius* ita componendas arbitratur: Iudas turbam praeibat (Luc. XXII, 47. Matth. XXVI, 49.) et Iesum osculabatur. Iesus vero, quum

quum paucis verbis hominis impietatem castigasset (Matth. XXVI, 50. Luc. XXII, 47.), turbae propius accedenti obviam ibat et gravi ac forti voce apparitorum praefectos interrogabat: τίνα ζητεῖτε; Hi, quum Iesum conspicerent, eiusque vocem audirent, perturbati et consternati respondebant: Iesum Nazarenum. Apparitores vero ipsi, quum Iesum cognoscerent, et hic graviori et fortiori voce affirmaret, se eum esse, quem quaererent, retrocedebant, et plures eorum humi procumbebant, v. 6. Eandem fere sententiam protulit *Hessius* l. l., quocum consentit etiam *Lückius*. Alias aliorum opiniones vid. apud *Kuinölium*. Ἐγώ εἰμι) Quibus verbis, quae tantum habebant effectum in animos apparitorum, simul, omne periculum in se ipsum convertens, a discipulis omnem vim avertere studebat. Εἱστήκει κ. τ. λ.) Iudas facinore commisso, pudore suffusus adiunxerat se catervae, adstabat, suspenso animo rei exitum exspectans.

6. Ἀπῆλθον — χαμαὶ) *Retrocesserunt, atque in terram prolapsi sunt.* Εἰς τὰ ὀπίσω) Sc. μέρη, in partes a tergo, i. e. *retro*. Tanta huic voci inerat vis atque auctoritas Nonnulli hoc ad miraculum referunt, quo homines illi sint prostrati; plurimi tamen e naturali serie rerum intelligi posse existimant. Quum nempe milites illi et ministri publici conspexissent eum, quem antea viderant tot miracula patrasse, tanta cum vi docuisse per Palaestinam; quum audiissent, se ad hunc virum, quem a multis pro insigni Propheta, quin pro ipso Messia haberi sciebant, nocturno tempore capiendum missos esse; quum Christus intrepide, gravi ac forti voce affirmasset, se eum esse, quem quae-

quaererent; tum igitur homines illi, poenam et interitum metuentes, retrocessisse dicuntur et sese trusisse invicem, ut plures eorum humi corruerent. Neque enim legitur *omnes* in terram esse prolapsos. Cf. *Kuinölium* et *Lückium* ad h. l. Sic *Io. Longinus* in vita Pontificis Stanislai tradit, sicarios a Boleslao, Poloniae Rege immissos, dum strictis ensibus Episcopum ferire niterentur, immodico terrore correptos resupinos in terram cecidisse. Digna quoque sunt, quae ad hanc rem illustrandam conferantur, apud veteres exempla, de *M. Antonio*, Valer. Max. VIII, 9, 2., et de *C. Mario*, Vellei. Paterc. II, 19, 3.

7. 8. Πάλιν οὖν — ζητεῖτε) Scil. postquam illi aliquantisper ad se redierant. Ἄφετε τούτους ὑπάγειν) *Missos facite illos*, sc. discipulos. Supplendum est: Atque sic illi manus a ceteris abstinuerunt. Apparitores enim discipulos quoque circumdedisse iisque manus iniecisse videntur.

9. Ἵνα πληρωθῇ — οὐδένα) *Ita ut etiam hic valeret illud eius dictum: neminem eorum, quos disciplinae meae tradidisti, amisi.* Respicit auctor ad verba Iesu c. XVII, 12. quae autem Ioannes h. l. alio sensu interpretatur. Nam ibi erat sensus: nemo illorum discipulorum defecit a me, et a mea doctrina; nunc autem hoc dicitur: Neminem eorum perire, miserum esse passus sum; nullus in vincula traditus et abductus est. Ἀπώλεσα Ioanni hic est: *sivi perire*, quomodo saepe interpretanda sunt ea, quae habent formam Hiphil apud Hebraeos, qua forma hic Syrus utitur. Quamvis autem verba illa Christi precantis haud dubie multo latius paterent, recte tamen Ioannes

ea

ea hoc quoque eventu dicit comprobata. Nam divinorum effata virorum πληρωθῆναι et τελεσθῆναι dicuntur, non modo, cum illud ipsum, quod praedictum erat, evenit, vel exitum habet, sed etiam ubi tale quiddam accidit, quo eiusmodi dicta in memoriam nostram rediguntur, et quoquo modo vel confirmantur, vel illustrantur. Similiter Matthaeus c. VIII, 17. Iesum oraculo Ies. LIII, 4. 5., proprie ad *animi* morbos eorumque effecta spectanti, etiam hactenus satisfecisse dicit, quod aegrotorum *corpora* persanaverit.

10. Ἔχων μάχαιραν) Sive attulerit ex urbe, sive ista in trepidatione in aedibus his arripuerit, sive etiam pro more peregrinantium in iis locis De significatione vocis μάχαιρα vid. Luc. XXII, 36. εἵλκυσεν) *Eduxit*, i. e. strinxit. Cf. Matth. XXVI, 51. Solus Ioannes, et Petri et Malchi in hac causa nomen appellat, a ceteris Evangelistis, vivente adhuc Petro, ideo, ut quidam suspicantur, omissum, ne Petro fraudi esset: quo postea defuncto, Ioannes sine periculo id diserte exprimere potuit. Ceterum Ioannes, in aedibus Pontificis versari solitus (v. 15. 16.), facile servi illius nomen didicisse poterat.

11. Βάλε — αὐτό;) *Reconde ensem in vagina; etenim supplicium, quod Pater me obire vult, non obeam?* Βάλλειν, *immittere, recondere.* Θήκη, est omnis locus, quo aliquid reconditur, h. l. *vagina.* Τὸ ποτήριον quod hominibus bibendum porrigitur, metaphorice dicitur de sorte hominum, vel laeta vel tristi. H. l. significat mala gravissima et ipsum supplicium. Cf. Matth. XX, 22. XXVI, 39. coll. Ies. LI, 17. Ὃ δέδωκε, sc. πίνειν.

12.

12. Ὁ χιλίαρχος) Proprie dux mille militum, deinde etiam tribunus. H. l. intelligitur vel Praefectus, qui Romanam cohortem ducebat, cui opponunter *οἱ ὑπηρέται τῶν Ἰουδαίων, Synedrii apparitores;* vel, ut alii malunt, Praefectus praesidio templi. Vid. not. ad v. 3.

13. Πρὸς Ἄνναν πρῶτον) Quod eius domus in proximo esset; et quia is magnae apud generum Caiapham erat auctoritatis, ex ipso discere voluerant, quonam et quomodo ducendus esset Iesus. Fortasse etiam, ut alii suspicantur, Annas senectute fuit impeditus, quominus nocturno interesset concilio: cuius tamen iudicium gravissimae erat ad propositum exsequendum auctoritatis. Honores maximos habitos fuisse Annae, auctor est Iosephus, haud dubie etiam propterea, quia eorum, qui pontificatum gesserunt, erat natu maximus. Addunt nonnulli: ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα, quae verba etiam infra v. 24. in textu leguntur. Reperitur hic locus commate hoc 13. in Syriacae posterioris versionis margine, et in Cyrilli versione latina. Beza hic inseruit illa verba. Nec immerito. Omnia enim, quae sequuntur, gesta sunt in aedibus Caiaphae, non Annae, consentientibus omnibus Evangelistis. Possumus tamen illo additamento, quod non videtur nisi glossema esse, propter difficultatem recepti textus e v. 24. huc translatum, commode carere. Ut enim Ioannes universe praetermittit, quae lectoribus cognita censet; sic quoque abitionem ad Caiapham praeterit, et obversantibus animo narrationibus more suo id, quod minus cognitum erat, adiicit, hancque veluti notulam adspergit, *ante*, quam Iesus, ut aliunde constet, ad Caiapham

pham venerit, ductum eum fuisse ad Annam, Caiaphae istius, ad quem ut ἀρχιερέα τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου cursum praecipue contenderint, propinquum.

14. Ἦν δὲ Καϊάφας κ. τ. λ.) In memoriam reducit dictum huius Caiaphae, memoratum supra c. XI, 15., ut inde intelligatur, quanto ille odio in Christum incensus fuerit, ut qui nulla alia prolata causa, praetextu utilitatis publicae, et quidem imaginario, interficiendum eum pro sententia ausus esset dicere. Pertinet autem hoc ad elevandam iudicii in Christum habiti auctoritatem.

15. Καὶ ὁ ἄλλος μαθητὴς) Seipsum Ioannes designat, ut c. XX, 2. 3. 4. 8. in quo plerique Veteres consentiunt. Deest quidem hoc loco formula ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς, quis tamen hanc phrasin desideret c. XX, 3. 4. 8.? Omni probabilitate carent aliae de hoc loco opiniones, quas collegit et refutavit *Kuinölius* ad h. l. γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ) Frustra quaerunt nonnulli, quomodo Galilaeus aliquis piscator potuerit notior factus esse Caiaphae: nam variae rationes esse possunt, ex quibus fit, ut unus prae aliis homini cuidam innotescere possit. Εἰς τὴν αὐλὴν, *in aulam*, i. e. in ipsum palatium Pontificis Potest etiam hoc loco significari προαυλὴ, ubi famulitium versari solebat.

16. Τῇ θυρωρῷ) *Ianitrici.* Satis multa sunt exempla in vetustis scriptoribus, apud Graecos, Romanos, praesertim vero apud Iudaeos, muliebria quoque servitia *ostium* servasse. 2 Sam. IV, 6. Act. XII, 13. καὶ εἰσήγαγε τὸν Πέτρον) Sc. ipsa ianitrix. Est enim sensus concisus. Dixit ille ianitrici, ut intrare pateretur Petrum: quod illa fecit.

18.

18. Ἀνθρακιὰν πεποιηκότες) i. e. *Congestis prunis.* In latinis libris est: ad prunas. Prunae autem sunt ἀνθράκων, i. e. carbonum. In Suida proverbium est: μὴ τὴν τέφραν φεύγων εἰς ἀνθρακιὰν πέσῃς, *fugiendo cineres, ne incidas prunis, cave.* Ψύχος, *frigus.* Actor. XXVIII, 2. 2 Cor. XI, 27. LXX. posuerunt pro קֹר Gen. VIII, 22. et קָרָה Ps. CXLVII, 17. Nox frigida erat, quales circa tempus festi pasch. in Palaestina esse solent.

19. Περὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ) Insidiose interrogavit de discipulis (fortasse, ut eorum praecipui quoque comprehendi possent, coll. c. IX, 22.), et quem in finem asseclas collegisset. Primaria tamen quaestio fuit περὶ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ, *de doctrina*, quam Pontifex quaestione sua tacite indicabat esse factiosam et seditiosam. Cui ergo Christus ea, quam statim reperimus, ratione respondit, ne, vitae periculo imminente, praetextum aliquam latebrasve quaerere videretur.

20. Ἐγὼ — τῷ κόσμῳ) Παῤῥησίᾳ, palam, coram omnibus, qui audire vellent. Τῷ κόσμῳ, non inter privatos quasi parietes docui, vel clandestinam societatem collegi; itaque nulla suspicio esse potest, novarum rerum me auctorem esse. Articulus ante συναγωγῇ in pluribus Codd. deest, adscriptus haud dubie a librariis, quum eum nomini ἱερῷ adjunctum viderent. Singularis autem, ut recte monuerunt Interpretes, positus est pro plurali; nec tantum Synagogas Hierosolymitanas (plures fuisse Hierosolymis synagogas docuit *Deylingius* Obss. Sacrr. P. II. p. 334.), sed quasvis etiam alias significari videntur. Pro πάντοθεν optimorum librorum lectionem πάντες *Griesbachius* in textum recepit.

21.

21. Τί με ἐπερωτᾷς — ἀκηκοότας) Hoc iubet lex, a testibus incipi, praesertim, ubi multi suppetunt, ut hic. Testibus omnino opus erat, quia Iesus pro auctore rebellionis et novarum rerum habebatur, quem quidem parum erat credibile, seipsum confitendo accusaturum. Sensus ita erit constituendus, quasi dicat Christus: Iam Synagoga movendos decrevistis, quicunque mihi fidem habuerint (IX, 22.), me ipsum comprehendendum iussistis, et nondum inquisivistis in mea dogmata, sed nunc demum ex me ea vultis discere? Quis hic mos agendi?

22. 23. Ἔδωκε ῥάπισμα) Non est: *baculo percussit*, sed ῥάπισμα est *alapa*, *ictus*, *qui palma incutitur alicui*. Ignotam fuisse hanc vocem Graecis antiquioribus, post *Fischerum de vitiis Lexx. N. T.* Prolus. III. docuit *Lobeckius ad Phryn.* p. 175. Εἰ κακῶς — δέρεις;) *Si falsa dixi, ostende, me perperam locutum esse; si autem vera dixi, cur me depalmas?* Κακῶς λαλεῖν, h. l. non est *impudenter* loqui, sed vana, falsa dicere. Καλῶς λαλεῖν, *recte, vera dicere.* Marc. XII, 28. Io. XIII, 13. Μαρτυρεῖν, i. e. ἐλέγχειν περὶ τοῦ κακοῦ, *convincere falsitatis.* Δέρειν, *excoriare*, verberare, h. l. est *depalmare.*

24. Ἀπέστειλε) οὖν abest a plerisque codicibus, in aliis legitur δὲ. Utraque lectio profecta est a grammaticis, qui has particulas adiecerunt, ut verba huius versus accuratius cum antegressis connecterent. Ex peritissimorum et antiquiorum et recentiorum Interpretum sententia hoc comma in parenthesi legendum, et verbum ἀπέστειλεν in Plusquamperfecto vertendum est: *miserat*, ut ἔδησεν Matth. XIV, 3. *vinxerat. Miserat*, inquit, Annas Iesum ad Caiapham; ut planum fiat, ubi gesta

gesta sint; supra enim adductum fuisse Iesum primum ad Annam dictum est, honoris scilicet causa, ut ad socerum τοῦ ἀρχιερέως illo anno. Vid. supra v. 13. Omnia, quae hic narrantur, apud Caiapham esse gesta vel inde colligi potest, quod Ioannes neque v. 13., neque v. 24. Annam appellat τὸν ἀρχιερέα. Quis autem sibi persuadeat, Ioannem, quum comm. 15. 19. 22. 26. voc. ἀρχιερεὺς uteretur, nomen proprium praetermittere potuisse, nisi eum significasset, quem par erat illo titulo salutari, nimirum Caiapham?

26. Μετ' αὐτοῦ) ἐμφατικῶς. Cum Iesu; cum illo capto in horto. Fusius haec narrantur Matth. XXVI, 69. sqq.

28. Ἄγουσιν — εἰς τὸ πραιτώριον) Ἄγουσιν, impersonaliter hic sumitur. *Ducitur Iesus.* Ἀπὸ τοῦ Καϊάφα, *a Caiaphae aedibus.* Πραιτώριον latinum nomen est, praetoris seu praesidis domus. Matth. XXVIII, 27. οὐκ εἰσῆλθον) Noluerunt ingredi in ipsam domum, quia vel per societatem parietum se *pollui* existimabant. ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα) *ut recte edere possent agnum paschalem.* Hic locus occasionem dedit quaestioni, quonam die illius anni Pascha celebrarint Iudaei; et an Iesus etiam illas legitimas atque solennes epulas usurparit. Ex his enim verbis sequi videtur, Iesum non cum Iudaeis, sed praecedente die edisse agnum paschalem. Bene *Camerarius:* Haec inexquisita etiam relinqui, nihil nocuerit pietati fideli. Theophylactus, vel Pascha, inquit, accipiemus nominari totos illos dies VII, vel, Iudaei quidem die parasceves celebrarunt vesperi Pascha, Christus vero pridie, suam mactationem postero die servans. *Lightfootus*, quem alii sequuntur,

tur, censet, πάσχα h. l. non esse agnum paschalem sed *Chagigam* paschalem, i. e. sacrificia solennitatis, sive epulas sacras, de quibus Deut. XVI, 2. 3. et 2 Chron. XXXV, 8. 9. Eodem die cum Iudaeis pascha suum ultimum celebrasse Servatorem, evincere studet *Anton. Bynaeus* de morte Iesu Christi, qui et aliter sentientium catalogum recenset. Adde *Gableri neues theol. Iour.* T. II. p. 441. sqq. III. p. 433. sqq. Lightfootio et Bynaeo adstipulatur *Lueckius*, qui plura disseruit de hoc loco (Tom. II. p. 471—476). Ipse satis probabiliter coniecit: „Ioannem, qui in usum Graecorum scripserit, minus accurate loquutum esse, sed, formula φαγεῖν τὸ πάσχα usum, aliam significasse coenam sacram, *primo Paschatos festo* celebrandam, cui ne aliquis secundum leges Mosaicas impurus interesset, vetitum erat.“ Dignus quoque est, qui conferatur *Usterius* (l. l. ad c. XVII, 1.) p. 14. sqq. Qui tamen V. D. alia ex parte fallitur, quum ceterorum Evangeliorum auctoritatem minimi aestimandam opinetur.

29. Ἐξῆλθεν — αὐτούς) Sc. in stadium, ubi tribunal ponere solebat. In hoc certe Pilatus aequi observantior, et hoc melior fuit Iudaeis. Τίνα — τούτου;) *Quamnam accusationem profertis contra hunc hominem?* s. quonam crimine accusatis hominem istum? quid contra leges Romanorum deliquit, quod a me morte mulctandus sit? ut κατηγορία sit crimen. Φέρειν pro προσφέρειν. Brevis et succincta est Ioannis narratio; nec Christum ad Herodem deductum memorat, quia nonnisi ea referre solet, quae ipse spectaverat et audierat.

30. Εἰ μὴ — παρεδώκαμεν αὐτὸν) *Nisi maleficus esset homo, non eum tibi condemnandum traderemus.*

Hoc

Hoc volunt: Nisi Synedrium, examine instituto, cognovisset eum esse hominem nequissimum, non eum tibi traderemus ad capitis supplicium.

31. Λάβετε — κρίνατε αὐτὸν) *Vos igitur iuxta legem vestram eum punite.* Λάβετε — αὐτὸν, *abducite eum vobiscum*, ut in familiari sermone redundat. Κρίνειν saepe est condemnare et punire. Pilatus suspicatus est id, quod res erat, esse aliquid privati odii, propter legis superstitionem, e. g. ob violatum sabbatum, ob gustatam carnem suillam, ob liberius dictum in Mosen, Prophetas, templum etc. Eiusmodi legis Iudaicae quaestionibus Pilatus se immiscere non vult, quia Procuratoris erat, ea tantum punire, quae contra leges civiles essent commissa. Irritatus praeterea fuit synedrorum impudentia, qui vellent, ut causa nondum cognita puniret Iesum, atque executor tantum esset sententiae a synedrio latae. Dicit igitur: Punite eum in tantum, in quantum e lege vestra fieri potest. Poterant autem Iudaei flagellis hominem in Synagogis caedere. Matth. X, 17. ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα) *Non licet nobis aliquem capitis supplicio afficere;* scil. nisi tu sententiam nostram confirmaveris. Nimis quaesitae sunt aliorum interpretationes. Fuerunt enim, qui verbum ἀποκτείνειν de crucis supplicio intelligerent, q. d. Iudaei: *nobis non licet quemquam interimere ita, ut crucifigatur.* Alii interpretantur: *nobis non licet seditionis et laesae maiestatis reum punire.* Alii explicant: *nobis non licet* (κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν) *quemquam supplicio afficere ob religionem diei festi.* Erat enim παρασκευὴ τοῦ πάσχα, quam eandem ob causam neque praetorium ingressi sunt.

Quum vero Iudaei simpliciter profiteantur, sibi *nullius interficiendi* ius esse, recte a plurimis Interpretibus statuitur, ne potestatem quidem interficiendorum e legibus suis, quos religio occidi iuberet, concessam amplius Iudaeis fuisse. Observarunt quidem alii, in iis criminibus, quae ad religionem spectarent, Iudaeis ius, supplicium capitale sumendi, fuisse relictum; in criminibus autem aliis, e. g. seditionis, tumultus, perduellionis, et ad laesam maiestatem Caesaris pertinentibus, illud ius iis non fuisse concessum, sed omnem eius rei cognitionem Praesidi provinciae commissam. Sic Iosephus diserte tradit, a Iulio Caesare ob merita Hyrcani, Pontificis Iudaeorum in Romanos, ei concessum esse hoc, ut, si qua contentio inter Iudaeos de institutis Iudaicis incidisset, eius rei iudicium penes Hyrcanum pontificem M. esset. Antiq. XIV, 10, 2. Cf. de B. I. L. VI, 2, 4. Act. VI. VII. Inde tamen non sequitur quod Interpretes colligi volunt. Mera autem coniectura est, Pilatum permisisse Iudaeis, ut Iesum supplicio afficerent, noluisse tamen synedri, metu populi, de eo supplicium sumere. Admodum vero probabile est, Synedrium decernere quidem capitalem poenam, sed non exsequi potuisse, nisi eius decretum confirmatum fuisset a Procuratore. Cf. *Ikenii* Diss. *de iure vitae et necis tempore mortis Servatoris apud Iudaeos non amplius superstite.* Bremae 1740. 4. repetitam in Eiusd. *Dissertatt. philol. theolog.* T. II. p. 517. sqq. Adde *E. F. C. Rosenmuelleri altes u. neues Morgenl.* T. V. p. 264. sqq. Ceterum vid. quae supra notavimus ad c. VIII. 6.

32. Ἵνα ὁ λόγος — ἀποθνήσκειν) *Itaque evenit, quod Iesus alibi dixerat, ubi declarabat, quo sup-*

supplicio esset periturus. Addit Ioannes his verbis suum iudicium. Si Iudaei Iesum morte mulctassent, quum apud eos crucis supplicium inusitatum esset, eum tamquam blasphemum lapidationis poena affecissent. Quum igitur secundum leges Romanorum sententia ferretur, factum est, quod Iesus de mortis suae genere praedixerat, cap. XII, 32. 33. Matth. XX, 19.

33. Εἰσῆλθεν πάλιν, i. e. *rediit* in Praetorium; πάλιν refertur ad locum, ubi fuerat, antequam exiret, ut c. XVI, 28. Ἐφώνησεν τὸν Ἰησοῦν) Privatim accersivit ad se Iesum, ut scilicet eum interrogaret, et audiret, cuius criminis reus esset. Perquam probabilis est Interpretum observatio, Iudaeos, quum viderent Pilatum, causa nondum cognita, Iesum non esse condemnaturum, gravius incepisse hunc accusare; et huc pertinent, quae leguntur Luc. XXIII, 2. Τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν Χριστὸν βασιλέα εἶναι. Horum criminum cognitio ad Procuratorem pertinebat; quare Pilatus nunc diligentius in Iesum inquirebat. ὁ Βασιλεὺς) Hoc unum diligenter exquirit Pilatus, an esset rex Iudaeorum, quem ipsi exspectabant, quod cetera non pertinerent ad rempublicam, hoc autem crimen videretur et ad Caesaris maiestatem, et ad publicam tranquillitatem pertinere.

34. Ἀφ' ἑαυτοῦ) i. e. ἀπὸ σεαυτοῦ, *ex te ipso.* Utrum hoc ex te coniectas, quod regni sim affectator, an Iudaei hoc nomine me tibi detulerunt? Tot iam annis Procuratorem egerat Pilatus, nec delatum erat aliquid ad eum, quod Iesum imperii turbati suspectum facere

facere potuisset. Voluit igitur Christus hac interrogatione et Iudaeorum malitiam detegere et simul e Pilato elicere, quo tandem sensu voc. ambiguae significationis βασιλεὺς intelligat. Aliam enim vim Romani, aliam Iudaei huic voc. tribuebant.

35. Μήτι ἐγὼ Ἰουδαῖός; εἰμι) Quum Iudaeus non sim, parum, inquit, intelligo, quo sensu regni affectati accuseris. τὸ ἔθνος — σε ἐμοί) *Populares tui Pontifices te mihi tradiderunt*, sc. damnandum et puniendum. τί ἐποίησας) Dic ergo, *quid commisisti?* si nimirum falsum est affectati regni crimen. Aliam interpretationem vid. apud *Kuinoelium*.

36. Ἡ βασιλεία — τούτου) *Regnum meum non est terrenum.* Εἶναι ἐκ τοῦ κόσμου, significare potest vel originem sumere ex his hominibus, vel simile esse regno terreno. Utrumque eodem redit, si sententia spectatur. Verba tamen sequentia declarant, magis naturam, quam originem regni indicari. Sensus: Regnum meum non est huius generis, cuius sunt regna terrena, velut Caesareum; statum imperii Romani non laedit. οἱ ὑπηρέται — τοῖς Ἰουδαίοις) *Satellites mei depugnassent, quo minus Synedrio* (captivus) *traderer.* Haberem et ipse more ceterorum regum armatum satellitium; haberem instructas copias, praesidia decertarent armis pro me, ne Iudaeis hoc, quod moliuntur in me, impune liceret. Quasi dicat: si tale regnum affectassem, quale cavere ad te pertinet, collegissem mihi stipatores armatos, ut solent qui talia conantur. Nunc paucos habui discipulos, et plerosque inermes; quid ad tantam vim inimicorum? et hos ipsos pugnare vetui.

Ἀγω-

Αγωνίζεσθαι, *decertare, repugnare.* Glossae Labbei: ἀγωνία, sollicitudo, ἀγωνιᾷ, satagit, ἀγωνιζόμεθα, elaboramus, ἀγωνίζεται, opitulatur.

37. Οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ;) *Ergo tu tamen es rex?* nonne ergo te regem profiteris? Rectius scribitur οὐκοῦν quam οὔκουν. Cf. *Buttmanni* Gramm. p. 436. Σὺ λέγεις) Est affirmantis et concedentis, ut Matth. XXVI, 25. ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ) *Ut veritatem docerem, commendarem,* et per eam imperarem animis hominum. Ἀλήθεια saepissime quidem denotare constat *veram Dei atque divinae voluntatis cognitionem;* hoc tamen loco magis convenire videtur notio illius voc. propria eaque latissima. μαρτυρεῖν τινι semper est *testimonium reddere* in gratiam alicuius, coll. c. III, 26. V. 33. Luc. IV, 22. Vult igitur hoc: Recte dixisti, me regem esse, nam eo consilio in hunc mundum veni, ut vera faterer et auctoritatem veritati conciliem. Sermo instituitur de Iesu non *Doctore* sed *Rege.* ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας) *Veritatis amans,* studiosus, vid. ad c. VIII, 47. Sic Rom. II, 8. οἱ ἐξ ἐριθείας, *qui ingenio sunt contentioso.* ἀκούει μου τῆς φωνῆς *obsequitur mandatis meis,* et est subditus meus. Ex contrario dat intelligi, homines falsi amantes (quales erant Iudaei) alieno a se esse animo; neque mirum si a talibus accusetur, quibus veritas odium parere solet.

38. Τί ἐστιν ἀλήθεια;) Plurimi Interpretes *ironice* dictum recte accipiunt, ut Pilatus per contemtum abierit, non iudicans veritatis causa magnopere laborandum, nedum capitis periculum ab eo, qui sapiat, adeundum esse. Bene *Vaterus* ad h. l.: „Abrumpitur exa-

examinatio quaestione omnino conveniente homini res terrenas curanti et disquisitiones philosophorum vel contemnenti, vel nimis arduas habenti.“ Ex aliorum sententia Pilatus hoc tantum voluit: controversias de eo, quid verum, quid falsum sit in religionis negotio, non pertinere ad cognitionem magistratus politici; se non posse in hac lite ferre sententiam. Alias interpretationes vid. apud *Kuinölium* et *Gurlittum* ad h. l. *οὐδεμίαν αἰτίαν*) sc. *θανάτου*. Nullum crimen in eo invenio, quod sit mortis supplicio dignum. Ceterum e quonam noster privatum hoc colloquium scierit, vix poterit aliquis perscrutari.

39. Sequuntur iam ea quae Luc. XXIII, 5. sqq. Matth. XXVII, 12. sqq. leguntur. Quae h. l. comm. 39. 40. et Matth. XXVII, 15. sqq. Luc. XXIII. 14. sqq. Marc. XV, 8. narrantur, evenerunt, postquam Iesus a Pilato ad Herodem, ab hoc autem ad illum erat remissus. *Ἵνα — ἐν τῷ πάσχα*) Ob laetitiam publicam. Non rarus est ille mos inter varias gentes; sic publicum gentis gaudium etiam ad miseros et morti addictos pertinebat. *τὸν βασιλέα τῶν Ἰουδαίων*) i. e. *τὸν λεγόμενον Χριστὸν*, Matth. XXVII, 17., *ὃν λέγετε βασιλέα τῶν Ἰουδαίων*, Marc. XV, 12. Noluisse Pilatum haec contemtim dicere, verisimillimum est. Si Iudaeos irrideret, satis imprudenter egisset (recte monente *Kuinoelio*); ita enim exacerbasset Iudaeorum animos, quos tamen conciliare Christo volebat.

40. *Ἐκραύγησαν οὖν πάλιν πάντες*) *Τὸ πάλιν* omittunt Codd. varii et versiones nonnullae. Omissa ideo videtur haec particula, quod non antea a Ioanne commemora-

moratum est, eos iam vociferatos esse. Interim non dubitandum esse videtur, Ioannem ita scripsisse, qui haud raro uno alterove verbo breviter innuit, quae facta sint. Iam vero ex Matth. XXVII, 23. patet, Iudaeos Pilatum *iterum iterumque* de condemnando Iesu compellasse. μὴ τοῦτον) sc. ἀπολύσῃς. Antistites populo erant auctores, ut postularet Barabbam, Matth. XXVII, 20.

CAP. XIX.

1. Τότε οὖν — ἐμαστίγωσε) *Tum Pilatus Iesum flagris caedi iussit.* Ἔλαβεν redundat. Cf. Matth. XXVII, 16. Quae huius poenae ignominia fuerit, cognoscitur e verbis apud Philonem in Flacc. p. 975. E. (Ed. Mangey T. II. p. 528. sq.), ubi dicit, maleficentissimos homines hoc poenae genere affici. Servi nimirum flagris, liberi et ingenui virgis caedebantur. Fuit quidem moris Romani, ut, qui supplicio crucis afficiendi essent, prius flagellis lacerarentur; sed Pilato alia mens fuit; voluit enim Iesum flagellari, ut voluntati Iudaeorum quodammodo faceret satis, et castigatum dimitteret, ut patet ex Luc. XXIII, 16.

2. Vide annotata ad Matth. XXVII, 28. sqq. ἱματιον πορφυρεῦν) Pallium purpureum. Coccineum vocat Matthaeus. Est autem et purpurae suus color rubens.

4. Ἐξῆλθεν) Tentaturus, an posset multitudinis saevitiam mitigare. ἄγω ὑμῖν αὐτὸν ἔξω) *Adduco eum ad vos*, eumque vobis reddo.

5.

5. Καὶ λέγει αὐτοῖς) Sc. Pilatus. Mirum est, viros eruditos nonnullos statuere potuisse, Iesum dixisse haec verba. Ἴδε ὁ ἄνθρωπος) *Hic igitur videtis hominem istum*, videte eius miseriam et quam ridiculum sit in ipso crimen regni affectati. Non ludibrii, ut milites, sed vel misericordiae movendae, vel innocentiae iterum significandae causa Pilatus ita egisse et locutus esse videtur.

6. Ὅτε οὖν εἶδον αὐτὸν) Quum eum intuiti fuissent. λάβετε — σταυρώσατε) Vos eum vestro periculo abducite, et si videtur, crucifigite; meum non est condemnare insontem. Sunt verba indignantis, nec tamquam serio dicta accipienda.

7. Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν) Nempe, si quis Iudaeus blasphemiam sciens et volens in Deum, publicamque religionem dixisset, supplicio is afficiendus erat. Levit. XXIV, 16. *Convitium* in Deum interpretabantur, quod Iesus se *filium* Dei dixisset. Initio accusarant eum apud Pilatum seditionis, et criminis laesae Maiestatis, Luc. XXIII, 2. quam accusationem alte in pectus Pilati descensuram esse credebant. Quum autem Pilatus, huius criminationis vanitate cognita, nullam se mortis causam in eo invenire dixisset, et Iudaei adeo sua se spe destitutos viderent; tum demum crimen impietatis in Deum, religionemque Christo intendunt, provocantque ad *legem suam*. Mori debebat etiam, qui prophetam se esse mentiretur. Deut. XVIII, 20. Hanc quoque legem quaestioni, qua poena Christus afficiendus sit, accommodare videntur. Ὀφείλειν h. l. est *cogi*, *necessitate teneri*, id quod clarius evincitur e praeceden-

dentibus: *καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν, lex qua Iesus mortis reus declaratur.*

8. Μᾶλλον ἐφοβήθη) Cur timuerit Pilatus, de eo non consentiunt Interpretes. Ego illorum sententiae accedere non dubito, qui existimant, ideo metuisse, quia audiverat, Iesum se gerere pro filio Dei. Noluit eum condemnare ad mortem, quem suspicatus est, Deo esse coniunctissimum, et hominem divinum, quamvis nesciret, quo sensu Iesus se filium Dei esse dixisset. Qui semideos e mulieribus natos profana superstitione credebat, is suspicari facile potuit, similem quandam Christi esse conditionem atque originem. „Pilato in memoriam forte redibat (verba *Kuinoelii*) rumor de insignibus factis a Iesu editis, admonuerat eum uxor per internuntium, ne capitis damnaret insontem, quum ipsa somniis formidolosis propter Iesum fuisset territa (Matth. XXVII, 19.), ipse adspectus Christi, cuius facies summam tranquillitatem referret, Pilatum admiratione imbuebat."

9. Πόθεν εἶ σύ;) Unde tu te esse dicis? Ecquam originem tibi tribuis? An supra humanum modum te effers? Utrum natales augustiores tibi tribuis, ut Deum attingas? Nam occasio huius quaestionis haec fuit, quod Christus semet filium Dei esse dicebat. Sic 2 Sam. I, 13 Ios. IX, 8. Quapropter probari nequit *Usterii* (l. l. p. 71.) sententia, qui vertit: *Quibus parentibus natus es?* et explicat: „Cui quaestioni si Christus satis fuisset responsurus, indicare debuisset, ex veteri stirpe regia parentes genus ducere: qua potissimum ratione motus, Pilatus ne ipsum condemnaret, silentio cavit."

ἀπό-

ἀπόκρισιν οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ) Nam quantum satis est, iam ante dixerat, quum in hoc se natum esse professus esset, ut rex esset veritatis amantium, c. XVIII, 37. Nec intelligere poterat Pilatus, quae esset vis hebraicae locutionis *filius Dei.*

10. Ἐμοὶ οὐ λαλεῖς — ἀπολῦσαί σε;) *Mihi non respondes? nescisne me potestatem habere, te in crucem agendi et liberum dimittendi?* Ad quae verba bene *Kuinoelius:* Aegre ferens Iesu silentium homo superbus, ei minabatur, metumque iactantia et comminationibus dissimulabat, atque inconsiderate loquebatur; nam si Iesus insons erat, eum dimittere debebat, si reus, punire.

11. Κατ' ἐμοῦ) Hoc accipiendum est cum emphasi gravissima, quamvis illam Pilatus non intellexit. Nam ut filius ille Dei subiiceretur mortalis hominis iudicio, et quidem iniquissime, id fuit extraordinariae et prorsus divinae voluntatis opus, Act. IV, 27. 28. εἰ μὴ — ἄνωθεν) *Nisi tibi permissum esset* (faciendi quod facis) *a Deo;* nisi Deo dirigente et moderante in tuam potestatem venissem. Δεδόναι saepe est *concedere, permittere*, ut hebr. נָתַן. Δεδομένον per se esse explicandum, nec referri posse ad ἐξουσίαν, nemo non videt. Ἄνωθεν, *a Deo, coelitus*, Deo dirigente, sicut Io. III, 31. Iac. I, 17. III, 15. 17. *Semlerus* et *Boltenius* referunt ad locum *superiorem*, ad Synedrium, ad aedes summi Pontificis Alii cum ἄνωθεν coniungunt διὰ τοῦτο, ut sensus sit: *Nisi haec potestas tibi ad hunc finem esset concessa.* A vero huius loci sensu plane aberravit *Usterius* (l. l. p. 72.), qui ἄνωθεν refert ad

ad Caesarem, et hunc in modum interpretatur: „Ex Iudaeorum legibus, quas non intelligis, cum iudicium exercere nequeas; ut videbitur, causam dices. Qua quidem iniqua in conditione non tua culpa versaris, sed eius, qui huiuscemodi arbitrium ad te detulit (*Das ist eben schlimm, dass dir eine so willkührliche Gewalt höhern Ortes her, vom Kaiser nämlich, übertragen worden ist.)* Sed ob id ipsum (*διὰ τοῦτο*) multo peius nefas admittit, qui tibi me tradidit.' Sed *ἄνωθεν* semper apud nostrum est aut *οὐρανόθεν coelitus*, aut positum est pro *πάλιν* seu *ἐξ ἀρχῆς*. *διὰ τοῦτο ὁ παραδιδούς μέ σοι μείζονα ἁμαρτίαν ἔχει*) *Propterea qui me tibi tradidit*, (Caiaphas cum reliquis Iudaeis,) *gravius peccat.* Tu quidem potestate tua in me potes uti, vel abuti; sed in maiori culpa versantur Iudaei, qui te vel invitum eo adigunt, ut me condemnes. Phrasis *διὰ τοῦτο* non pro mera transeundi formula est habenda, nec in versione omittenda. Relatio est ad aliquid, quod subticetur, sed quod facile ex dictis intelligi potest. Ideo, quia talis sum, cuius curam tam peculiarem gerat Deus, quod scilicet Iudaei ex vaticiniis scire possunt, tu non aeque potes, nec aeque teneris.

12. *Ἐκ τούτου — ἀπολῦσαι αὐτόν*) *Ab eo inde tempore Pilatus eum absolvere studuit.* Suspicatus est enim, Iesum non esse merum hominem. Vid. not. ad v. 8. *Ἐκ τούτου*, sc. *χρόνου*. *Ζητεῖν*, *operam dare*. Ad verbum *ἐζήτει* subaudi: *μᾶλλον*, *magis*; etenim iam antea Iesum absolvere studuerat. *Ἀπολῦσαι*, *absolvere capitis supplicio*. *Tentavit varie*, sermonibus et persuasionibus mitioribus ad quosdam ex accusatoribus usus. *οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος*) *Non geris te ut amicum*

cum Caesaris. Inest comminatio: Tu haud obscure ipse fidem in Caesarem et Romanos violas, si nobis, qui tam studiose admonemus, non obsequeris. Legati, praesides, praefecti, consiliarii, amici Caesaris dicebantur. *Plinius* Ep. X, 22. *Traianus — ad Pompeium Plantam, Praefectum Aegypti, amicum meum. Seneca* de Benefic. VI, 33. *Iustinus* I, 4. 6. *Cornelius Nep.* Milt. III, 2. plura dabit Wetsten. Hoc tamen loco ad istum titulum non respicitur; sed sensus est: *Non es fidus Caesaris minister,* non faves Imperatori, sed es manifestus eius hostis, quum non tuearis eius iura, nec in perduellem pro merito animadvertas. Ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι) *repugnat,* adversatur, *Caesari.* Vide Luc. II, 34.

13. Τοῦτον τὸν λόγον) Sciebat Pilatus, apud Imperatorem Romanum multos quamlibet falsi criminis invidia fuisse periclitatos. Suspicacissimus enim erat *Tiberius,* et sub illo minima quaeque veniebant in crimen laesae maiestatis, ut ex *Tacito* et *Suetonio* discimus. Pilatus igitur, ne ipse crimen laesae maiestatis videretur admittere, (quae res per Iudaeorum malignitatem facile etiam militum animos potuisset corrumpere,) statuit, concedendum esse Iudaeorum furori, ut atrociora mala averteret. Accedit, quod Pilatus in administranda provincia se iniustum, rapacem, crudelem gesserat. Itaque, reluctante conscientia, iniuste agere malebat, quam propriam salutem in periculum et discrimen vocare (vid. Luc. XIII, 1.) Cf *Meyeri Versuch einer Vertheidig. und Erläuterung der Gesch. Iesu u. d. Apostel aus Profanscribenten,* p. 273. sqq. Ἐκάθισεν — γαββαθᾶ) *Consedit in tribunali, in loco,*

qui

qui Lithostroton, hebraice vero (syrochaldaice) *Gabbatha dicebatur.* λιθόστρωτον est *pavimentum parvulis, sectis, variique coloris crustis marmoreis ornatum et instratum. Michaelis* vertit: *Fussboden von Mosaischer Arbeit*, a voce quadam arabica, quae significat *bunt, gemalt.* Ac Romae quidem inter cetera munditiarum genera hoc quoque inde a Sullae temporibus usu receptum est, ut beatiorum aedes pavimentis tesselatis et sectilibus exsplendescerent, vid. Plinius H. N. XXXVI, 25. Sed etiam hoc genus luxus ad provincias pervenit; *Sueton.* in vita Iulii Caesaris c. 46. Non autem tribunal ipsum λιθόστρωτον dicitur, aut lapidum pretiosorum crustis constructum fuit; nam Ioannes satis diserte τὸ βῆμα a loco, λιθόστρωτον dicto, distinguit: nec atrium Praetorii intelligitur; ait enim scriptor divinus, ἤγαγεν ἔξω τὸν Ἰησοῦν, quod fieri solebat, quum iudicium ipsum habendum et iurisdictionis solemnia agenda essent: sed fuit illud pavimentum extra Praetorium, cui sella, τὸ βῆμα, tribunal, impositum fuit; nam Praesides in provinciis iurisdictionem et iudicia habuerunt sub dio. Vid. *Krebsius* et *Loesn.* ad h. l. Varias eruditorum sententias de loco, ubi hoc λιθόστρωτον fuerit, recensuit *Io. Ern. Faber* in Archaeologia Hebraeorum, p. 310. sqq. γαββαθᾶ) גַּבְּתָא, a rad. גָּבַב *elevari, excelsum esse.* Syrus h. l. habet גַּפִּיפְתָא unius literae immutatione.

14. Παρασκευὴ τοῦ πάσχα) *Dies festum paschale antecedens.* Cf. Matth. XXVII, 62. Marc. XV, 42., qui scripsit ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον. Indicat Scriptor, qui factum sit, ut tam festinanter causa illa isto adeo die confecta fuerit. *Parasceve* est alibi descrip-

scriptio diei sexti, quo praeparatio Sabbati instat; iam vero non erat simplex sabbatum, sed magnus dies sabbati illius, in quod Pascha incidebat. Itaque festinandum erat, ne Sabbati et festi diei religio intercederet. ὥρα ὡσεὶ ἕκτη) Marcus c. XV. 25. habet: ἦν δὲ ὥρα τρίτη, et tria Evangelia *sexta hora* tenebras initium cepisse tradunt, quo tempore Christus iam diu in crucem erat sublatus. Varios utrumque Evangelistam conciliandi modos vid. apud *Wolfium* in curis, *Moldenhawerum* et *Bowyerum*. Quomodo *Heinsius* hunc nodum solvat, annotavimus ad Marcum. Sed nec contemnendae sunt rationes, quibus permulti interpretes permoti, statuunt, a Ioanne etiam scriptum fuisse: ὥρα ὡσεὶ τρίτη. Quanquam enim hodie codices fere omnes, paucis exceptis, cum *Versionibus* habent ἕκτη, *Chronicon* tamen paschale Alexandrinum, provocans ad accurata exemplaria, imo ad Ioannis ἰδιόχειρον, ad suam usque aetatem in Ephesina ecclesia custoditum, legit τρίτη. Accedit, quod *Eusebius* Caesariensis putat, Γ ternarii notam a librariis mutatam esse in ἐπίσημον, senarii notam ϛ. cui sententiae subscribunt Severus Antiochenus, Ammonius Alexand et Theophylactus. *Bengelius* vidit in membranis episemon, litterae Γ simillimum, et epistola ad Hebraeos, cuius στίχοι (703) ΨΓ feruntur in editionibus, in Caes. habet (706) ψϛ. et Olympiodoro, cui ἀΐγαστρον obtrusere librarii, ἀΐγαγρον restituit Wesselingius. Vid. omnino Bengelii apparatus crit. ad h. l. ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν) Exprobrat Iudaeis, quod multi inter ipsos tam stulti fuerint, qui talem hominem pro rege habuerint. Alii Pilatum hic verbis synedros irrisisse arbritrantur.

Quod

Quod concedi potest factum esse in verbis comm. 15. τὸν βασιλέα ὑμῶν σταυρώσω.

15. Οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ Καίσαρα) Non habemus, nec agnoscimus Regem praeter Caesarem. Multi interpretes notarunt, mendacissime hoc dici; satis enim inviti patiebantur istam *Edomitarum*, ut dicere solent, dominationem. In talmude extat: *non habemus Regem, nisi Deum.*

16. Παρέλαβον — καὶ ἀπήγαγον) *Abduxerunt autem Iesum*, nimirum milites, quibus traditus fuerat Iesus, vel Iudaei, cum tot militibus, quot putabant opus esse. *Sensus* hoc habet, sed *textus* est incertus. Nam ἀπήγαγον deest in nonnullis codd. et verss.; alii habent ἤγαγον, rursus alii addunt vel εἰς τὸ πραιτώριον, vel εἰς τὸ σταυρῶσαι, vel καὶ ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν. Verior lectio esse videtur ἤγαγον, ut positum sit pro ἀπήγαγον, scil. a Praetorio per urbem ad locum supplicii. Παρέλαβον redundat.

17. Βαστάζων) Cf. Matth. XXVII, 32. Malefici apud Romanos solebant ipsi crucem suam gestare, quod docuit *Lipsius* in libro *de cruce.* ἐξῆλθεν) Sc. ex urbe, *Hierosolymis;* nempe talia supplicia extra urbem. De voce γολγοθᾶ vid. Matth. XXVII. 33. et cf. Marc. XV, 21. 22. Luc. XXIII, 26—33.

19. Τίτλον) Vox latinae originis. *Elogium* damnati solet dici ab aliis scriptoribus; etiam a *Tertulliano* sic nominatur, quod nomen *Lipsius* et alii illustrarunt. ἔγραψε) i. e. *scribi curavit*, ut ἐμαστίγωσε, comm. 1. Tres Evangelistae nonnisi sensum inscriptionis exhibuerunt; Ioannes vero, testis oculatus, integra eius verba asservavit. *Suetonius* in Caligula c. 32. Servum carnifici confestim tradidit, ut manibus

abscissis, atque ante pectus e collo pendentibus, praecedente *Titulo*, qui *causam* indicaret, — circumduceretur.

21. Μὴ γράφε — Ἰουδαίων) *Tu non debebas scribere, etc.* Id enim ita accipi poterat, quasi populus Iudaeorum eum pro rege habuisset.

22. Ὃ γέγραφα, γέγραφα) ὃ γέγραφα, *quod scribi iussi, γέγραφα, scriptum manere volo.* Plane simillimum illi Gen. XLIII, 14. ubi Iacobus de orbitate sua queritur his verbis: ἐγὼ γὰρ καθάπερ ἠτέκνωμαι, ἠτέκνωμαι, ac si dicat: *Video, quod iam factum, mutari non posse* Ita Pilatus mutaturum se negat, quod mutare serum erat, aut integra auctoritate non poterat. Nec improbabilis eorum est sententia, qui monent, Pilatum, quum titulum illum scribi iusserit, Iudaeos voluisse vexare.

23. Ἔλαβον — μέρη) *Pallium eius diviserunt in quatuor partes.* Τὰ ἱμάτια, *pallium*, vestis exterior; nam et LXX. hebr. מְעִיל vertunt ἱμάτια, Iob. I, 20. Quatuor partibus constabat pallium, eam ob rem a Graecis vocatum τετράγωνον ἱμάτιον, vestis quadrangula, seu quadrata. Ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου) *Erat autem tunica inconsuta, a summo tota contexta.* χιτῶν est vestis interior, cui alia superinduebatur. Tunica autem, quae hic describitur, est eiusmodi, quae non fit e duabus plagulis, s. segmentis, nectendis fibula aut acu in latere utroque, sed constat una continenti tela, nihil habens suturae aut commissurae in lateribus, aut humeris; cuius tunicae descriptio est apud *Iosephum* Antiq. Lib. III, 7, 4. Ut texta tibialia, quae si seces, perdis. Cf. *Braunius* de

de vestibus Hebraeorum, *Bynaeum* ad. h. l. et vid. *das alte u. neue Morgenl.* T. V. p. 273. sq. Inepta sunt, quae de *tunica Christi inconsutuli* declamare solent episcopi et alii scriptores, ut ecclesiae *unitatem* sic commendent.

24. Ἵνα ἡ γραφὴ — κλῆρον) *Ita plenissime valuit illud effatum: Partiti sunt vestimenta mea inter se, deque veste mea sortili sunt.* Ps. XXII, 19. ubi hoc vult divinus vates: Hostes mei internecionis meae iam adeo certi sibi videntur, ut de praeda et vestibus meis, tanquam iam extincti, inter se dividendis constituerint. Igitur in hoc loco Psalmi non est vaticinium. Nec milites isti Iesu hostes erant; mandata Procuratoris exsequebantur, et vestimenta supplicio affectorum de more Romano erant spolium militum, supplicii exactorum. Forma loquendi: ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ e consuetudine scriptorum Hebraeorum saepissime nihil aliud significat, nisi hoc: *res ita accidit, ut locus hic vel ille perfecte aptus ad eam rem appareret.* Vid. *Surenhusius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς, p. 2. sqq. et p. 167. *Henslerus (Bemerkungen über Stellen der Psalmen und Genesis.* p. 51.) et *Eckermanni theol. Beyträge* Tom. I. Fasc. 2. p. 76. sq. Vid. et supra not. ad c. XVIII, 9. Apposite de hoc loco *Usterius* monuit contra *Bretschneiderum (Probabil.* p. 80.): „Pallium quadripartitum non temere scriptor confinxit, quia de more Romanorum unumquemque captivorum quatuor milites custodiebant: neque magis in allegandis poetae verbis (Ps. XXII, 19.) ille argutatur; nam quum Iesus in crucem sublatus ipse nonnulla ex eo carmine deprompta verba, tamquam sibimet dicta, commemorasset; cetera quoque

huiuscemodi conditioni non minus congruerent, ad eundem referre, spectatori in promptu erat. Quod autem Bretschneiderus opinatur, τὰ ἱμάτια et τὸν χιτῶνα a scriptore ad τὰ ἱμάτια et τὸν ἱματισμὸν apud poetam referri, quo diligentius historia vaticinationi accommodetur, nihili est: neque enim scriptor in literis hebraicis tam tiro fuit ac rudis, ut duobus illis vocabulis (τοῖς ἱματίοις et τῷ ἱματισμῷ) eandem rem significari nescierit; nec sane in eius libro argutias inanesque ingenii lusus legere consuevimus."

25. Εἱστήκεισαν) Nempe propius iam accesserant ad crucem Iesu. ἡ μήτηρ αὐτοῦ, neque periculo suo, neque tristitia spectaculi, neque probris absterrita, quo minus filii ultima mandata exciperet. ἡ τοῦ Κλωπᾶ) Probabiliter intelligitur *coniux* Clopae, mater Iacobi et Iosis, quae vocatur etiam Alphaei uxor. Κλωπᾶς fortassis idem est, qui Luc. XXIV, 18. dicitur Κλεόπας, nomen contractum ex Κλεόπατρος, ut Ἀντίπας ex Ἀντίπατρος. Porro *Clopas* idem est, qui alias vocatur *Alphaeus*. Utrumque nomen derivatur a voc. Hebr. חלפי, quod duplici modo efferri poterat *Chalpai* et *Chlopai*. Posteriorem pronunciationem sequitur Ioannes. Plura vid. apud *Kuinoelium*.

26. Μαθητὴν) *Ioannem.* ἰδοὺ ὁ υἱός σου) Hic tibi pro me filii erit loco: hic tibi filii officia exhibebit.

27. Ἡ μήτηρ σου) Hanc matris loco habeto. εἰς τὰ ἴδια) scil. οἰκήματα. *Ad propria*, i. e. ad sese, in domicilium suum, et in suam familiam, per omnia curam illius agens.

28. Μετὰ τοῦτο — τετέλεσται) *Deinde, quum Iesus intelligeret, omnia esse peracta*, sc. quae peragen-

agenda et toleranda erant, ipsa vita non exclusa. Ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει. διψῶ.) *ut eveniret, quod scriptum est, dixit, se sitire.* Alluditur ad Ps. LXIX, 22. sed non est vaticinium. Solent, qui hoc supplicii genere moriuntur, vehementer discruciari siti, videlicet sanguine per corporis vulnera exhausto. Nimirum et hoc faciebat ad declarandam humanae Christi naturae, suppliciique non simulati veritatem. Minus recte alii verba ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ connectunt cum praecedentibus, et hunc in modum sensum constituunt: Quum sciret Iesus, praestita esse omnia, quae praestare ipsum oportuisset, ut satisfieret scripturis.

29. Σκεῦος—στόματι) *Illi itaque, quum esset in promptu vasculum aceti, spongiam eo repletam et hyssopo affixam admoverunt eius ori.* Vulgo existimant, milites hoc fecisse ludibrii causa, et ad augendos Iesu dolores, quam sententiam confirmare videtur Lucas cap. XXIII, 36. dum utitur verbo ἐνέπαιζον. *Michaelis* contra in notis ad h. l. monet, nihil aceto esse efficacius ad sitim restinguendam. Lucas tempus tantum indicare videtur, quo aliis modis ludibrio habuerint Iesum. ὄξος (ab ὀξύς, *acutus;* acetum, *Essig), vinum culpatum*, seu *myrrhatum*, i. e. vinum herbis amaris temulentiam procreantibus mixtum, *posca*, qua utebantur milites Romani in castris (cf. *Ulpian.* XII, 13.) et qua potare solebant maleficos, quo minus supplicii dolores sentirent. Matth. XXVII, 34. (ubi vid. not.) extat ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, Marc. XV, 23. οἶνον ἐσμυρνισμένον. Ὑσσώπῳ περιθέντες) Quia Matthaeus arundinis facit mentionem, *Camerarius* suspicatur, h. l. in archetypo fuisse: ὑσσῷ προπεριθέντες, ut sensus sit: supra pilum spongiam ibi circumdatam Iesu fuisse oblatam. Nam *pilum*,

Ro-

Romanae militiae peculiare telum, Graeci appellarunt ὑσσὸν. Cf. *Bowyeri* coniecturas ad h. l. Sed non opus est mutatione; nam, ut Wetstenius post Lightfootum monet, *caulem hyssopi* Matthaeus et Marcus vocant κάλαμον. Nam speciem aliquam hyssopi in culmos crescere, cannarum aut calamorum instar, patet ex *Succab* fol. 13. 1. ubi inter mentionem cannarum, calamorum, surculorum, quibus obtexerunt tentoriola sua, structa pro festo tabernaculorum, memoratur אֵזוֹב hyssopus. *Isaacus f. Omram* apud *Bochartum:* Hyssopus herba est, in montibus Hierosolymitanis proveniens, cuius rami super faciem terrae extenduntur ad cubiti longitudinem, aut aliquanto minus, etc. Adde, cruces ita fuisse humiles, ut facile adstantes potuerint admovere caulem hyssopi ori in cruce pendentis. Aliorum opiniones recensuit *Kuinoelius* ad h. l.

30. Τετέλεσται) scil. τὸ ἔργον, coll. c. XVII, 4. *Consummatum est;* omnia ad finem sunt perducta. Finis adest laborum et passionum; peracta sunt omnia a me peragenda. Κλίνας τὴν κεφαλήν, *inclinans caput*, ut solent moribundi, viribus deserti, tono scilicet tendinum remittente, et motrice vi musculorum fatiscente. παρέδωκε τὸ πνεῦμα) Sc. Deo, patri, ut Luc. XXIII, 46. plenius dicitur. Ps. XXXI, 6. *Grotius:* Pia est locutio apud Hebraeos illos, qui iudicium post hanc vitam credebant, recepta, qua qui moritur, dicitur *spiritum tradere*, Deo scilicet eius auctori, ut is de eo statuat, vid. Eccl. XII, 7.

31. Ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα) *Festinantes* ut ne sabbato manerent corpora in cruce suspensa. E legibus Iudaeorum corpora lapidatorum sus-

suspensa ante solis occasum de patibulo tolli et sepeliri debebant, Deut. XXI, 22; neque tamen hanc ob causam, sed quod solennia Sabbata instarent, Pilatum rogabant, ut frangerentur crura etc. Vix aliquot horae supererant ad Sabbati usque initium. ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου) *Nam magnum*, i. e. inprimis religiosum, *erat illud Sabbatum*. Ἡ ἡμέρα ἐκ. τ. σ., pro ἐκεῖνο τὸ σάββατον, ut hebr. יוֹם הַשַּׁבָּת הַהוּא. Pro ἐκείνου nonnulli legunt ἐκείνη, haec verba iungunt antecedentibus, et sic interpungunt: ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν (ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη) τοῦ σαββάτου. Cf. *Bowyer*. Describitur huius Sabbati, quod festum diem simul involvebat, dignitas et praestantia. κατεαγῶσιν) *frangerentur*. Augmento locum hic esse negat Thomas Magister, et legit κατεάγωσιν, instar τετύφωσιν, ex κατέαγα. Atqui etiam ἀνεῳχθῆναι dicitur Luc. III, 21., ἑ extra Indicativum manente etiam in aoristo. Crurifragium clava olim peractum, aut fustibus grandioribus. Observarunt Interpretes, crurifragium pertinuisse ad poenae gravitatem, nec crura fracta esse solius mortis accelerandae causa; pedibus autem fractis ictu gratioso trucidatos esse cruciarios; de hoc ictu nil memorasse Iudaeos, quod more Romano cum crurum fractione coniunctus fuisset. Rogarunt igitur Iudaei, ut citius crucifixi interficerentur, ne, si manerent in cruce, profanaretur Sabbatum. ἀρθῶσιν) *Tollerentur*, sc. corpora.

32. Ἦλθον οὖν οἱ στρατιῶται) Sunt, qui existiment, milites, qui crucifixis crura frangere debuissent, non eosdem fuisse, qui v. 23. condemnatos in crucem sustulisse dicuntur. Alioquin, quum Iesum morientem ad-

adspexissent, non eodem consilio, ut crura ei frangerent, Christum fuissent accessuri. Igitur Pilatum putant ex urbe milites misisse, qui Iudaeorum petitioni satisfacerent.

34. Ἀλλ' εἷς — ἔνυξε) *Sed unus militum latus eius lancea fodit.* Νύσσειν, vel νύττειν, *pungere, vulnerare, fodere.* Leniori verbo scriptor divinus utitur, ut cognosceremus, non malo consilio id fecisse militem, sed ut exploraret, an Iesus vere mortuus esset. Alias hoc verbum sic usurpatur, ut denotet, *admonendi causa clam alicuius latus fodere.* Quo sensu Horatius Epist. I, 6. 51. Mercemur servum qui dictet nomina: laevum qui *fodiat latus.* Sic etiam Aristoph. Plut. Act. III. sc. 3. v. 14. Vulgaris vero verbi νύσσειν significatio est *pertundere, transfodere* (Il. V, 43. sqq.), licet interdum etiam ita legitur, ut sit, *cuticulam scindere.* Hic locus afferri solet adversus eos, qui Iesum animi tantum deliquium passum esse putant, durans per 30. vel 38. horas, post quas redierit ad se. Varie de hac re disputatum est. Vulnus Iesu inflictum non altum, neque letale fuisse, sed eum a milite leviter tantum punctum fuisse, vitae residuae explorandae causa, plures nostra aetate statuerunt, ut *Paulus* in Commentar. T. III. p. 801. sqq. Plerique vero Interpretes, cum veteres tum recentiores, contenderunt, Iesum iam mortuum fuisse, quum ei vulnus infligeretur. Ex aliorum sententia Christus, quum hasta foderetur, vixit adhuc vitam aliquam sed valde debilem, vulnere vero pectori illato subito ac vere excessit. Pertinent ad hanc disputationem Medicorum nonnullorum scripta, e. g. *Bartholini* Diss. de *latere Christi aperto.* Lips. 1685. qui, *vulnus,* inquit, *adeo profundum vix concipio. Puncturae enim*

enim comparatur. G. G. Richter de morte Salvatoris in cruce. 1757. 4. *Valent. Henr. Vogler in Physiologia Historiae passionis Iesu Christi.* (Helmst.) *C. Fr. Ferd. Gruneri* Diss. *de morte I. Chr. vera, non synoptica.* Ienae, 1800. 8. *Christ. Gottfr. Gruneri* (Filii) *Vindiciae mortis I. C. verae.* Halis, 1805. 8. αἷμα καὶ ὕδωρ) Hoc non ita capiendum est, quasi duo discreta profluxissent fluenta, sed humores, aquae non dissimiles, immixti sanguine. Sunt, qui hoc ictu violatum esse dicant pericardium, quae est membrana, cingens cor in qua cor pendet, et quodammodo fluitat. In universum Ioannes non intelligendus esse videtur ad ἀκρίβειαν anatomicam, sed populariter. *C. F. F. Grunerus* l. c. pag. 24. sq. „Ioannes *simpliciter* appellat τὴν πλεύραν, i. e. partem pro toto, vel *sensu latiori latus lancea perfossum*, i. e. partes subter latere contentas; seriores auctores, rem incertam doctis coniecturis certam facere ausi, *dextrum* recipiunt, sanguinemque profusum ex vena cava repetunt; alii, duce Laurentio, *sinistrum* poscunt.“ De Medicorum nonnullornm coniecturis de aqua et sanguine e latere Christi profluente vid. *Paulum* l. c. Cf. *Herder von der Auferstehung, als Glauben, Geschichte und Lehre.* (Rigae, 1794.) p. 173. sqq., et scripta aliorum, quae recensuit *Bretschneiderus Systematische Entwicklung* etc. p. 578. Ceterum quamcunque Eruditorum explicationem elegeris, id saltem dubitari non potest, Ioannem his verbis certitudinem mortis Christi declarare voluisse. Vid. et not. ad comm. sq.

35. Καὶ ὁ ἑωρακὼς — πιστεύσητε) *Et qui vidit, testatur, eiusque testimonium fide dignum est. Ille se*

se vera narrare scit, ut vos quoque habeatis fidem. Ioannes e plurium Interpretum sententia ad testimonium oculorum provocat, et studiose confirmat, Iesum omnino mortuum fuisse, quia forsan fuerunt inter Iudaeos extra Palaestinam, qui negarent, Christum vere mortuum esse; sive malo animo, ut narrationem de reditu ex mortuis infringerent, sive bono animo, et quasi indignabundi, quod Iesus, Messias, tanta ignominia affectus dicatur. Fuerunt etiam, quibus Ioannes comm. 34. et 35. hactenus respexisse videretur, ut commenta refutaret *Docetarum*, vel *Phantasiastarum*, veram Christi ἐνανθρωπήσιν negantium: id quod inde a Saeculo II. et III. praeter alios plures, Marcionem et Manichaeos fecisse accepimus. Rectius tamen alii monuerunt, quae de perfosso latere leguntur, ea tametsi hanc vim habent, ut Docetarum errores convellant, tamen ab ipso Ioanne alio consilio esse dicta. Ille enim docere voluit, ea hic evenisse, quae duobus in locis Vet. Test. comm. 36. et 37. exsignatis, praedicta dudum fuissent. Nam istius erroris demonstrari non potest tantam esse antiquitatem, ut Ioannes aetatem attingat; nec ullum est in commentariis de vita Iesu, ceterisque in libris N. T. vestigium, unde appareat, iam tum exstitisse, qui dubitarent, Iesum in cruce mortem vere oppetiisse. Quin ea aetate, auctore Matth. (XXVIII, 11—15. coll. XXVII, 64.) divulgatus apud Iudaeos erat rumor ille, postea quoque per eosdem late propagatus, de *exanimi* Iesu *corpore* ab eius sectatoribus ex sepulcro furtim ablato. Neque tamen asseveratio, quae verbis comm. 35. inest, solummodo ad v. 36. et 37., sed omnino ad narrationem de morte Christi referenda videtur.

36.

36. Ἐγένετο — ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ) *Nam factum hoc est, ut et hic applicari possit, quod scriptum est* etc. Immutat paululum Scriptor formulam illam de agno paschali Exod. XII, 46. coll. Num. IX, 12. Ps. XXXIV, 21.; sensus autem idem manet. Sicuti de agno paschali extabat lex, ut ne crura frangerentur, ita Deus prospexit ipse, ne Iesu id fieret. In loco Mosis non continetur vaticinium, vel typus, sed similitudinis causa haec notantur a Ioanne. Cf. *Lessius Auferstehungsgeschichte*, p. 102.

37. Καὶ πάλιν — ἐξεκέντησαν) *Et alio loco legitur*: *Videbunt, quem pupugerunt.* Respicitur ad Zachar. XII, 10. ubi legitur: וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ, *intuebuntur in me, respicient me, quem confoderunt*, i. e. *contumelia affecerunt* (sc. per peccata sua). Hebr. דָּקַר sensu h. l. convenit cum נָקַב, quod quum proprie *perfodere* significet, saepe dicitur de eo, qui nomen aut famam alicuius malis dictis laedit, aliquem *contumeliose tractat* et exsecratur, vid Prov. XI, 26. Num. XXIII, 8. 25., et de exsecratione nominis divini dicitur Levit. XXIV, 11. Aquila exprimit: ὃν ἐξεκέντησαν, quod verbum etiam Symmachus et Theodotion habent. De varietate lectionis in textu hebraico consule *Dathium* in notis criticis ad hunc Zachariae locum, versioni latinae annexis. Series orationis non patitur haec de Messia intelligere. Deus enim promittit, se Iudaeis et familiae Davidis beneficum fore; ac tum, inquit, intuebuntur me, respicient me (sie werden sich wieder zu mir wenden), quem antea contumelia affecerunt. Porro Zacharias describit luctum Hebraeorum poenitentium. Rectissime *Calvinus* in Commentario

ad

ad Io. XIX, 37. de illo Zachariae loco ita disseruit: „Locum hunc qui secundum literam de Christo exponere conantur, nimis violenter torquent. Nec vero in hunc finem ab Evangelista citatur, sed potius ut ostendat, Christum esse Deum illum, qui olim conquestus fuit per Zachariam, sibi pectus a Iudaeis transfodi. Illic autem Deus hominum more loquitur, significans, perinde se vulnerari populi sui sceleribus, ac praesertim obstinato verbi sui contemtu, ut letale est in homine mortali vulnus, cui cor est transfixum, sicut alibi dicit, spiritum suum moerore esse affectum.“ Id vero omnino cencedendum videtur, Ioannem, qui Zachariae locum Iesu, Messiae, cruci adfixo, accommodavit, verbum ἐξεκέντησαν sensu proprio intellexisse et hanc sententiam voluisse exprimere: „iam transfixus erat is, de quo recte dici poterat: desiderabunt et deplorabunt, quem transfixerunt“ (Ita *Kuinoelius.*) Cf. *E. F. C. Rosenmuelleri* Scholia ad Zach. XII, 10. Adde *Eckermanni theol. Beitrr.* T. 1. Fasc. II. p. 79. sqq. — Ad ea, quae sequuntur, cf. Matth. XXVII, 57—61. ibique notata, Marc. XV, 42—47. Luc. XXIII, 50—56.

38. 39. In curando Christi funere Iosepho Arimathaeensi adiutor fuit Nicodemus; qua quidem re nunc iam declarare propalam audebat, se esse ex sectatoribus Iesu. Atqui Iosephus ille iam antea ipse fuerat μαθητὴς τοῦ Ἰησοῦ, sed *occultus, metuens sibi ab Iudaeis* (h. e. a primoribus), quippe qui dudum legem sanxissent, c. IX, 22. commemoratam. Cui viro quum Nicodemus hic iungatur, facta simul mentione *nocturnae* collocutionis, antehac cum Iesu habitae, dubitari non potest, quin et ipse *clam* discipulus illius fuerit,

fuerit, offensionem metuens collegarum Christo malevolentium. Cf. c. VII, 50. 52. φέρων — ἑκατὸν) *Afferens misturam myrrhae et aloes ad centum libras.* μίγμα, *mixtura*, Nomen praecipue medicis usitatum. *Galenus* de Compos. Medic. per gen. VII. ἀλόης) Praeter herbam aloe, ex qua succus amarissimus eliciebatur, erat arbor aromatica, aloe, אֲהָלוֹת, ἀγάλλοχον seu ξυλάλοη vocata, et ad thymiamata usurpata, de qua Ioannnes loquitur, iudicante *Salmasio* Exerc. Plin. p. 742. Cf. Psalm. XLV, 9. Prov. VII, 17. et vid. *Rosenmuelleri* Scholia ad Num. XXIV, 6. Adde *Plinius* H. N. XIII, 15. ὡς λίτρας ἑκατὸν) λίτρα Graecis *nummum*, sed et *mensuram* et pondus significat. *Nummus* vix h. l. intelligi potest; si enim pretium aromatum designari debuisset, in genitivo dicendum fuisset, ὡς λίτρων ἑκατὸν. Itaque λίτρα hic vel mensuram vel, quod probabilius est, pondus duodecim unciarum significat. Quum v. 40. corpus una cum aromatibus dicatur *linteis involutum*, hoc μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης siccum et in pulverem comminutum fuisse videtur. Iis, qui tantam aromatum copiam inutilem fuisse, temere obiiciunt, responderi potest: 1) etiam cubile illud, in quod corpus Christi repositum est, ad suavem odorem excitandum, undique his aromatibus impletum fuisse, quod moris fuisse, patet ex loco 2 Chron. XVI, 14. 2) Aromata haec etiam ad fragrantes suffitus ciendos, in ipso hoc sepeliendi actu ex parte comburi potuisse. Solemnem fuisse ritum similem, probat *Kypke* ex Targum Pseudo-Ionathanis, et Hierosol. in Gen. L, 1. et *Iosepho*, qui Antiq. Iud. XVII, 8, 3. et de B. Iud. I, 1. extr. quingentos servos vel libertos ἀρωματοφόρους, aromata portantes, funus Herodis comitatos esse

esse testatur. Divites Iudaei magna aromatum copia uti solebant, linteis circumvincientes corpus, non Aegyptiorum more pollingentes.

40. Καὶ ἔδησαν — ἀρωμάτων) *Involverunt fasciis cum aromatibus.* Ὀθόνιον *linteolum*, idem est quod Matthaeus (XXVII, 59.), Marcus (XV, 46.) et Lucas (XXIII, 53.) vocant σινδόνα. Cf. notata ad Matthaei l. c. Ἐνταφιάζειν, *cadaver sepulcro mandandum curare, pollingere.* Vid. Fabrum ad *Harmari* Angli observatt. in Orient. Tom. II. p. 147. sqq. Respicit Ioannes Aegyptiorum cadavera condiendi morem, eique Iudaeorum morem opponit. Aegyptii cadavera visceribus exemtis aromatibus refercire solebant. *Herod.* II, 86. sqq.

41. Κῆπος) Intellige h. l. de *Cepotaphio.* Quam voc. κῆπος significationem pluribus inscriptionibus allatis probabilem reddidit *Muenterus* in Progr.: *Symbolae ad interpretationem Ev. Io. ex marmoribus et numis, maxime Graecis.* Havniae, 1826. Qui V. D. inter alia haec observavit: Cepotaphium apud veteres erat sepulcrum cum ὑπαίθρῳ, area subdiviali, muro aut maceria cinctum, et haud raro arboribus funebribus, cypressis aliisque consitum. Hoc de sepulcro, de quo agimus, Iosephi Arimathaei, indicare praeterea videtur c. XX, 15. ubi de κηπούρῳ sermo est, licet fatendum hunc esse potuisse *custodem* (ut v. c. οἴκουρος, quae vox hanc habet significationem) non *cultorem.* Sed haud video, cur, si modo non cogitemus de horto oleribus colendis destinato, a cura arborum exclusus fuerit hic homo, quum utrumque, colendi et custodiendi, officium perbene coniungi potuerit. Et hortos,

se-

sepulcris adnexos, habuisse Iudaeos, ex V. T. facile probatur; vid. e. c. 2. Reg. XXI, 18.

42. Ὅτι ἐγγὺς ἦν τὸ μνημεῖον) Per Parenthesin legendum quasi dicat: ne miremini ibi tam cito, instante ipso puncto festae praeparationis, potuisse deponi; erat enim in proximo monumentum.

CAP. XX.

1. Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων) Vulgo vertuntur: *Primo die hebdomadis.* Recte tamen *Schulthessius* (in *Wineri* et *Engelhardti neuem krit. Iourn. der theol. Liter.* T. V. Fasc. III. p. 298.) monuisse videtur, τὰ σάββατα in Plurali nusquam notare *hebdomada* in Singulari. Et hoc loco et Actor. XX, 7. contendit significari *primus dies (septem) hebdomadum*, quae Paschatos festum sequuntur et praecedunt festum Pentecostes, quod etiam appellatur *festum hebdomadum*, (ἑορτὴ ἑβδομάδων), Tob. II, 1. Exod. XXXIV, 22. 2. Chron. VIII, 13. Qua de re Schulthessius accurate disseruit; verba autem, quae nostro loco occurrunt, σκοτίας ἔτι οὔσης, Harmonistarum male sedulorum imprudentia inserta esse suspicatur. Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ) Alias etiam mulieres venisse ad sepulcrum reliqui Evangelistae narrant, et nomina etiam earum commemorant. Mariam non solam ad sepulcrum abiisse, vel verbum οἴδαμεν comm. 2. docere potest. Quicquid Ioannes de resurrectione Christi narrat, id omne hausit vel ex relatione Magdalenae, vel ex αὐτοψία. Ex illo fonte profluxere, quae leguntur h. cap. comm. 1. 2. 11 — 18. ex hoc vero promanarunt quae

quae habentur comm. 3—10. 19—29. Quae ex Magdalena acceperat, litteris summa fide mandavit, nulla iam habita earum περιστάσεων ratione, quas aliis Apostolis alias mulieres quondam narrasse perceperat. Religioni enim sibi duxit Evangelista sive demere sive addere quidquam Magdalenae verbis.

2. Πρὸς Σίμωνα — ὁ Ἰησοῦς) Adiit domum, in qua Petri erat hospitium, apud quem et Ioannes erat. Matthaeus et Marcus tacent de eo, quod Petrus, *audita mulierum narratione*, iverit et ipse ad monumentum. Id tamen et Lucas narrat. Interea dum Magdalena in urbem redit, remanent reliquae mulieres, et postquam ex terrore sensim se collegissent, in speluncam introgrediuntur, ubi binos conspiciunt angelos, Matthaeus XXVIII, 5—8. Luc. XXIV, 3—7. Ἦραν — ἔθηκαν αὐτόν) *Sublatum est e sepulcro magistri corpus, et nescimus ubinam sit repositum.* Impersonaliter haec sumenda sunt, ut in communi vita. Suspicio orta est Mariae, factum esse, ut ipsi Iesu amici corpus ipsius, propter sabbatum in proxime vicinum sepulcrum delatum, iam alio detulissent.

3. Ἐξῆλθεν — τὸ μνημεῖον) *Petrus igitur et alter ille discipulus Iesu ad sepulcrum abierunt.* Ἐξῆλθεν redundat. Ἔρχεσθαι, ut hebraicum בּוֹא interdum est *abire*, ut Luc. II, 16. Io. VI, 17. Εἰς, *ad.* Maria Magd. discipulos secuta esse videtur.

4. Ἔτρεχον — εἰς τὸ μνημεῖον) *Et quanquam una celeriter ibant, tamen alter ille discipulus antevertit Petrum.* Τρέχειν ὁμοῦ, *una celeriter ire.* Προτρέχειν, *antevertere, praecurrere.* Etsi ab initio eadem via pergerent, Ioannes tamen per viam propiorem aliquam antevertit Petrum, ut fieri in re nova solet.

let. Quum advenirent Petrus et Ioannes, ceterae mulieres, quarum reliqui Evangelistae faciunt mentionem, am discesserant a sepulcro, discipulos alio hospitio quam Petrus et Ioannes utentes, vel Bethaniae commorantes, ut iussae erant, quaesiturae, per aliam forte portamin urbem ingressurae, vel alia via Bethaniam petiturae. Itaque Magdalenam, Petrum et Ioannem non habuerunt sibi obvios.

5. 6. Παρακύψας βλέπει) παρακύπτειν scil. ἑαυτὸν, proprie *se incurvare*, hinc inclinato corpore inspicere. οὐ μέντοι εἰσῆλθεν) *non autem ingressus est*, fortasse horrore quodam loci tactus. Petrus vero, qui ingenii audacioris erat, statim monumentum ingrediebatur, cuius exemplo excitatus, Ioannes quoque intrabat.

7. Τὸ σουδάριον, ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, *sudarium, quo capitis superior pars velabatur*, cap. XI, 44. Χωρὶς ἐντετυλιγμένον εἰς ἕνα τόπον, *seorsim convolutum aliquo loco* Χωρὶς, seorsim. Ἐντυλίσσειν, *involvere*, h. l. debet esse *convolvere*. Εἰς pro ἐν, et εἷς pro τὶς.

8. 9. Καὶ ἐπίστευσεν) Scil. corpus non esse in sepulcro; nam resurrectionem Christi sperare nondum audebant, comm. 9. Οὐδέπω γὰρ ἤδεισαν κ. τ. λ.) Nondum satis perceperant id, quod Scriptura praedixerat de Christi resurrectione. Aut enim obscuriora discipulis fuerant, quae ipse Christus de resurrectione sua praedixerat; aut rei magnitudo et ingenii tarditas opinionesque de Messia praeconceptae abstabant, quo minus hoc in animum admitterent; aut adeo perterriti et consternati erant, ut dicta illa in mentem iis non redirent. Vix haec res certo definiri poterit. Postea

tamen discipulos, doctore Iesu ipso, rectius vaticinia V. T. intellexisse, docemur. Vid. Luc XXIV, 26. sqq. 46. sqq. coll Io. II, 22. Vid. et not. ad c. XXI, 1.

10. Πρὸς ἑαυτοὺς) *Ad sese*, i. e. domos suas; ut: *Eamus ad me;* et: *traduc et matrem et familiam omnem ad nos.* Sic etiam *Iosephus* Antiq. VIII, 4, 6. πρὸς αὐτοὺς ἕκαστοι, τοῦ βασιλέως ἀπολύσαντος, ἀπῆσαν.

11. Εἱστήκει) *Manebat*, morabatur aliquantisper apud speluncam, redeuntibus Petro et Ioanne in urbem.

12. Καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους) Matthaeus et Marcus unum tantum angelum memorant. Sed non est dissensus. Ioannes enim narrat, quid Maria Magdalena, illi autem Evangelistae, quid reliquae mulieres viderint. Cf. notata ad Matth. XXVIII, 2. πρὸς τῇ κεφαλῇ) Praepositionem hanc πρὸς cum Dativo, ubi *ad*, *iuxta*, significat, quae quoque legitur Io. XVIII, 16., habent quidem Graeci, utpote Aristoph. Plut v. 543. πρὸς τῇ κεφαλῇ, et Aelian. Var. Hist. IX, 39. πρὸς γυμνασίῳ. Videtur tamen usitatior fuisse in dialecto Hellenistica et Alexandrina. Occurrit apud LXX. Genes. XXVIII, 11. Ezech. XXXIX, 11. Habetur saepe in numis Cilicibus et Syriacis. Cf. *Muenterum* l. l. p. 31.

13. Ἦραν) Cf. v. 2. Verosimillima et simplicissima oratio est, quae et innuit, Mariam homines, non vero angelos putasse.

14. Ἐστράφη — ἑστῶτα) *Retro conversa vidit Iesum adstantem.* ἐστράφη, se convertebat, vel reditum in urbem parans, vel quia strepitu quodam perceperat, aliquem a tergo adstare. Reliquis mulieribus in via obviam venit Iesus Matth. XXVIII, 10. οὐκ ἤδει)

ἤδει) Aut, quia tristior vix audebat contra intueri, aut quia vultus et facies post tot cruciatus, quos perpessus fuerat, non parum aliter se habebat, quam antea. Etiam vestitus alius, quem fortassis a Cepotaphii cultore seu custode acceperat, efficiebat, ut Iesum primo et fugitivo adspectu non cognosceret.

15. Δοκοῦσα ὅτι κηπουρός ἐστι) Κηπουρὸς (a κῆπος et οὖρος) et hortulanum, et inspectorem Cepotaphii significare potest. Vid. not. ad XIX, 41. Κύριε — ἔθηκας) *Domine, si tu eum in alium locum transferendum curavisti, dic mihi ubi eum reposueris.* Valde probabile videbatur, ab hoc potius, quam ab alio ablatum esse corpus, quod nemo liberiorem haberet aditum. κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ) Equidem, si hic locus illi non est, invenìam ubi honeste sepeliatur, ne tanti viri corpus inimicis sit ludibrio.

16. Στραφεῖσα) Oculis iam intentior in Iesum. Subaudiendum autem procidisse, pedes eius amplexuram comm. 17.

17. Μή μου ἅπτου — πατέρα μου) *Noli me amplecti; nondum enim adscendi ad Patrem meum.* De huius loci interpretatione dissentiunt Interpretes. Et quidem sunt, qui Perfectum ἀναβέβηκα pro Praesenti cum vi Futuri accipiant, et verbis hunc tribuant sensum: *Noli me amplecti, nondum enim adscendo* (adscendam) *ad Patrem meum;* q. d. Christus: Ne me contrectes, ne nunc diutius detineas me (subaud. ποδῶν vel γονάτων), saepius adhuc me videndi et mecum colloquendi opportunitatem nancisceris. Quae tamen explicatio non convenit cum iis quae sequuntur, in quibus diserte hoc suis nuntiari iubet Christus, se discessurum esse ad Patrem. Rectius igitur alii verba

μή μου ἅπτου vertunt: *Ne me adores.* Maria supplicum more genua Christi amplexa est, quod putaret, se videre naturam coelestem. Mariam id fecisse, mirum vix fuerit, etiamsi non Matth. XXVIII, 9. reliquae mulieres idem fecisse dicantur. Coelicolas, genios, deos videre metuebat antiquitas, eorumque verebatur praesentiam. Hinc Iesus feminas illas alloquebatur: μὴ φοβεῖσθε. Sic et Iesus Mariae, quae supplicum more ipsius pedes amplecteretur, eodem sensu dicebat: μή μου ἅπτου scil. ποδῶν seu γονάτων, noli pedes meos attingere, non est quod metuas, nondum enim in coelum reversus sum, adhuc his in terris corpore humano indutus versor; adhuc me ut fratre uti vobis licitum est. Aliorum explicationes et coniecturas vid. apud *Kuinoelium* ad h. l. Ἀδελφούς appellat discipulos suos, amicos et dilectos. ἀναβαίνω) Dies aliquot vobiscum commoratus, terras relinquam. Ne igitur putetis, me in vitam restitutum, terrestri vitae, more humano, iam vobiscum operam daturum esse. πρὸς τὸν πατέρα — θεὸν ὑμῶν) Ad patrem meum, qui et vester est pater etc., cuius regnum in terra a vobis non aliud est exspectandum, quam tale, quod saepius descripsi. Non dubitandum est, plura eam in rem Christum locutum, quam perscripta sunt in Evangeliis.

18. Ἔρχεται — αὐτῇ) Et quidem omnium prima, Marc. XVI, 9. Quod facile fieri potuit, si, quod credibile est, Petrus et Ioannes in propioribus, reliqui vero Apostoli, quibus aliae mulieres resurrectionem Iesu nunciabant, in remotioribus urbis regionibus, imo Bethaniae forsitan delituerunt.

19. Τῶν θυρῶν — μέσον) Verba τῶν θυρῶν κεκλεισμένων non sunt nectenda cum ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς, sed

sed cum illis: διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων. Quum nempe discipuli percepissent ex Maria, Iesum resurrexisse, metu Iudaeorum in unam domum coiverunt, quia rumor eius rei facile quosdam Iudaeorum commovere poterat, ad quaerendos aliquot discipulos, rumoris quasi auctores. Post μέσον supple αὐτῶν. Non dicit Ioannes, per fores clausas, per non apertas, quasi per aerem transiisse Iesum. κεκλεισμένων τῶν θυρῶν idem est, quod Romanis *prima face* dicebatur; quo tempore et vectes foribus opponebantur. Non igitur qui κεκλεισμένων θυρῶν venit necesse est διὰ κεκλεισμένων θυρῶν veniat. Notatur enim tempus; modus veniendi non exprimitur. ἔστη de adventu subito et inopinato adhiberi solet vid. Luc. XXIV, 36. εἰρήνη ὑμῖν) Usitata Hebraeis salutatio est, qua fausta quaevis aliis apprecantur.

20. Ἔδειξεν) Quia sc. vultu ipso metum et dubitationem prae se ferebant, nec suis credebant oculis. Accuratius haec narrantur Luc. XXIV, 37—48.

21. Εἶπεν — εἰρήνη ὑμῖν) Nempe discedens ab illis, post coenam, cuius meminit Lucas cap. XXIV, 41. καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ) Sicut misit me, rebus magnis inter homines gerendis. κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς) Illud *mittere* est quasi solenne verbum, ex Hebraismo: magnae rei procurandae aliquem praeficere. Simillima est vestra provincia meae, quam gessi; differt tantum in eo, quod Pater ipse mihi eam imposuit, ego autem vobis illam iniungo.

22. Καὶ τοῦτο — ἅγιον) *Et his dictis, afflavit eos, dicens: accipite divinum spiritum.* ἐμφυσᾷν, (εἰς τὸ πρόσωπον,) *inflare.* Symbolo quodam hic utebatur Christus, quod cohaeret cum significatione nominis πνεῦμα, sicut postea die pentecoste *ventus* fuit symbo-

bolum illabentis statim in omnes spiritus. Huius moris, non tantum verbis, sed et factis docendi exempla habemus Ieremiae XXVII, 2. Ies. XX, 3. Matth. XXVII, 24. Io. XIII. Emisso igitur in Apostolos *halitu* seu *spiritu oris sui*, dixit: *Accipitote Spiritum Sanctum.* λάβετε, Imperativus pro Futuro; significanter, ut solent Prophetae, certissimum et tamquam praesentem praedictorum eventum promittentes. Itaque illis verbis indicatur, hunc *afflatum* ipsis pro symbolo esse, unde omen capere debeant de conferendis in ipsos propediem Spiritus S. dotibus, quas morti proximus iis promiserat, c XVI. Cf. etiam ad h. l. quae supra notavimus ad c. III, 8.

23. Ἂν τινων — κεκράτηνται) *Si cuiquam veniam peccatorum concesseritis, fruetur ille peccatorum venia; sin minus, peccatorum veniam non habebit.* Quum arbitrarium id fore, neutiquam dicatur, ab alia causa non videtur suspendi, quam a propagatione verae religionis et emendatione animorum, in quibus interius cognoscendis Spiritus S. Apostolos adiuverit. Sensus igitur esse videtur: Quicquid in rebus ad religionem meam pertinentibus, a Spiritu divino edocti, constitueritis, id ratum habebitur a Deo. *Peccata remittere, peccata retinere* vel non remittere, Deo alias est proprium, nec sensu latissimo Apostolis tribui potest. Sed Apostoli in negotiis ad religionem constituendam pertinentibus acceperunt διακρίσεις πνευμάτων, 1 Cor. XII, 7 — 11. Poterant itaque annunciata peccatorum remissione in societatem recipere, quos idoneos, vel ex ea excludere, quos indignos censerent. Remiserunt Apostoli peccata, quoties aut profitentes fidem per baptisma receperunt in ecclesiam, ut Act. II, 38. 41., aut

aut quoties lapsos post seriae poenitentiae testimonium receperunt in suam communionem, 2 Cor. II, 10. Nempe refertur hoc ad munus docendi omnes gentes, licet a Iudaeis pro peccatoribus habitas. Gal. II. Contra si Iudaei manent in ista perversitate, seiuncti maneant a nova hac christiana societate Pertinere etiam huc videtur visibile signum remissionis peccatorum, sanatio morborum, ob peccatum inflictorum, Iac. V, 14. et immissio morborum vel aliorum malorum, tanquam visibile signum retentionis peccatorum, Act. V, 5. XIII, 1. 1 Cor. V, 5. Porro *remittere peccata* potest esse: hominibus declarare, eos habere Deum propitium, si nempe resipiscant, et doctrinam ipsis traditam sequantur. Quicquid sit, non ad omnes doctores Christianos pertinet hoc privilegium, sed ad solos Apostolos, quippe futuros *tales* Christi legatos ad homines, qualis fuerat Christus, Dei Patris legatus (v. 21.), h. e. destinatos ei scopo, ut, quemadmodum Christus totius generis humani doctor erat, isque singularibus miraculis insignitus, ita hi hominum et nationum *omnium* doctores essent, iidemque a ceteris religionis christianae doctoribus secreti singularibus notis et auctoritate, qualis erat in illo ἀφιέναι et κρατεῖν τὰς ἁμαρτίας. Cf. adhuc loca Matth. XVI, 19. XVIII, 18. Marc. XVI, 16. Luc. XXIV, 47. Cf. *Mori* Epit. in articulo de ecclesia, Corollar. 2. Adde *Schleiermacherus: der christliche Glaube* etc. Tom. II. p. 583. sqq.

24. Οὐκ ἦν μετ' αὐτῶν ὅτε ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς) Vel negotio aliquo occupatus, vel quia nondum audierat de novis rebus, quas Maria narraverat. ἐκ τῶν δώδεκα) i. q.

i. q. Ἀποστόλων, quorum haec pergeret esse appellatio, quamquam iam unus discesserat.

25. Ἐὰν μὴ — οὐ μὴ πιστεύσω) *Nisi in manibus eius clavorum vestigia* (cicatrices) *viderim, iisque digitum admoverim, et manum lateri eius apposuerim, non habebo fidem* (narrationi vestrae). Τον τυπον τῶν ἥλων) In Latinis libris est: *fixuram clavorum*, i. e. vestigia impactorum clavorum quum cruci affigeretur. Manus, non pedes clavis perforabantur; hi enim funibus adstringebantur cruci. Habet autem τύπος significationem percussionis, et excusae etiam figurae seu imaginis; unde metaphorice de quacunque figura vel nota impressa usurpatur. Βάλλειν εἰς, non tam est *immittere*, quam potius *admovere*. οὐ μὴ πιστεύσω) Duas negationes οὐ μὴ fortius negare, notum est. Exempla vid. in *Wineri* Gramm. §. 48. Nr. 4. not. Thomas rei magnitudinem sentit, optat etiam verum esse; sed tantam rem aliis narrantibus credere non potest. Ceterum de Thoma eiusque indole vid. supra not. ad c. XI, 16. XIV, 5. et cf. *Niemeyeri Charakteristik der Bibel* T. I. p. 95. sqq.

26. Ἦσαν ἔσω) Phrasis ἔσω εἶναι est, ἐν οἴκῳ εἶναι *domi esse*, intus esse, cui opponitur ἔξω εἶναι. Vid. *Kypke*. Particula πάλιν nos non cogit, ut de eodem loco cogitemus, ubi antea (v. 19.) Iesus ad Apostolos congregatos venerat; quamvis in eodem domo illos congregatos fuisse non sit improbabile. ἔστη εἰς τὸ μέσον) *Constitit in medio*, ut v. 19. Phrasis notat, *se in publico omnium conspectu sistere*; qui situs eorum erat, qui alios congregatos alloqui, adeoque ab omnibus conspici volebant. Ita Xenophon *Cyrop.* I, 4. sub init. de Cyro ad milites orationem habituro dicit: στὰς εἰς τὸ μέσον.

27.

27. Φέρε τὸν δακτυλόν σου ὧδε κ. τ. λ.) Interpretes haud pauci existimarunt, Dominum ipsa Thomae repetiisse verba, quo *omniscium* se ostenderet. Recte tamen alii observarunt, infirmissimum hoc esse argumentum, quum facile sumi possit, reliquos Apostolos ad Iesum retulisse Thomae sermones, et Ioannem summam tantum rei tradidisse. Φέρειν h. l. est *admovere*. Μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστὸς, *neque dubites, sed fidem habeas*. Ἄπιστος, qui fidem denegat. Probabile est, Iesum plura dixisse, quae Ioannes omisit.

28. Ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου) *Mi domine, mi Deus*. Nominativus pro vocativo, quod frequens Hellenistis, ut Marc. XV, 34. XIV, 36. Ps. XXXV, 23. LXXXIV, 3. etc. Graeci solent quidem nominativum nominis pro vocativo adhibere, sed articulos non confundunt, ut ὦ φίλος, pro ὦ φίλε. Quaeritur an exclamatio: *mi Deus* referenda sit ad Deum Patrem, an vero ad Iesum? Nonnulli putant, Thomam, quasi intervallo et spatio quodam interiecto, exclamasse: O domine mi! et deinde: O Deus mi! ut sit vox admirantis, vel dicentis: Luculentissime, o Deus, hac ratione confirmasti, hunc esse verum Messiam et filium tuum. Sed obstant et interiectum καὶ, et verba εἶπεν αὐτῷ, quae non nisi ad Christum referri possunt. Si Thomas Iesum appellavit Deum suum, videtur vocem ὁ Θεὸς eodem sensu accepisse, quo in V. T. haud raro tribuitur illis, qui vicem Dei in his terris gerunt, Regibus, iudicibus, et inprimis Messiae. Ps. LXXXII, 6. 7. XLV, 7. 8. CX, 1.; ut dicere voluerit: Non dubito amplius; agnosco te Dominum meum, et Messiam, Deum et Regem meum.

29. Πεπίστευκας, *credis*, sc. me in vitam rediisse. Praeteritum pro praesenti. Si Thomas exclamatione sua non nisi se mirari expressisset, Dominus non ita respondisset. Μακάριοι — πιστεύσαντες, *beati sunt, qui, quanquam me non viderant, crediderunt*, me in vitam rediisse. Lenis Thomae castigatio. Plerique tamen existimant, Christum non loqui de solis discipulis, sed de omnium aetatum hominibus. Si (in posterum) nemo doctrinae meae fidem habere vellet, nisi antea me oculis conspexisset, profecto pauci in me essent crediturí. Μακάριοι i. e. praeferendi sunt, *longe feliciores sunt.* Positivus pro Comparativo, ut 1 Cor. V.

30. Πολλὰ — αὐτοῦ) *Multa alia etiam documenta* (resurrectionis suae) *dedit Iesus discipulis suis.* Quum de miraculis nihil praecedat, σημεῖα h. l. sunt *argumenta* et ποιεῖν positum est pro δοῦναι, παρέχειν, ut Iudic. VI, 17. Ipsa verba: ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, docere videntur, haec ad reditum Iesu in vitam pertinere; nam miracula a Christo edita non tantum facta sunt ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, sed etiam ἐνώπιον τοῦ ὄχλου. Sic iam statuit Euthymius (quocum consentiunt Chrysostomus et Theophylactus): Τὰ μετὰ τὴν ἀνάστασιν πάντως λέγειν διὰ τοῦτο γὰρ εἶπεν, ὅτι ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.

31. Ταῦτα δὲ — ὀνόματι αὐτοῦ) *Haec autem literis consignata sunt, ut credatis Iesum esse Messiam, Dei filium, atque ut fide in eum felicitatem consequamini.* Ταῦτα δὲ, quae nempe in toto hoc volumine scripta sunt (ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ v. 30.), inprimis sermones Christi; de miraculis enim paucissima habet Ioannes. Minus recte alii verba ταῦτα δὲ ad documenta resurrectionis Christi referenda arbitrantur.

Quae

Quae tamen non sola hominibus persuadere poterant, Iesum esse Messiam, Dei filium, sed accedere debebat doctrinae Christi rerumque ab eo gestarum cognitio. Verba ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ connecte cum ζωὴν ἔχητε, nec cum πιστεύοντες. Ἐν ὀνόματι αὐτοῦ pro ἐν αὐτῷ, *per eum*, propter ipsum, quem fides amplectitur, et quidem quatenus sit Dei Filius, qui vitam aeternam largiri possit. ἔχειν h. l. *acquirere, comparare, consequi*, ut Matth. XIX, 26.

Existimant nonnulli, e. c. *Gerhardus Io. Vossius* in Harmonia Evangelica Lib. III, cap. 4. §. 8. et *Rich. Simon* in observationibus novis, et in notis ad versionem Gallicam N. T. Ioannem primo quidem in capite hoc scribendi finem facere voluisse, deinde vero, eorum, quae praetermissa erant, recordatum, ultimum caput adiecisse. *Grotius* iam suspicatus est (annot. ad v. 30.) sicut ultimum caput Pentateuchi, et caput ultimum Iosuae post Mosis et Iosuae mortem additum est a synedrio Hebraeorum, ita et totum caput XXI. quod sequitur, post mortem Ioannis additum ab ecclesia Ephesina, hoc maxime fine, ut ostenderetur impletum, quod de longaevitate, non violenta morte Ioannis Dominus praedixerat: cetera autem, quae in eo capite narrantur, addita ad demonstrandum tempus, locum et occasionem illius oraculi. Argumento esse putat, quod in fine capitis clausula huic similis repetitur, et quidem hoc modo: οἴδαμεν ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ: quibus verbis scriptor ostenderit, se de supra positis a Ioanne, et de his etiam, quae ex privatis eius commentariis erant deprompta, minime dubitare, quum alioqui, si Ioannes hoc scripsisset, dicturus fuisset, ut supra: κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει, cap. XIX, 35.

Gro-

Grotium secuti sunt *Io. Clericus* et ex nostratibus *Chr. Matth. Pfaffius* aliique, qui hoc caput vel a Ioanne presbytero, vel a Caio, Apostolorum hospite, additum fuisse putarunt. Vid. quos laudarunt *Wolfius* in Curis et *Wegscheiderus* in *Einleit. in d. Ev. Io.* p. 174. sqq. *Paulus* (Neues Repertor. Tom. II. p. 327. sqq.) existimat, integrum cap. XXI. esse incerti auctoris additamentum, cui ex traditione nonnulla falsa et ab omni verisimilitudine abhorrentia sint admixta, (e. gr. comm. 2. 3.) narrationem autem v. 4. sqq. eandem fere esse cum ea, quam Luc. V, 2. sqq. legimus. Opposuit ei *Io. Fr. Krausius vindicias capitis ultimi Evangelii Ioannis.* Wittemb. 1793. 4. Ille vero ad Krausii obiectiones respondit, et sententiam suam novis argumentis confirmare conatus est, in den *Memorabilien*, 5tes St. pag. 176. Huc pertinent etiam quae in *Eichhornii Biblioth. literaturae bibl.* Tom. III. pag. 338. sqq. contra *Pauli* sententiam monentur. Impugnarunt etiam huius Cap. authentiam *Gurlittus* in Explic. c. XXI. Ev. Io. Hamb. 1805., *Dieffenbachius* in *Bertholdti krit. Iour. d. neuest. theol. Lit.* T. I. p. 1. sqq., *Seyffarthus* in *Beitrag zur Special - Charakteristik d. Iohann. Schrr.* p. 272. sqq. et *Lueckius* in Commentar. T. II p. 518. sqq. Authentiam autem vel totius Capitis, vel saltem priorum 23 versiculorum defenderunt *Millius* in Prolegg. in N. T. §. 249., *Wetstenius* ad c. XXI, 25., *Lampius* ad h. l., *Michaelis* in *Einleit.* T. II. p. 1170. et in *Begräbniss - u. Auferstehungsgesch.* p. 294. sqq., *Osiander* in *Exercitat., qua authentia c. XXI in Ev. Io. pertractatur*, Tubing. 1756. 4. Adde *Eichhornii Einl. in d. N.*

T.

T. T. II. p. 213. sqq. *Bertholdti Einleit.* T. III, p. 1325 sqq. *Hugii Einl in d. N. T.* T. II. p. 256 edit. 2dae, *Handschkius* in Diss. *de authentia c.* XXI. *Ev. Io.* Lips. 1818. et *Weberus: authentia cap. ultimi Ev. Io. huiusque Evang. totius et primae Io. epistolae argumentorum internorum usu vindicata.* Halis, 1823. Haec accuratius examinare, non est huius loci. Examen diversarum sententiarum accuratissimum instituit *Kuinoelius* in Commentario ad h. l., qui ipse cap. XXI. authentiam acriter defendit et adstipulatur *Beckio* in *Obss. critico-exegeticis* P. 1. (Lips. 1795. 4.) de hoc capite ita iudicanti: „Ioannes Apostolus ipse hanc appendicem c. XXI, 1—23. suis de rebus Iesu commentariis adiecit, adeo refert ea ingenium Ioannis, vid. v. 14. sqq. 23. Sed postremi duo versiculi, quos maximae difficultates premunt, videntur serioris auctoris, nescio cuius? esse additamentum, qui partim indicare voluerit, quis ille sit discipulus, de quo antea narratum erat, partim suum non adeo grave iudicium interponere de multitudine factorum Christi.“

CAP. XXI.

1. Ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος) Ἐπι τῆς, pro ἐπὶ τῇ θαλ., *apud lacum.* In Galilaea. Apostolos post Christi, resurrectionem in Galilaeam sese contulisse, apparet e Matth. XXVIII, 16. Scilicet Iesus paulo ante mortem suam Apostolos, quos praevideret ipsum a Iudaeis comprehensum deserturos esse, admonuerat, ut se in Galilaeam, ipsorum pluriumque Christi sec-

sectatorum patriam, conferrent, promiseratque, se ibi iis appariturum, Matth. XXVI, 32. Apostolis tunc temporis Christi verba obscura erant (vid. supra ad XX, 9.). Post resurrectionem suam Iesus iusserat mulieres nuntiare Apostolis et amicis suis, eos ipsum in Galilaea esse visuros, Matth. XXVIII, 10. Sed discipuli mulierum relationi fidem denegarant, Luc. XXIV, 11. coll. v. 37. Hinc Iesus Hierosolymis Apostolis apparebat, et per octo fere dies in urbis vicinia remanebat, Io. XX, 26. Postea vero Apostoli in Galilaeam se conferebant, iubente ut videtur Domino. Verum antequam Christus rediret in coelum, Hierosolyma est reversus ibique Apostolos commorari iussit. Vid. Luc' XXIV, 49.

2. Ἦσαν ὁμοῦ) *Congregati erant, una erant*, ita ut uno in loco, urbe domove illos fuisse significetur. Sic Xenophon *Cyrop.* I, 3. *Persarum et Medorum duces convocavit, ἐπεὶ δὲ ὁμοῦ ἦσαν ἔλεξε τοιάδε, quumque congregati essent, haec locutus est.* Forsan locus, ubi hoc tempore versarentur, fuit Genesaret prope lacum Tiberiadem. Οἱ τοῦ Ζεβεδαίου, sc. *υἱοὶ*, Iacobus et Ioannes. ἄλλοι — δύο) Ex numero fortassis LXX. discipulorum minus nobiles, itidem Galilaei, ut videtur, vel etiam alii Apostoli.

3. Ὑπάγω ἁλιεύειν) i. e. Volo ire piscatum. Nam victus, ut credibile est, non aliunde suppetebat, hactenus ex comitatu Christi alimoniam habentibus. Pro ἀνέβησαν alii libri rectius habent ἐνέβησαν. εἰς τὸ πλοῖον) Relictum aut commodatum antehac. καὶ ἐν — οὐδέν) *Sed illa nocte nihil capiebant.* Nox piscaturae favet. Cf. *Aristoteles* Hist. Anim. VIII, 19.

4.

4. 5. Οὐ μέντοι ἤδεισαν — ἐστι) *Ignorabant discipuli Iesum esse*, quia is procul erat in littore et lux nondum satis certa erat. Προσφάγιον) Vox Macedonicae originis, i. q. ὀψώνιον, vel ὑψάριον, εἰς τὸ φαγεῖν ἐπιτήδειον, ad cibum opportunum, quo cum pane vescerentur, *pisces*, iique *elixi*, *assive*, quos interpres Latinus, et cum eo auctores Glossariorum Veterum eleganter *pulmentarium* vocant.

6. Ἀπὸ τοῦ πλήθους) Vocula ἀπὸ h. l. *prae*, *ob*, *propter* vertenda est, uti Luc. XIX, 3. XXI, 29. Eodem sensu etiam a Profanis usurpari, multis exemplis *Kypke* confirmat.

7. Ὁ κύριός ἐστι) Ipso miraculo admonitus. Τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, *superulam induit*, *eaque se cinxit*, ne nataturum impediret. De significatione vocis ἐπενδύτης fusius disputavit *Io. Fr. Fischerus* Proluss. pag. 80 — 85. Est nempe ἐπενδύτης tunica superior, togae et pallio propior, atque adeo inter subuculam et exteriores vestes media, quam Attici χιτῶνα nominant, et differt a tunica altera, quae cutem tegebat, et a Latinis *interula* dicebatur et *subucula*, etiam *indusium*, ab Atticis χιτωνίσκος, a reliquis Graecis ὑποδύτης. Κατ' ἐξοχὴν ita dictum esse genus vestimenti superioris e lino confecti, quo piscatores uterentur, *Michaelis* aliique putarunt. ἦν γὰρ γυμνός) Sic Hebraei vocant eum, qui superiore veste exutus est, qui non habet nisi τὸν ὑποδύτην, subuculam. Vid. 1 Sam. XIX, 24. 2 Sam. VI, 20.

8. 9. Ad τῶν ἰχθύων subaud. μεστὸν, quod comm. 11. additum legitur. Ἀνθρακιάν) *Prunarum acervum.* Ignis solebat ad littus fieri a piscatoribus. Non igitur erat res inusitata vel miraculosa. Plura vid. apud *Kuinoelium.*

11.

11. Ἀνέβη) In navem. εἵλκυσε τὸ δίκτυον ἐπὶ τῆς γῆς) *Traxit rete at littus.* Intellige, hoc factum a Petro et sociis; sed ipse, ut ceterorum dux, nominatur. καὶ τοσούτων — δίκτυον) Quod mirum auctori, ideoque memoratu dignum visum esse probabiliter sumitur.

12. Δεῦτε ἀριστήσατε) *Adeste, prandium capite.* Quum tamen v 4. haec piscium captura cum annexis primomane contigerit, *prandere* h l. nihil fere aliud est, ac *ientaculum capere, matutino tempore vesci.* Quum apud veteres maxime esset solemne, nonnisi semel in die cibum capere, *coenantes* nempe, quod μονοσιτεῖν dicebatur: ἀριστᾷν, *prandere* dicebantur illi, qui praeter *coenam* semel adhuc cibum capiebant, tempore plane indeterminato, sive mane, sive ante, sive circa meridiem. Sic Xenophon *Cyrop.* I, 8, 6. Plutarch. *de fort. vel virt. Alex.* Or. 2. Ἀλέξανδρος ἠρίστα μὲν ὄρθρου καθεζόμενος, *Alexander prima luce sedens prandebat.* Οὐδεὶς δὲ ἐτόλμα — τίς εἶ;) Nemo audebat eum interrogare; temerarium et inverecundum id fuisset, quum satis scirent, quis esset, ex vultu, voce, factis. Sic explicant *Semlerus* et *Michaelis.* Alii: *non necesse erat*, ut eum quisquam interrogaret; alii verbum ἐτόλμα redundare putant.

15. Σίμον — τούτων;) *Simon Ionae fili, amasne me magis quam illi?* Respexit Iesus arrogans Petri dictum Matth. XXVI, 33. coll. Io. XIII, 37. Ἰωνᾶ, sc. υἱὲ, c. I, 43. alias Βὰρ Ἰωνᾶ. Nomen בַּר in lingua Chaldaeorum atque Syrorum idem valet, quod in sermone Hebraeorum vocabulum בֵּן. Τούτων h. l. est masculini, non neutrius generis, nec quae est *Wihtbii* sententia, ad navigium et pisces, v. 8. sed ad reliquos Apostolos refertur. Petrus non modo Christum deseruerat

cum

cum ceteris, sed etiam eum abnegaverat. Hoc exprobrare ei poterant alii, et dicere, eum qui Christum abnegasset, non posse fungi docendi munere. Ne igitur Petro in posterum hoc obiiceretur, Iesus ei occasionem dare voluit adstantibus et audientibus aliis profitendi, amari a se Iesum. Hac ipsa de causa Iesus eum denuo muneri praefecit, aliis adstantibus et audientibus. σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε) Promiscue hic usurpavit Ioannes ἀγαπᾶν et φιλεῖν, ut mox βόσκειν et ποιμαίνειν neque hic quaerendae sunt subtilitates. Non respondet Petrus: *magis te amo quam ceteri;* sed simpliciter: *nosti, me amare te.* Reverenter Petrus ad Christi scientiam provocat, cui se notiorem esse, quam sibi ipsi, experimento didicerat. βόσκε τὰ ἀρνία μου) i. e. *Curam gere ecclesiae meae.* Metaphora desumta ex Io. X, 11—16. et sensus idem qui Matth. XVI, 18. 19. *Pasce*, i. e. ipsis, non tibi consule: quam vocum vim optime se intellexisse Petrus demonstrat, 1 Petr. V, 2.

16. Πάλιν δεύτερον) *Iterum secundo.* Pleonasmus, sicut: nunc iam. Io. IV, 54. Matth. XXVI, 42. Iterat Iesus interrogationem, sed emolliens eam, omittit πλεῖον τούτων. ποίμαινε τὰ πρόβατά μου) Quod de voce βόσκειν et ποιμαίνειν diximus, idem de vocibus προβάτων et ἀρνίων intelligendum est, ut apparet ex collatione locorum Matth. X, 16. Luc. X, 3.

17. Ἐλυπήθη ὁ Πέτρος) Quod ter negando meruisset ter interrogari. Ter repetitam quaestionem Petrus ipse ita sumsit, ut benevoli magistri correctio

aliqua insit veteris levitatis, cuius poenitentia ductus serio doluit.

18. Ὅτε ἦς νεώτερος) ἦς hic habet indefinitam significationem. Nam nunc quoque eum, ut iuvenem alloquitur, respectu venturae aetatis. ἐζώννυες σεαυτὸν) *Te ipse cingebas*, i. e. agebas vitam communem pro arbitrio tuo. Τὸ *cingere* ponitur hic ut exemplum vitae communis, quum quis pro arbitrio suo se cingere, atque quo lubet, ire potest. Quare additur: περιεπάτεις ὅπου ἤθελες. Quia Iesus hoc exemplo usus erat, (nam etiam alio poterat uti,) iam pergit in allegoria: ὅταν — οὐ θέλεις, i. e. olim tui iuris et arbitrii non eris. ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου) Cogeris extendere, ut solent captivi, praesertim cruci affigendi. ζώσει) *Vinciet;* nam et vincire est cingere, et Actor. XXI, 11. cingulum sumitur pro vinculo. *Cinctione* nominatim ad vincula in cruce respicitur, in qua funibus extendi et stringi solebant. καὶ οἴσει, ὅπου οὐ θέλεις, et abducet te, quo nolles trahi; indicativus pro subiunctivo. Φέρειν, *abducere*. Agent te, quo nolles, i. e. in malam crucem. Quin cruce Petrus et quidem Romae abierit, non est dubitandum, quum tot habemus veterum testimonia, e. c. *Tertullian.* praescript. cap. 36. *Euseb.* Hist. eccl. II, 25. Quam explicationem postulat etiam comm. 19. Cf. c. XIII, 36. Perquam frigida aliorum explicatio est, qui existimant sermonem hoc loco fieri *de imbecillitate senectutis, aliorum adiumentum requirente.* Si non nisi hoc voluisset, nihil sane praecipui tunc temporis Iesus Petro dixisset; nec intelligitur, cur quis in senectute eo

duci

duci debeat, quo nolit. Ceterum haec Iesu oratio Petro sine dubio erat obscura, ut solent vaticinia.

19. Ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν θεὸν) *Quo mortis genere celebraturus esset Deum.* Δοξάζειν τὸν θεὸν h. l. est observantiam et pietatem in Deum aliqua in re declarare, in specie morte violenta ac cruciabili. Magnificus martyrii titulus δοξάζειν τὸν θεὸν. ἀκολούθει μοι) *Sequere me.* Hoc ita intellexisse videtur Petrus, Iesum voluisse seorsim alia quaedam ei dicere, non audientibus reliquis. Fortassis autem Iesus ambigue locutus est et voluit hoc: Sequere me in mortis genere, imitare meum exemplum in supplicio sustinendo. Priori explicationi favent, quae comm. 20. leguntur; posteriori verba σὺ ἀκολούθει μοι, v. 22. Obscurius haec dicta sunt, quam ut sensus eorum penitus perspiciatur.

20. Ἐπιστραφεὶς — ἀκολουθοῦντα) *Retrospiciens autem Petrus videt illum discipulum, quem Iesus amabat, sequi,* qui una vellet ire cum Iesu et Petro.

21. Οὗτος δὲ τί;) Nonnulli vertunt: *Quid hic sibi vult?* Quare hic te sequitur? Putant, Petrum, cui Iesus dixisset, sequere me, seorsim tecum loquar, indigne tulisse, quod Iesum sequeretur etiam Ioannes, et testis esse vellet eorum, quae Iesus ipsi dicturus esset. Fortassis Petrus ulteriorem reprehensionem culpae et levitatis suae metuebat. Alii sic explicant, ut Petrum dixisse putent: Quemnam hic discipulus habebit exitum? Iste amicus meus, an, ut me nunc sequitur, ita etiam mecum pro te morietur? Quam hoc mihi gratum foret, si ne mors quidem nos separaret. Quae interpretatio magis congruit responsioni Christi comm. 22. Fortassis pluribus, quae in hac narratione

omissa sunt, de sua sorte Petrus edocebatur; quare curiositate ductus interrogabat: Quaenam vero huius sors erit?

22. Λέγει — ἀκολούθει μοι) *Respondet ei Iesus: Si eum manere iubeam, usque dum redeam, quid hoc ad te? Tu me sequere.* Non affertur integra Iesu oratio, sed pars tantum. Per hanc occasionem nempe inter alia haec etiam dixit, quae nunc sequuntur, usus aenigmatico sermonis genere, quo v. 19. uti coeperat. μένειν) Sc. ἐν τῷ ζῆν. *Vivere, in vita manere*, quae notio frequens est in his libris. Heinsius Syriasmum voci inesse censet. Sed Profani ita loquuntur, ut patet ex locis a Kypkio allatis. ἕως ἔρχομαι) Sc. εἰς κρίσιν. Adventus Christi h. l. significare potest eversionem Hierosolymorum, cui Ioannes fuit superstes. Sed discipuli cum adventu Christi ad iudicium in Iudaeos exercendum putarunt coniunctum fore extremum iudicium. Matth. XXIV, 3. Breviori tempore, viventibus adhuc multis, et Apostolis et aliis, qui primi Christo fidem habuissent, Dominum esse in terras rediturum, credebatur. Cf. 1 Cor. XV, 51. 52. Poterant igitur nunc in eam devenire opinionem, Ioannem usque ad finem mundi vitam esse protracturum. Τί πρός σε;) Sic et Latine dicimus: *Quid ad te?* Quasi dicat: quicquid de illo erit, id ad te non pertinet; cura quod te spectat. Innuit Christus, Ioannem non mortem violentam experturum, sicut Petrus.

23. Ἐξῆλθεν — ἀποθνήσκει) *Igitur dimanavit fama ad Christianos, hunc discipulum non moriturum esse.* Οἱ ἀδελφοὶ h. l. non videntur esse duodecim Apostoli, inter hos enim haec fama non est spar-

sa;

sa; sed alii Christiani, quos saepe ἀδελφοὺς appellari constat. οὐκ ἀποθνήσκει) *Non morietur.* Praesens pro futuro. Sumserunt scilicet interrogationem Christi pro affirmatione, et adventum pro adventu ad iudicium extremum. καί) *Et tamen*, ut alibi saepe. Non dixerat Iesus: *non moriturus est*, sed: *si velim* etc.

24. Οὗτος ἐστιν — ἡ μαρτυρία αὐτοῦ) *Hic est ille discipulus, qui de his testatur, atque haec scripsit, et scimus eius testimonium verum esse.* Vid. quae annotavimus ad finem capitis XX. Durior paullo videtur modus loquendi: οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ, si Ioannes ipse haec scripsit. Quanquam enim non tantum nostri, sed alii etiam scriptores saepissime uti solent numero plurali pro singulari, tamen non videtur commodus esse sensus: *ego Ioannes scio, testimonium meum esse verum.* Igitur haud improbabile videtur, saltem hos ultimos duo versus ab aliis esse additos. *Semlerus*: Vix videtur magni res esse momenti, aut periculi, si quis putet, haec adiecta esse ab illis, quibus Ioannes hunc librum custodiendum dedit.

25. Ἔστι δὲ — βιβλία) *Sunt vero et alia multa quae Iesus fecit; quae si scriberentur singulatim, ne ipsum quidem orbem terrarum arbitror capturum esse scriptos libros.* Hyperbolen inesse his verbis, memo non videt. Sic e. g. *Schab.* f. 11. 1. *Si fuerint omnia maria atramentum, et omnes iunci calami, et totum coelum pergamentum, non sufficerent ad describendum profunditatem cordis principum.* Similia loca sunt in *Aboth Nathan* 25. *Massecheth Sopherim* XVI, 8. *Schir* R. I, 3. Neque du-

rior est huius loci nostri hyperbole ea qua usus est Cicero de rapacitate *Antonii* (Philipp. II, c. 27.) verba faciens: *Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.* Nec contemnenda est *Heinsii* sententia, ita explicantis haec verba: *Quae si singula scribantur ac seorsum, mundum ipsum credo, qui vix ista legit, tot volumina non admissurum.* Certum enim est, οὐ χωρεῖ interdum de eo dici, qui locum non dat, non admittit, aut fastidit, quemadmodum Halicarnassensis Dionysius dixit L. VIII· πόλιν οὐ χωρεῖν ἄνδρας ἀγαθούς, urbem *non admittere* viros bonos.

FINIS TOMI II.

Addenda.

Pag. 193. lin. 2. adde Commentationem, quae anno super. prodiit, V. D. *Christ. Guil. Niedneri de loco commentar. Lucae* XVI, 1—13. Lips. 1826.

Ad Pag. 675. lin. 23. Aliam huius loci interpretationem proposuit *Mich. Weberus* (Theol. Prof. Prim. in Univers. Hal.) in Commentat. sub hac epigraphe: *Interpretatio nova novi praecepti, a Christo dati, Joh.* XIII, 34. 35. Halis 1826. 4. Qui V. S. V. inter alia haec scripsit (p. 17.): Praeceptum *novum* — — praeceptum *de memoria Christi recolenda usu epuli sacrae coenae*, quae dicitur, verbisque sequentibus nil exprimi, nisi *consilium*, quo praeceptum illud *novum* datum, quo *sacra coena* instituta sit.

Errata typographica graviora.

Pag.	10.	lin.	22.	pro	at lege ad.
»	21.	»	4.	»	iudicabat — iudicabant.
»	27.	»	22.	»	ἐύλογ — εὐλογ.
»	34.	»	29.	post	135. pone: Quae.
»	51.	»	30.	pro	decribi leg. describi.
»	59.	»	25.	»	falsitos — falsatos.
»	62.	»	12.	»	noctivus — nocivus. Post ῥοιφαία pone signum:)
»	63.	»	28.	»	et — ei.
»	64.	»	14.	»	inferenda — inserenda.
»	70.	»	31.	»	primos — primus.
»	75.	»	14.	»	vim — viam.
»	77.	»	5.	»	Christus — Christum.
»	97.	»	12.	»	videntes — divites.
»	100.	»	27.	»	57 — 37.
»	102.	»	12.	»	omnio — omnino.
»	106.	»	13.	»	ab — ad.
»	120.	»	24.	adde:	1 Io. VI, 1. sqq.
»	122.	»	26.	post	Spumas adde: *agit*.
»	127.	»	9.	»	non — ad.
»	135.	»	20.	pro	venlibus leg. venalibus.
»	136.	»	16.	»	qui — quia.
»	136.	»	28.	»	neogtiis — negotiis.
»	141.	»	25.	»	simili — simile.
»	143.	»	2.	»	partem — partim.
»	145.	»	16.	»	comparatione — comparationi.
»	148.	»	27.	»	et — ea.
»	149.	»	10.	»	repetisse — repetiisse.
»	153.	»	19.	»	animi — animo.
»	154.	»	16.	»	dispulis — discipulis.
»	160.	»	10.	post	*iussit* pon. *inter*.
»	167.	»	10.	pro	populos leg. populus.
»	173.	»	29.	post	τις pon. signum: —
»	175.	»	20.	pro	ventril quam leg. ventriloquam.

Pag. 178. lin. 9. pro probatis leg. prolatis.
» 183. » 5. » contemtum — contentum.
» 185. » 30. » οὗ τος — οὗτος.
» 187. » 1. » familiares — familiaris.
» 189. » 1. » sextatorios — sextarios.
» 192. » 25. » incertorum — incertarum divitiarum.
» 193. » 1. » Sculzius — Schulzius.
» 195. » 31. » propositae — proposita.
» 197. » 29. » aiique — aliique.
» 202. » 4. » memimerunt — meminerunt.
» 214. » 29. » obtundet — obtundat.
» 219. » 1. » satius — latius.
» 224. » 9. » ob — ab.
» 248. » 6. post erga pon. vos.
» 268. » 16. pro φηφος — ψηφος.
» 291. » 21. Vocc. Syrr. leg. נְצוּרֵיא et מַנְדַּיֵּא.
» 300. » 2. leg. יְהוָֹה.
» 312. » 14. pro vero leg vera.
» 323. » 11. » est — et.
» 324. » 10. » quae — nae.
» 336. » 3. » educebatur — educabatur.
» 336. » 6. » saepissimi — saepissime.
» 346. » 31. » expulsit — expulit.
» 349. » 20. » Evangelistae — Evangelista.
» 391. » 17. » a — ad.
» 394. » 14. » αὐτῦ — αὐτοῦ.
» 419. » 1. » rectus — rectius. Lin. 22. leg. חַסְדָּא.
» 448. » 28. » quam — quem.
» 472. » 17. leg. ἀνθρώπων.
» 505. » 19. post fluxisse pon. e.
» 506. » 26. pro apparet leg. appareat.
» 518. » 14. » V, — v. Lin. 15. pro is leg. ille.
» 572. » 8. » editurum — editum.
» 606. » 11. » Etiam — Etiamsi.
» 608. » 32. post autem pon. a.
» 614. » 15. pro εὐφηφισμὸν leg. εὐφημισμὸν.
» 615. » 11. » ἐζυπνίσω — ἐξυπνίσω.
» 648. » 12. » sum — cum.
» 651. » 10. » est — et.
» 655. » 31. » Indicat — Iudicat.
» 657. » 12. » et — ut.
» 681. » 13. » חדש. Post *eximium* del. Punctum.
» 709. » 9. pro efficatitatem — efficacitatem.
» 722. » 11. » puatenus — quatenus.
» 768. » 22. post σοί pon. non.
» 816. » 32. pro hic leg. his.
» 826. » 21. » Ioannes — Ioannis.
» 833. » 2. leg. mulieres. Lin. 3. leg. iam.
» 833. » 14. pro excicatus leg. excitatus.

BS2335 .R815 1815 v.2
Scholia in Novum Testamentum...
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00052 7582